DE ORDINIS S. BENEDICTI GALLICANA PROPAGATIONE LIBER UNICUS. IN...

Philippe Bastide, Josè Maria Fonseca de Evora, ...

Digitized by Google

37
7 B
16

DE
ORDINIS S. BENEDICTI
GALLICANA PROPAGATIONE
LIBER UNICUS.

IN QUO BENEDICTINÆ REGULÆ PER GALLIAS omnes progreſſus Sæculis ſeptimo, octavo nonoque explicantur.

Sancti Columbani Regula Benedictinæ per modum appendicis, & modi cujuſdam unita, ratione & auctoritate probatur.

Nullas Regulas à Benedictinâ diſtinctas per Galliam & Germaniam ſeptimo & octavo ſaculo vulgatiſſimas fuiſſe demonſtratur.

Multiplicem fuiſſe non unicum Monachorum Ordinem oſtenditur.

Benedictinam Regulam aliarum perfectiſſimam, ſuáque ſolâ perfectione longè latéque pervagatam eſſe monſtratur.

Diſſertatio de antiquâ Ordinis S. Benedicti propagatione novis Typis mandatur.

Quibus omnibus Diſſertatiuncula de antiquis Chartarũ ſubſcriptionibus additur.

Auctore Domno PHILIPPO BASTIDE Congregationis Sancti Mauri Monacho Benedictino.

IOAN. MARIA. CARD. GABRIELLIUS
IOAN. MARIA. CARD. GABRIELLIUS

AUTISSIODORI,
Typis FRANCISCI GARNIER Typographi Regis, nec non Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Epiſcopi Autiſſiodorenſis.

M. DC. LXXXIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET APPROBATIONE DOCTORUM.

ILLUSTRISSIMO
ECCLESIÆ PRINCIPI
ANDREÆ COLBERT
AUTISSIODORENSIUM
EPISCOPO.
ET
REGI AB OMNIBUS CONSILIIS.

DE ANTIQVA Ordinis Sancti Benedicti Propagatione diſputaturus ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *ad eam potiſſimùm Sedem accurro, quæ Galliarum omnium prima naſcentem Ordinem excepit; cujus* ANTISTITES *eumdem Orientem non ſolùm extulêre, ſed quò facilius propagaretur, in anteriorem mona-*

ſticum Ordinem inſitum promoveri voluêre: Sciunt enim qui ejuſdem Ordinis originem & progreſſionem noverunt, Sanctum Romanum Sancti Benedicti quaſi Parentem & ipſius pariter alumnum, priuſquam S. Maurus ab Epiſcopo Cenomanenſi in Gallias vocaretur, antiquam [a] *Druidum ſedem in Pago Autiſſiodorenſi monaſticis præſidiis occupatam tenuiſſe & ex eodem loco totius Diœceſeos Monaſteria aut inchoaſſe aut novis legibus immutaſſe; quorum omnium primum & præcipuum* Baſilicam *ſcilicet* [b] Sancti Germani quam à primo conditu Monachi tenuerant *ad noſtra tempora Benedictini priorum ſucceſſores inhabitarunt.*

Giſlebertus in vitâ S. Romani Sæc. 1. actor. Bened.

b Cointius tom. 2. Annal. ad an. 586. num. xxxix.

Hæc initia, ANTISTES ILLUSTRISSIME, *quæ Deceſſores Tui nobis dedêre, Benedictinus Ordo animo gratiſſimo in ſemina Eccleſiæ Autiſſiodorenſi profutura convertit. Nam ex his quos in Monachos ab eâdem recepit, plures in Epiſcopos Autiſſiodorenſes procreavit, quos inter aut primus aut inter primos cùm doctrinâ tum ſanctitate apud omnes eminet S. Aunarius, qui S. Vvalaricum Benedictinum Aſcetam in ſuorum Monachorum cœtum admiſit, quique primum Autiſſiodorenſe Concilium de octo Benedictinorum Abbatum ſententiâ celebratum, multâ ſui apud poſteros commendatione, coëgit. Hunc Sanctiſſimum virum ex ordine ſequuntur. S. Palladius, S. Tetricus, B. Quintilianus, S. Heribaldus,*

a. Vicus in quo S. Romanus Cœnobium ſuum ædificavit vocatur Gallicè DRVY à Druidarum, ut volunt, templo ibidem antiquitus conſtructo.

S. Abbo, B. Chriſtianus, B. Hugo de Monte-Acuto, & alii quamplurimi quos innominatos prætereo, quia ejuſdem Baſilicæ, aut non fuerunt alumni, aut in Sanctorum albo ſcripti non fuêre: abs re tamen non erit ſi dixero horum omnium ſanctorum in ſedem S. Germani ſucceſſionem tanti æſtimatam fuiſſe, ut Epiſcoporum electiones in ædibus ejuſdem Baſilicæ Sancti Germani deinceps multo tempore fuerint habitæ; adeo ut ab iiſdem temporibus in morem abierit, ut Epiſcoporum nullum Clerus & Populus ſolemni ritu in majorem Eccleſiam receperint, cui ex eadem Sancti Germani Baſilica ad ſuam Sedem prodeunti, ſplendidiſſimo apparatu celebrique pompâ non occurrerint; perinde quaſi id omnium ferret opinio quod anteceſſorum pietas ex eodem loco manaret in poſteros.

Ea ſunt, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *quæ me hujus ſanctuarii Cuſtodem ad te modò currentem recreant & erigunt, certus quod ſolitâ Tibi benignitate Sancti Germani & tot aliorum Sanctorum alumnum pro eorum gloriâ ſcribentem, tuis conſiliis, auctoritate & protectione juvabis.*

Jam aliàs hanc Gallicanam Benedictinorum propagationem adornaveram, ſed ne Te majoribus curis detentum interpellarem religio fuit; ab ipſis enim tui Apoſtolatûs initiis à ſolemnibus Burgundiæ Comitiis delectus, totius Provinciæ per triennium, curam tibi pari omnium Ordinum conſenſu & approbatione commiſſam ſummo Provinciæ bono cepi-

ſti ; eodemque ferme momento per Senonenſis Provinciæ Clerum ad majora vocatus, ad ſolita totius Cleri Gallicani Comitia quaſi raptus, Pariſios nullâ interpoſitâ morâ progredi juſſus, celeberrimo Gallicanorum Antiſtitum cœtui Concilioque affuiſti : ubi toties Regem, totius Orbis Maximum, omnium Epiſcoporum nomine verba facturus adiiſti, ut quæ ex omnium ſententiâ fuerant decreta , apud ipſum accuratiùs explicares. Eam enim de te opinionem habebat celeberrimus ille totius Orbis Gallici Eccleſiaſticus Conventus, ut iis quæ tua firmaveris oratione novum, idque maximum, auctoritatis pondus accedat. Quid enim ? Ex eâ namque Stirpe prodiiſſe Te ſciebant, quæ ſui antiquitate altiſſimis defixa radicibus in plures modo ſurculos effuſa tota floreſcit, cujus generis Princeps [a] ex Sapientiæ ſtirpe generatus *videtur , non ad modum Scipionis, cui hoc elogium ſcripſit Romanus Orator , ſed illius Patriarchæ aliorum liberatoris , cui vera ſa*pientia dedit claritatem æternam *qui ſalvavit Ægyptum ; Ægypti Regem , Regni Dominum fecit, ditavit, opulentiſſimum & potentiſſimum reddidit : cujus ad inſtar Magnus ille COLBERTVS omnium ore celebratus eâdem ſapientiâ clarus Maximi Regis Adminiſter & ab ejus Secretioribus mandatis , Galliæ Regnum bonarum artium cultu & negotiatione Terrâ Marique ſuſceptâ florentiſſimum reddidit ; & ærarium tantum effecit , ut belli nervis in longiſſimum tempus comparatis , Regis ho-*

[a] Cicero De Claris Orat.

Sapientiæ x. v. 14.

ſtibus terrorem incuſſerit, ſociis & fœderatis de annuâ mercede recipiendâ certiſſimis amicitiam firmaverit, ſtipendiorum certâ ſolutione militem ſti-lerit; exercitus commeatu aliiſque rebus neceſſariis inſtructos & ad quidvis audendum expeditos comparaverit; quibus Ludovicus Magnus, Regum Maximus, Imperii fines tantos habuit quantos optavit, & hoſtes cum voluit ad pacem quam ultrò conceſſerat accipiendam coëgit. Cætera tanti viri facta præclara & glorioſa, ut pote notiſſima, ſileo: & ne Epiſtolæ limites prætercam aliorum etiam ejuſdem familiæ virorum illuſtrium memoriam invitus premo, licèt eorum alii Regi ſint à ſanctioribus Commentariis & à Conſiliis; alii verò inter ſuperiorum Curiarum Præſides, inter exercituum regiorum generales Legatos, inter rei judiciariæ & ærarii Provinciarum Præfectos, demùm (quod majus eſt) inter Eccleſiæ Principes fuerint numerati; & eo numero fuerint omnes, ut nullius genus, nullius ſtrips, nullius agnatio uno eodemque tempore tot ejuſdem nominis & familiæ præclaros viros habuerit, qui ſub uno eodemque Rege, Majoribus functi Sacerdotii & Imperii muneribus floruerint: adeo ut mihi cum Oratore Romano.[a] exclamandum videatur. O generoſam ſtirpem & tanquam in unam arborem plura genera: ſic in iſtam domum multorum inſitam atque illuminatam ſapientiam!

[a] Cicero ubi ſupra.

Sed ut ad Teipſum redeam, ILLUSTRISSIME

Eccleſiæ Princeps, *à publicis curis cum modò vaces & tuæ redditus Eccleſiæ eam integrâ & diu quæſitâ libertate inſpicias, viſites, tuearis & foveas, ad Te eò liberius accedo, quò liberius meis elucubrationibus legendis interdum potes adeſſe: certus, quòd ſi eâ benevolentiâ quâ me complecti ſoles eas approbaveris, Benedictinorum Ordini, meoque nomini factum ſit ſatis.*

Tibi addictiſſimus & obſequentiſſimus,
F. PHILIPPUS BASTIDE M. B.

AD LECTOREM

AD LECTOREM ANTIQUITATIS TENACEM ET STUDIOSUM,

PRÆFATIO.

✝IOAN. MARIA. CARD. GABRIELLIUS

I. ANTEQUAM totius operis ſcopum attingam, monendus es Benevole Lector, me, vivente Cointio Annaliſtâ Francorum, in eumdem ſcripſiſſe, ut ex hujus libri lectione notum evadit: Sed cùm idem Auctor longiorem ſibi vitam, nobiſque plures iterum Annalium tomos promitteret, & in iis ſe Diſſertationi meæ, quam anno Chriſti 1672. edideram, facturum ſatis; & ipſius argumenta eaque maximè, quæ ex capitularibus libris Caroli magni deſumpta fuerant enodaturum poſteriores Annalium tomi ab eodem anno conditi ſponderent: Octavi tomi proximam editionem quam ſub vitæ finem vir doctiſſimus adornabat, expectandam volueram, ut unâ eademque libri ſcriptione effugia cuncta ab ipſo conficta, aut confingenda ſemel & in perpetuum præcluderem: in eo namque tomo vel nunquam Cointium promiſſi ſui ſummam completurum ſperabam. Sed cùm nulla deinceps ſit expectanda Cointiana reſponſio, aut argumentorum meorum explanatio, conceptum opus in vulgus emitto, quibuſdam priùs ex eodem eraſis, quæ in vi-

ventem Auctorem non in mortuum dici debebant. His poſitis jam diù meditatam præfationem ponamus.

Cointianæ reſponſiones in Diſſertationem de Propagatione Ordinis S. Benedicti referuntur & refelluntur.

II. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio ſuprà milleſimum, vir doctiſſimus Carolus le Cointe Trecenſis, Congregationis Oratorii Preſbiter, Annalium Francorum mole notiſſimus, quinto Annalium tomo, ut ſuam de ſancti Benedicti Ordine ſententiam firmaret, eam, quam de antiqua ejuſdem Ordinis Propagatione diſſertationem edideram, multis expendit: Idque præſtitit, arte quidem novâ, ſed ad reſpondendum facillimâ: Nam quædam diſſertationis capita in futuros Annalium tomos examinanda rejecit; aliorum propoſitas difficultates ne quidem attigit, perinde quaſi ad eam quæ inter nos vertebatur quæſtionem nullo modo pertinere viderentur. Quantùm verò ad alia quibus reſpondere noluit, rem aliò vertit, & collectum rationum robur diſſimulat.

Argumentum ex Capitularibus Caroli Magni in aliud tempus examinanda rejiciuntur à Cointio.

III. Capitibus primo, ſecundo & tertio diſſertationis ex Conciliis ſub Pipino Rege, Carolo Magno, & Ludovico pio coactis, & ex ejuſdem Caroli Magni inquiſitionibus capitularibus anni 811. cap. 11. ſolam ſancti Benedicti Regulam ab omnibus Galliarum Monachis, ſæculis octavo nonoque ſuſceptam probare tentavi. Sed cùm doctiſſimo viro id argumenti acceptum non eſſet, illud in aliud tempus ſibi magis idoneum, diſcutiendum rejecit. *De Ludovici pii*, inquit, *Caroli magni & Pipini principatu diſſeremus infrà, rerum per illa tempora geſtarum, idoneam narrationem propriis inibimus locis; examinabimuſque Baſtidi ſcripta quæcumque ad Annalium noſtrorum materiam ab incunte Pipini Regno ad obitum uſque Ludovici pii, ſive ab anno Chriſti 752. ad annum Chriſti 840. pertinere videbuntur.*

ad an. 751. n. 118.

Eodem modo reſpondet argumento ex Regula ſancta aut ſanctorum Patrum petito.

IV. Eodem modo Cointius capita ſeptimum & octavum diſcuſſit, in quibus pluribus allatis auctoritatibus, probaveram ſancti Benedicti Regulam ſæculis ſeptimo & octavo, modò Regulam ſanctam, modò Regulam ſanctorum Patrum vocatam eſſe, eoque nomine ſolam fuiſſe nobilitatam. Cùmque iis tem-

poribus Regula ſancta, ſeu Regula ſanctorum Patrum per Gallias omnes floruiſſe conſtaret, conſequens eſſe putaveram Regulam ſancti Benedicti per eadem ſæcula in Gallias omnes diffuſam: Sed cùm eæ probationes Cointio clariores viderentur, futurorum ſæculorum obſcuritate involvendæ fuerunt. *Hujus capitis pleræque probationes*, inquit ibid. n. 128. *quia ſeptimo ſæculo recentiores, extra cancellos ſunt noſtræ diſputationis.* Et num. 124. *Hujus quoque capitis multæ probationes ſeptimo ſæculo recentiores ſunt, nec ad noſtram diſputationem pertinent.* At bonâ tanti viri veniâ dicam, quòd præcipui Auctores à me laudati, qui de Regulâ ſanctâ, aut de Regulâ ſanctorum Patrum loquuntur, aut ſuperiores aut æquales ſeptimo ſæculo vixere; quos inter ſanctus Benedictus & Abbas Fundenſis ſexto ſæculo, ſanctus Audoënus Rothomagenſis ſanctus Nivardus Remenſis, Bertefridus Ambianenſis, ſanctus Drauſcio Sueſſionenſis, ſanctus Eleutherius Veſtſaxum Epiſcopus, Clotharius III. Francorum Rex, Auctor vitæ ſancti Præjecti ipſi æqualis, & Auctor vitæ ſancti Vandregiſili ipſi quoque coætaneus ſeptimo ſæculo floruêre: Quibus adjungendus Aigradus Fontanellenſis in vitâ S. Anſberti, qui cùm ab Adverſario in eamdem quæſtionem laudatus fuerit, à nobis etiam in opinionis noſtræ teſtem & deffenſorem poteſt adduci. Horum verò Auctorum teſtimonia, nullo unquam tempore opportuniùs poſſunt expendi, quàm cùm de iis temporibus agitur, quibus vixere. Sed hæc teſtimonia maturè ponderari ab Annalibus non potuêre.

V. Eâdem facilitate ultimum diſſertationis caput quâdam ex parte expediunt Annales. *Suo quoque tempore*, inquiunt, *cùm ſeries rerum à nobis id poſtulabit, ex aliis ſcriptoribus oſtendemus uniformem tandem traditum cunctis Monaſteriis, tàm viris, quàm ſanctimonialibus fæminis ſecundùm Regulam ſancti Benedicti incommutabilem morem, nihil per antceſſum hìc dictum volumus.* At hìc quoque, cùm doctiſſimi viri Cointii licentiâ, dicam ſeriem rerum in Annalibus tractatarum ab anno 751. ad annum 828. id poſtulaſſe, ut tomo 6. vel 7. ſtaret promiſſis, & his reſ-

Premit Cointius argumenta ex Capitulis Caroli M. petitis.

ponderet, quæ ex variis Conciliis ſub Carolo magno & Ludovico pio habitis, quæ ex vitâ & ſcriptis ſancti Benedicti Anianenſis Abbatis, quæque tandem ex Auctoribus ſæculo ſeptimo ſuperioribus, æqualibus & inferioribus laudaveram, ut probarem Benedictinam Regulam iiſdem ſæculis ab omnibus Gallis Monachis receptam; vel ſaltem nobis interpretaretur capitulum undecimum Capitularis primi interrogationum Caroli Magni anni 811. quo jubet ut inquiratur *de converſatione Monachorum, & utrùm aliqui Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam ſancti Benedicti obſervarent. Inquirendum etiam, ſi in Galliis Monachi fuiſſent, priuſquàm traditio Regulæ ſancti Benedicti in has Provincias perveniſſet.* Hac enim inquiſitione opinari videtur doctiſſimus Imperator, non modò nullos Monachos in Galliis ab eo tempore, quo ſanctus Maurus Benedictinam Regulam ibidem docuit, Benedictinorum diſſimiles extitiſſe; ſed nec eſſe potuiſſe. Etenim, hanc inquiſitionem nec fieri juſſiſſet, nec permiſiſſet, ſi iis temporibus quibus Galliis omnibus præfuit, aliquæ Regulæ fuiſſent præter Benedictinam admiſſæ; aut ſi doctiſſimi eorumdem temporum viri alias Regulas, unam aut multas ſeptimo, & ſub exitu ſexti ſæculi floruiſſe noviſſent. Quæ cùm ita ſint, liceat nobis cum Carolo magno, cumque iis viris qui ipſi erant à conſiliis, ſolam Benedictinam Regulam à Monachis Gallis exeunte ſexto ſæculo, totoque ſeptimo, octavoque ſervatam fateri, in eâque opinione tamdiu manere, quamdiu vir doctiſſimus Cointius aut alii certis & indubitatis argumentis ſuperiorumque auctoritatum ſolidâ refutatione ab eâ nos ſententiâ non eduxerint.

Capitulare interrog. n. 12.

Brev. Capit.

Statuitur triplex Regularum differentia.

VI. Undecimo capite ex ſancti Benedicti, & ex aliis Auctoribus triplex ſtatuitur Regularum differentia: Quarum prima à Doctorum Eccleſiaſticorum ſcriptis, aut à Sanctorum exemplis non diſtinguitur; ſecunda ſumitur pro verâ vivendi normâ viris & virginibus impoſita; & tertia ex Conſtitutionibus conſtat, Inſtitutis, conſuetudinibus, & cæteris hujuſcemodi obſervantiis, quibus elucidatur, & determinatur principalis Regula. Cui Re-

gularum diſtinctioni hæc tria aut quatuor verba Annales opponunt. *Hæc Regularum diſtinctio ad noſtram diſputationem nullo modo pertinet; ſed Baſtidus viam ſibi ſtravit ad duodecimum Diſſertationis caput.* Immò uerò hæc Regularum addita diſſimilitudo, & earum unius ad alteram ordo, ad noſtram diſputationem tota pertinet: Siquidem eò præcipuè tendunt omnes Cointiani hac de re conatus, ut probent ſanctum Columbanum, veram propriéque dictam Monachorum Regulam condidiſſe. Perinde, quaſi hæc eſſet quarumcumque Regularum natura, ut alteri Regulæ ſubjici non poſſint. Cùm econtrario ex ſuprà poſitâ diſtinctione conſtet unam, aut etiam plures Regulas alteri ſubjici potuiſſe, ut patet ex Benedictinâ vivendi lege, quâ per Decanos conſtituta Regula in omnibus Benedictinorum Cœnobiis ſe habet vice ſecundariæ legis, ad quam pariter aſtringuntur omnes Aſcetæ.

Ea differentia multùm conducit ad Diſſertationem roborandam.

VII. Hac viâ, ſeu hac poſitione diverſarum Regularum, quarum una ſit ſuperior, inferiores aliæ viam planam ac certam mihi ſtravi ad duodecimum Diſſertationis caput, ubi iis auctoritatibus, quæ nec violentis abraſionibus perturbari potuerunt, cœnobialem ſancti Columbani Regulam per modum appendicis cum Benedictinâ conjunctam probavi: quibus id tantùm reponunt Annales. *Baſtidus egregiè ſe munitum putat quatuor auctoritatibus, Emmonis Archiepiſcopi Senonenſis in privilegio pro Monaſterio Senonenſi, Drauſcionis pro Monialibus Sueſſionenſibus, Bladegeſili . . . in cartâ de fundatione Monaſterii Foſſatenſis, & ſancti Eligii in cartâ pro Cœnobio Solemniacenſi: Sed in his quatuor inſtrumentis, in quibus nomen ſancti Benedicti cum nomine ſancti Columbani conjunctum reperitur, ſancti Benedicti nomen abradendum non ſemel probavimus.* Sed, quæro, quânam ratione tot abraſiones finguntur? Si namque ibidem tantùm adhibendæ ſunt, ubi S. Benedicti nomen cum S. Columbani nomine conjunctum reperitur, nullis abraſionibus in laudatis auctoritatibus S. Benedicti nomen deleri poterit, cùm in nullis earum S. Columbani nomen conjunctum habeat; ſed eædem auctoritates id ſolum ſcriptum habeant, *Quòd Monachi S. Petri*

Abraſiones Cointianæ inutiles probantur.

vivi Senonenſis ſub Regulâ ſancti Benedicti & modo Luxovienſi. . . . deſiderant conſiſtere ; quòd Moniales Sueſſionenſes debeant militare ſecundùm Regulam ſancti Benedicti ad modum Luxovienſis Monaſterii ; quòd Foſſatenſes, ſub Regula ſancti Benedicti ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Domino Chriſto valeant famulari. Immò à totâ Foſſatenſis Monaſterii chartâ, & à diplomate Clodovæi II. eidem Monaſterio conceſſo, de quibus Annales ad annum 638. n. 124. ſancti Columbani vocabulum, & ipſius Regulæ nomen penitùs abeſt. Quapropter ſi ſancti Benedicti nomen eraſeris, nullius legiſlatoris, nulliuſque Regulæ veſtigium reſtabit, ſub quibus Monaſterium Foſſatenſe fuerit ædificatum : His adde, quòd nulli ſcriptori licitum arbitror, ut chartas quarum exemplaria totis ſæculis decem per totum orbem nulla ſui varietate reperta fuerunt, ad arbitrium immutandas definiat.

VIII. Accedit hùc, quòd hæc verba *ſub Regulâ ſancti Benedicti & modo Luxovienſi, ſecundùm Regulam ſancti Benedicti ad modum Luxovienſis Monaſterii, ſub Regulâ ſancti Benedicti ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſteri*, palàm oſtendunt, Regulam ſancti Benedicti in Sueſſionenſi, Senonenſi, & Foſſatenſi Monaſteriis ſervatam fuiſſe ad modum & ſimilitudinem Luxovienſium Monachorum, id eſt, ſecundùm ſtatuta in Luxovienſi Monaſterio ſervata, quæ nulla fuerunt, præter ea quibus S. Columbani Regulam conſtare monſtravimus.

XI. Tandem, ſi bonâ fide Cointius diſputare voluiſſet, meque & alios plures à noſtris opinionibus deducere, rationibus, quæ ex ſancti Columbani Regulâ laudaveram debebat occurrere, tùm nos docere ex eâdem Regulâ, eamdem iis partibus conſtare, quibus eſſentialiter unaquæque principalis norma Monaſtica conſtitui debet, ut viris & fœminis proponi poſſit : Eaſque leges præſcribere, quæ præcipua Monachorum munia præfiniant. Tùm his omnibus peractis, non abraſionibus, quæ nullam unquam fidem fecêre, ſed aliis auctoritatibus, meiſque firmioribus decertare debebat ; quæ quamdiù non præſtiterit, probatum manebit Regulam ſancti Benedicti, ſancti Co-

lumbani Regulâ temperatam, in Luxovienſium aliorumque ejuſdem inſtituti Aſceteriis receptam fuiſſe.

Quantùm ad quatuor illas Regulas, quas ex Auctoris decimi ſæculi textu ſeptimo ſæculo in Galliis florentiſſimas dixerunt Annales; eas infrà capite 14. graviſſimis & firmiſſimis rationibus, nec ullo modo floruiſſe, nec eumdem textum ab Annaliſta citatum ipſius opinioni favere docebo. Intereà virum doctiſſimum, tandem aliquando in Diſſertationis caput ultimum diſputantem audiamus.

X. Ultimo capite nullam Regularum aut Monaſticorum Ordinum mutationem à ſæculo ſexto, ſeu à Benedictinarum legum ſuſceptione ad uſque ſæculum nonum contigiſſe, ſolidè ni fallor oſtendi. In oppoſitum tamen Annaliſta Francorum auctoritatibus & inductionibus meis omiſſis, aſſertivè in hunc modum definit. *Anno Chriſti 743. habita in Carlomanni majoratu Synodus Germanica,* „ *cujus can. 16. ſtatuitur:* Ut Monachi & ancillæ Dei Moniales juxta Regulam ſancti Benedicti Cœnobia vel „ Xenodochia ſua ordinare, gubernare, & vivere ſtudeant, & vitam propriam degere ſecundùm prædicti „ Patris ordinationem non negligant. *Anno proximo in eodem Carlomanni majoratu celebrata Synodus Liptinenſis, in quâ communi conſenſu canones Synodi Germanicæ recepti* „ *ſunt & approbati*, imprimis Abbates & Monachi primò receperunt Regulam S. Benedicti ad reſtaurandam „ normam Regularis vitæ. *Priùs igitur quàm Concilia Germanicum & Liptinenſe congregarentur erant Abbates & Monachi, qui propriam retinebant, ſervabantque Regulam quam profeſſi fuerant, à Benedictinâ diſtinctam; prædictarumque Synodorum Patres accipi debent pro graviſſimis Auctoribus, qui plæraque Monaſteria rejectis quas antea profitebantur Regulis, ad Benedictinam acceſſiſſe teſtantur.* Hactenus Annales, qui ut rectè concludant, ponere debent, & reipsâ ponunt, omnes Abbates & Monachos, qui ad reſtaurandam normam Regularis vitæ, receperunt Regulam ſancti Benedicti in Conciliis Liptinenſi & Germanico, ante eadem Concilia aliis addictos fuiſſe Regulis à quibus receſſêre, ut totos Benedictinæ ſe darent; aliàs concluſio eorum eſſet erronea.

Synodi Liptinenſis & Germanica explicantur à Cointio.

Sed non ex Synodorum ſenſu.

XI. Secundò, pro certo volunt haberi, contra principia Cointiana, eos ſolos Abbates & Monachos à monaſticis inſtitutis aberraſſe, qui ſancti Benedicti Regulam non ſequebantur; deque iis ſolis reformandis in Conciliis actum fuiſſe, de iis nempè qui Benedictinam Regulam ad reſtaurandam normam Regularis vitæ receperunt; de Benedictinis verò minimè, cùm de ipſis nullum reformationis decretum fuerit editum, ſaltem ſecundùm Annales, qui volunt eos Abbates, *qui receperunt S. Benedicti Regulam ad reſtaurandam normam Regularis vitæ*, ante Concilia Germanicum & Liptinenſe non fuiſſe Benedictinos, ſed aliis addictos Regulis, quod, quàm longè recedat à vero, videant lectores, videat ipſe, qui ex tam falſis principiis ſuam concepit opinionem. Nam ubinam legit, nullos Abbates Benedictinos ſuprà dictis Conciliis interfuiſſe? ubinam legit eorum nullos à rectà Regulæ ſuæ vià declinaſſe? ubinam tandem legit, alienis à Benedicti Inſtituto Monachis impoſitam fuiſſe Benedictinam Regulam, ut ad normam Monaſticam in integrum reſtituendam compellerentur; nullam verò Benedictinis Monachis fuiſſe poſitam? An fortè S. Bonifacius Germanorum Benedictinus Apoſtolus Benedictinorum oblitus, eorum nullum in Concilium admiſit & extraneorum tantùm curam ſuſcepit? Nam ſi omnes Abbates & Monachi, qui Germanicæ & Liptinenſi Synodis affuerunt, quique Benedictinam Regulam ad reſtaurandam normam Regularis vitæ receperunt, antequàm ad eaſdem Synodos accederent, promiſſam eamdem Regulam non habuerunt, ſequitur nullum Monachum Benedictinum interfuiſſe Conciliis, nullaſque leges de iiſdem reformandis à Patribus datas.

XII. Quòd ſi reſpondeat Adverſarius, omnes omninò Monachos, tàm Benedictinos quàm alios recepiſſe Benedictinam Regulam: Jam pro certo manebit ex receptione Benedictinæ Regulæ in Synodo factà non ſequi, Monachos qui eam receperunt non fuiſſe Benedictinos. Immò, cùm unaquæque res per ea potiſſimùm in integrum reſtituatur, per quæ primò fuit inſtituta; fateri debemus

bemus eos omnes Abbates fuiſſe Benedictinos, qui ad reſtaurandam normam regularis vitæ, Benedictinam recepiſſe videntur. Accedit hùc, quòd ex ſancto Bonifacio una eademque ſit Regula ſancti Benedicti, & norma Regularis vitæ, à quâ defecerant Monachi antequàm Germanica Synodus cogeretur, & ad quam per eamdem Synodum revocati fuerunt. *Statuimus*, inquit S. Bonifacius Cutberto Doroberniæ Epiſcopo de eâdem Synodo ſcribens, *ut per annos ſingulos Canonum decreta, & Eccleſiæ jura, & norma Regularis vitæ in Synodo legantur & recuperentur.* Quo decreto patet, quòd eædem leges à quibus defecerant Clerici & Aſcetæ quilibet, iterùm imperatæ fuerint à patribus; & ut in Synodo legerentur, mandatum. At conſtat ex textu ab Annaliſtâ n. 8. laudato, aliiſque inferiùs laudandis in iiſdem Conciliis, & in iis omnibus quæ ſub Carolo magno & Ludovico pio contigêre, ſolam recitatam Benedictinam Regulam, ut fuſiùs dicemus inferiùs. Ea ergo ſola fuit à quâ defecerant omnes Aſcetæ, ſolaque cujus redintegratio mandata fuit: Non enim per Benedictinam Regulam redintegratur niſi quod ab eâ defecerat. Hæc eadem quæſtio uberiùs illuſtratur capite 17. ſequenti.

Tom. 5. An. ad an. 743. num. 59.

XIII. Ex his omnibus ex Annalibus Cointianis tàm fuſè laudatis, in quibus tota ferè opinionum noſtrarum difficultas verſari videtur, ſatis apparet quid de cæteris conatibus Cointianis opinari debeamus; in iis enim ſedandis nullâ laborarem difficultate, ſi difficultatis nodum Annaliſta voluiſſet attingere, eumdemque expedire tentaſſet. Eaproptèr primò decreveram reſponſionis loco meam Diſſertationem iterato prælo tradere, ratus eamdem novitèr editam pleniſſimè adverſariis conatibus nullius novæ rationis ope quæſitâ ſufficere.

XIV. Verùm cùm res mihi ſit cum eo viro quem plurimi facio, quemque à præconceptarum opinionum umbris ad veritatis lucem traducere peroptarem, aliter mihi agendum eſſe credidi, totamque controverſiam novis ut plurimùm mediis quaſi ex integro renovaturus novo opere, XIX. Capitibus conſtante, meam Diſſertationem ſuſten-

tabo, & ut Cointianis opinionibus ex ordine faciam ſatis, & rerum geſtarum ſeriem ſequar, à primâ Benedictinæ Religionis origine exordium ſumam, primoque Capite paucis quanta fuerint ejuſdem propagationis per Eccleſiam Romanam, initia narrabo. Secundò, quantæ fuerint ejuſdem Ordinis Gallicæ propagines per ſanctum Maurum excultæ docebo. Tertiò, ſanctum Columbanum ſancti Mauri in propagandâ Regulâ ſucceſſorem, & ejuſdem Regulam, leges, inſtituta in Benedictinæ Regulæ ſupplementum compoſita pluribus oſtendam. Quartò, eorum opinionem impugnabo, qui dicunt ſuperioribus octavo ſæculis omnes Monachos omnibus pariter Regulis obligatos; & docebo, Benedictinam ab aliis ſeparatam floruiſſe, & diverſum ab aliis omnibus Ordinem conſtituiſſe. Quintò, eos pariter aggrediar, qui quatuor, aliaſque plures in Galliâ Regulas ſæculo ſeptimo vulgatiſſimas dixerunt. Sextò, Benedictinam Regulam ſolam à Gallis Monachis ſæculis octavo nonoque ſervatam, exploſis penitùſque rejectis Adverſariorum opinionibus, probabo. Septimò, ſancti Benedicti Regulam omnium Regularum perfectiſſimam abſque alterius cujuſque adminiculo Monachis ad ultimam perfectionis Monaſticæ metam ducendis perquàm idoneam, ratione, exemplis & auctoritate manifeſtiſſimum faciam. His omnibus diſſertatiunculam addam quâ probem contra Cointianam opinionem diplomata plura, cartaſque multas poſteriori tempore non modò approbatas, ſed & ſubſcriptas fuiſſe, perindè quaſi uno eodemque momento eædem omnes ſubſcriptiones primariis chartis fuiſſent appoſitæ. Ultimò tandem, eam ipſam Diſſertationem quam diluere tentavit Adverſarius noſter, iterùm edendam curabo; cùm ut videat lector, quàm fruſtrà Cointius ipſam invaſerit, quæ ſe ſuis ponderibus ſtantem illæſam, & ut ita dicam, ſemper intactam ſuſtentat, tùm ut idem Lector uno eodemque intuitu eam omnem controverſiam, quam contra nos movit Annalium Auctor, advertat & videat quàm neceſſariò ineunda fuerit Ordinis Benedictini defenſio, qui magnâ ex parte periiſſe videretur,

Totius operis delineatio.

niſi Benedictinorum album multùm per Cointium imminutum, iterùm in integrum reſtitutum appareret. Quæ cauſa ſi defuiſſet, nunquàm Cointianos Annales improbandos ſuſcepiſſem; ſed mihi ſoli ſcripſiſſem, ut aliàs ſæpè.

XV. Licèt enim plura hactenùs opuſcula ſat multis occupationibus detentus à viginti & ſeptem annis ediderim, nullius tamen recentioris Auctoris ſcripta conſultò perpendi aut inveſtigavi, ut advertere poſſunt in his libris quæ de exemptione ſpirituali Monaſterii ſancti Vvallarici ſupra mare ſemel & iterùm contra Nicolaum Sueſſionenſem Monachum; de Juriſdictione verò Monaſterii ſancti Cornelii Compendienſis ſemèl tantùm compoſui: Id etiam colligent ex iis quæ de Privilegiis Clericorum, Laïcorum & Monachorum diſſerui; tùm ex aliis multis quæ variis temporibus texui de Advocatorum & Deffenſorum Monaſteriorum origine; De eorum in Monachos odio, & prædiorum occupatione; De Decimis, & earum origine apud Judæos, Gentiles & Chriſtianos; De diſcrimine quod intercedit inter doctrinam ſancti Thomæ, & recentiorum qui dicuntur ſancti Auguſtini Diſcipulorum; De Organis ex Monachorum Oratoriis eliminandis; De laude perenni ſeu de iis monaſteriis in quorum ſingulis Monachi dies ac noctes ſine ullâ vel minimi temporis intermiſſione laudes Deo canebant; De Deffenſione Congregationis ſancti Mauri Gallicè ſcriptâ; De jure ac poteſtate Monachorum in conferendis aut concedendis beneficiis unà ſimul cum Abbatibus vel iis extinctis ſede Abbatiali vacante. De diſciplinæ Regularis inclinationis Cauſâ apud Benedictinos, quâ multò plures ex penuriâ quàm ex rerum ad vitam neceſſariarum abundantiâ, à Regulâ, virtute, cultuique Divino defeciſſe probavi; quo etiam opere manifeſtum feci ex conceſſione & approbatione Regum & Imperatorum, piis Aſcetarum moribus & precibus Imperia Regnaque firmari, neque ditiores unquàm Monachos quàm par eſt extitiſſe aut futuros eſſe, quoties eo fuerunt aut futuri ſunt numero, ut neceſſariæ eis ſuſtentandis impenſæ annuos eorum reditus adæquent. Qui libri, ſicut

& alii quidam, licèt in publicam lucem non fuerint emiſſi, à pluribus tamen cùm extraneis tùm domeſticis viris evoluti, & à quibuſdam deſcripti fuère: Quæ dicta ſint ut Lectori perſuadeam, nullius recentis Auctoris hactenùs me Adverſarium aut finxiſſe aut haberi voluiſſe: Nunc verò ſolius Cointii, ut potè totius Benedictinorum Ordinis oppugnatoris, non quidem me ut inimicum oppono, ſed ut Patrum Fratrumque meorum defenſorem exhibeo; placidè tamen, ſedatèque, ut Chriſtianum Adverſarium decet, qui non ſui causâ, ſed neceſſariæ defenſionis ſoliuſque veritatis intuitu non niſi provocatus depugno.

XVI. Hìc tamen diſſimulare non poſſum, acrem nimis & injuſtam odiique plenam invectionem, quâ me tanquã læſæ Majeſtatis reum Adverſarius incuſat. Cùm enim eumdem ſæpiùs arguiſſem, quòd novâ Methodo, fiduciâ ſingulari & auctoritate nimiùm gravi antiquas Monaſteriorum Chartas abraſionibus fædare tentaret; & ab eo quæſiſſem *quid reſponſi daturus eſſet, ſi quis eadem acta, aut Monaſteriorum fundationes quarum adhibet auctoritatem ut novus extremorum Merovingicæ familiæ Regum encomiaſtes appareret: ab ipſo abraſa magnâ ex parte, aut ſaltem interpolata ſuſpicaretur aut fingeret*; in hæc verba prorupit: *Cujas ſit Philippus Baſtidus, ignoramus, quia Patriæ ſuæ nomen reticuit; valdè dubitamus hunc eſſe Francum: Quis enim in Franciâ natus atque enutritus Meroveadas Reges, quibus ignavia, ſocordia, dementia formaque pene belluina per calumniam attribuebantur, gloriæ ſuæ reſtitutos ægro ferat animo, irrideatque ſcriptorem in hac materiâ feliciter verſatum. Si Francus eſt, eò magis culpandus: Meroveadarum enim Regum contemptorem, oſorem Franciæ laudis, amatoremque fabularum ſe prodit. Domeſticus Auctor ſit an exterus, noſtrâ nihil intereſt. Monachum Benedictinum ex Congregatione ſancti Mauri ſe profitetur. Fierine poteſt, ut Aſceta Benedictinus nobis hodie ſuccenſeat, quòd Meroveadas Reges ergà Monaſticum Ordinem olim munificentiſſimos laudaverimus? An hoc illius eſt animi grati monumentum?*

Reprehenſio Cointiana rejicitur.

Ad ann. 751 n. 121.

XVII. In ea verba & in viventem Cointium, jam

olîm reſponſionem paraveram : Sed quia accuſationi in me hactenùs inſtitutæ , quam nimis acerbam & vehementem putabam, par videri poterat, eam modò deleo, brevioremque ſimul & leviorem in eumdem Cointium jam mortuum defenſionem paucis ſuſcipio ; & primò meâ non intereſſe dico , nec inquirendum volo , utrùn ſpecie tenùs In Pipinos & Carolum Martellum majores domûs tamquàm in perduelles & Regiæ poteſtatis occupatores Annales egerint.

XVIII. Neque pariter diſcutiendum unquàm volui , neque deinceps in controverſiam ponam , utrùm iidem Reges , Theodoricus ſcilicet ejuſque ſucceſſores Merovingici Reges tales extiterint quales finguntur à Cointio , aut quales dicuntur à cæteris Auctoribus qui ætate præceſſerunt Cointium, his de rebus judicent alii; dummodò nullus eorum qui apertè antiquioribus Auctoribus favent , Francicæ laudis oſor habeatur. Hos inter laudatur Mezeræus unus ex Francorum Auctoribus , qui totam Francicæ gentis hiſtoriam Gallicè ſcripſerunt. Hic in ultimâ compendii ſui editione, quæ nuper poſt ſextum Annalium tomum prodiit in lucem , longiùs ab opinione Cointianâ receſſit : Nam ad ann. 645. fatetur Clodovæum ejuſque ſucceſſores cerebro laboraſſe. Quantùm verò ad Theodoricum tertium , de eo ſic Gallicè loquitur ad ann. 687. *Quelques-uns , non ſans raiſon , finiſſent icy le regne des Merovingiens, parce qu'en effet ils n'eurent plus aprés cela que le vain titre de Roys, tout leur Royaume & leurs perſonnes même étant au pouvoir de Pepin & de ſes enfans ; il fut connu Maire du Palais dans toute la France, & il en prit le titre ou commandement des Francois , ſelon l'ancien uſage des Germains : c'eſt à dire qu'ils luy defererent toute l'autorité dans les armées ſous la dépendance du Roy, ſous le nom duquel tous les Actes ſe paſſoient , & c'étoit le ſeul honneur qui luy reſtoit.* Et ad ann. 750. & 751. ſic etiam Gallicè (quæ Gallicè referre pudet) *Demùm æquum erat & juſtum , ut poſt tot idola , & tot Reges ignavos & otio torpentes , verum ſibi Regem Francia crearet.* Neque etiam eorumdem Regum memoriæ aliquatenùs ignovit illuſtriſſi-

musMeldẽſisEpiſcopus in primâ parte Hiſtoriæ univerſalis, quã Domino Sereniſſimo Delphino dicavit, quamque typis mandavit anno Chriſti 1681. Ibi enim ad annum 589. Meroveadarum mores ad hunc modum effingit. *La Maiſon de Clovis étant tombée dans une foibleſſe deplorable, de frequentes minoritez avoient donné occaſion de jetter les Princes dans une molleſſe dont ils ne ſortoient point étans devenus majeurs. De la ſorte une longue ſuite de Roys faineans, qui n'avoient que le nom de Roy, & laiſſoient tout le pouvoir aux Maires du Palais &c.* His poſitis, quanti facienda ſit his deRegibus adinventio Cointiana mecum, agnoſcent omnes qui hos Auctores probè novêre.

XIX. Quantùm verò ad Patriam meam, eam tacui, quia ab ejus commendatione nullam mihi gloriam conciliare volo, nec tantus ſum qui credam eam meo nomine apud poſteros aliquo modo commendari poſſe. Cæterùm Francus ſum, Francicæ gloriæ plurimùm addictus; ſed adulatione remotâ (ut decet Francum) qui jura Francorum Regia, quantùm in me eſt, ad mortem uſque intemerata ſervabo, qui tandem non modò Regii nominis occupatores horreo, ſed poteſtatis Regiæ temeratores, qui hoc ſolo crimine nunquam ſatis vituperandi.

XX. Neque etiam piiſſimorum Regum, & beneficiorum ab eis acceptorum immemor aliquando futurus ſum, quos ex eo plurimùm laudo, quòd cùm armis, conſilio, directione, occupato Regno vi majore detenti conſulere non poſſent; pietate, precibus beneficiiſque in viros pios collatis, Deum Regno infenſum placare tentaverint, quorum votis Majores domus non modò non obſtitêre, ſed favêre plurimùm, ut multis exemplis probare poſſem, rati eos qui totos ſe Deo dabant perſpectâ Imperii ſibi ſumendi impoſſibilitate, nunquàm armis decertaturos ut Majores domus à clavo dejicerent, deque eorum Regum plurimis idipſum dico quod Cointius de ſolo Theodorico ad annum 721. n.37. dixit: *Eos ſcilicet à bello gerendo temperaſſe, ut civiles diſcordias caverent, quæ dubio procul orituræ, Regnumque in ultimum diſcrimen adducturæ videbantur, ſi de Pipino Caroloque diffidere vel*

tantillum teſtarentur.

XXI. Cæterùm Lectorem hîc iterùm monitum volo, me totius editionis tempore decumbente, aut variis occupationibus impedito, quædam irrepſiſſe in impreſſionem menda, quæ manu corrigenda fuère: Si qui verò alii reperiuntur defectus, ignoſcat quæſo pius Lector Typographo Latinæ linguæ penitus inſcio & inexperto. Demùm in totius operis extremâ parte paucæ quædam additiones poſitæ fuerunt, quæ nonnihil lucis meis poſitionibus afferre videntur. Quòd ſi quis in Cointii vicem velit ſuccedere & decertandi prurigine, aut aliâ quâcumque causâ me velit aggredi, id nec ego moleſtè feram: Sed cum ſimili prurigine non laborem, in aciem nullo modo deſcendam, niſi aſſertiones meæ omnes ſolidè, omni fuco ſublato, meo ſenſu, verbiſque meis fuerint explicatæ: Paratus tamen errores fateri, quos me commiſiſſe probaverint. Interìm vale Lector candidiſſime, & tuis precibus Deum mihi propitium exopta.

DOCTORUM APPROBATIONES.

LEgi Librum cui titulus eſt *Ordinis Sancti Benedicti Gallicana Propagatio, Auctore D. Philippo Baſtide Congregationis S. Mauri Monacho Benedictino.* In eoque nihil reperi fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium, Autiſſiodori die 18. Novembris 1682.

CHRESTIEN, Officialis, Archidiaconus & Vicarius generalis Autiſſiodorenſis.

ALTERA APPROBATIO.

LEgi Librum cui titulus eſt. *Ordinis Sancti Benedicti Gallicana Propagatio, Auctore R. P. D. Philippo Baſtide, ejuſdem inſtituti, Monaſterii S. Germani Altiſſiodorenſis Priore.* In eo nihil contra fidem aut bonos mores: immò ad propoſitum multa ex antiquis Scriptoribus abundè congeſta & ſapienter digeſta. Authoris Ordini per-honorifica, & Lectori valde profutura. In cujus rei fidem præſens teſtimonium ſubſignavi, Autiſſiodori die 15. Octobris 1682. F. FRANCISCUS COURTOT, Franciſcanus Doctor Pariſienſis, ex-Definitor Generalis Ordinis Sancti Franciſci & Commiſſarius Generalis ejuſdem Ordinis Provinciæ Turonicæ.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE ; A tous nos Amez & Feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlements, Maiſtres des Requêtes Ordinaires de Nôtre Hôtel, Baillifs, Senechaux, Prevoſts, Juges, leurs Lieutenants & tous autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra. SALUT ; *Nôtre Amé Dom Philippes Baſtide Prieur de Saint Germain d'Auxerre*, Religieux Benedictin de la Congregation de Saint Maur, Nous a fait remontrer qu'il a composé un Livre intitulé : *Ordinis Sancti Benedicti Gallicana propagatio.* Lequel il deſireroit faire imprimer, auquel effet il Nous a tres-humblement fait ſupplier luy accorder nos Lettres ſur ce neceſſaires. A CES CAUSES, voulans favorablement traiter ledit Expoſant, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Preſentes de faire Imprimer ledit Livre par tels Imprimeur ou Libraire, en tels volumes, marges & caracteres, ce autant de fois que bon luy ſemblera pendant le têms de ſix années conſecutives, à commencer du jour qu'il ſera achevé d'Imprimer pour la premiere fois, iceluy faire vendre, debiter, le diſtribuer dans tout nôtre Royaume. Faiſons deffences à tous Libraires, Imprimeurs ou autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Livre ſoûs quel pretexte que ce ſoit, mêmes d'impreſſion étrangere ou autrement ſans le conſentement de l'Expoſant, ou de ſes ayans cauſe, à peine de confiſcation des exemplaires contre-faits, trois mil livres d'amande payable ſans dépost par chacun des contrevenants, appliquable un tiers à Nous un tiers à l'Hôtel Dieu de Paris & l'autre tiers à l'Expoſant, & de tous dépens, dommages & intereſts, *à la charge d'en mettre deux Exemplaires en nôtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet des Livres de nôtre Château du Louvre, & un en celle de nôtre tres-cher & feal Chevallier le ſieur le Tellier Chancelier de France, de faire imprimer ledit Livre en beaux caracteres & papier, conformément à nos Reglemens, & enregiſtrer ces Preſentes és Regiſtres de la Communauté des Marchands Libraires de Paris, à peine de nullité des Preſentes.* Du contenu deſquelles vous Mandons & Enjoignons faire joüir & uſer ledit Expoſant & ſes ayans cauſe, pleinement & paiſiblement, ceſſans & faiſans ceſſer tous troubles & empêchements à ce contraire : Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre l'Extrait des Preſentes, elles ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & qu'aux copies d'icelles collationnées par un de nos Amez & Feaux Conſeillers, Secretaires, foy ſoit adjoûtée comme à l'original, Commandons au premier nôtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous Exploits & Actes neceſſaires, ſans demander autre permiſſion. CAR TEL EST NÔTRE PLAISIR. Donné à Verſailles le onziéme jour du mois de Février, l'An de Grace mil ſix cens quatre-vingt trois : Et de Nôtre Regne le quarantiéme. *Signé*, PAR LE ROY EN SON CONSEIL. JUNQUIERES.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le ſeiziéme Février mil ſix cens quatre-vingts trois, ſuivant l'Arreſt du Parlement du 6. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé du Roy, du 27. Février 1665. Signé ANGOT, *Syndicq.*

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

DE GENERALI REGULÆ S. BENEDICTI propagatione.

Ea propagatiò auctoritate Eccleſiæ Romanæ probatur, & reſponſio Cointiana reijcitur I. II. III. Quò protendatur utraque Germania explicatur. IV. Propagatio Benedictinæ Regulæ à S. Gregorio imperatur. Et antè Sanctum Gregorium longè dilatatam oſtenditur. V. Monachorum Regula dicitur. VI. Bonifacii Papæ quarti temporibus longè latèque vigebat. VII. Concilium Romanum quo Benedictina Regula fuit approbata ſtatuitur. VIII. Laudatorum hoc capite teſtimoniorum convenientia proponitur IX.

I. ORDINIS S. Benedicti primi Occidentalium Monachorum Legiſlatoris, initia Gallicana ſcripturus, à generali totius Latinæ ſeu Occidentalis Eccleſiæ auctoritate exordium ſumam: à Martyrologio ſcilicet Romano, quod à nominatiſſimis totius Eccleſiæ ſcriptoribus, diſcuſſum, & emendatum, eadem Eccleſia ſub Gregorio decimo tertio, & Urbano octavo eâ auctoritate quâ in rebus facti nulla major ſuam re & nomine fecit, & approbavit, & ut *omnes Catholici, in peragendo Divino Officio, omni alio Martyrologio amoto, eodem uterentur man-*

davit. In eo verò ad diem 21. Martii hæc leguntur. *In Monte Caſſino natalis ſancti Benedicti, qui Monachorum diſciplinam in Occidente penè collapſam, reſtituit, ac mirificè propagavit.* Qui textus ſummorum Pontificum oraculo confirmatus, Annales Eccleſiaſticos Francorum (quantum ad Ordinis Benedictini propagationem attinet) ad-modum oraculorum, antequam conciperentur, manifeſtè damnavit. Neque in eorumdem annalium defenſionem Cointius audiendus videtur, cùm ut eam auctoritatem elevet, ita loquitur ad an. 751. n. 115. *Nec Gregorius decimus tertius ejuſque ſucceſſores errarunt, quòd ſanctum Benedictum tàm præclaro paſſi ſunt Encomio decorari. Laus adeo inſignis ſancto Benedicto rectè debebatur, qui multa Monaſteria conſtruxit in Italiâ, diſcipulos in Galliam, & in Siciliam direxit, ſcriptâ priùs Regulâ; Quam temporis lapſu Cœnobia totius penè Occidentis amplexa ſunt. Falſa tamen pro veris non obtruſimus ubi præter ſancti Benedicti Regulam, alias ad octavum uſque ſæculum in Galliâ diximus obſervatas.*

II. Hujus textûs initium, & finis hoſtilem ut ità dicam hujus hominis in Benedictinos animum palam oſtendunt: primò namque ponere videtur ſancti Benedicti aut diſcipulorum ejus res geſtas, hoc elogium ipſi non meruiſſe: ſed totum prorſus ex merâ Gregorii decimi tertii indulgentiâ ipſi fuiſſe conceſſum. Quidquid verò laudis in medio textûs S. Benedicto largiuntur annales, totum illud abſumunt ultimis verbis, cum ſcilicet ſummam Benedictinæ Regulæ propagationem ad trecentos circiter annos ab obitu ſcilicet S. Benedicti, ad tempora Ludovici pii rejiciant; & ad eam ætatem in qua primò Regulæ à Benedictinâ differentes, eidem ex annalium ſcriptis, ceſſêre.

III. Ex quâ poſitione conjici datur quam verè dixerim in Diſſertationis præfatione. *Quod ſi viro doctiſſimo creditur, ſanctus Benedictus qui ſecundùm communem, & incorruptum Eccleſiæ Romanæ ſenſum, Monachorum diſciplinam in Occidente pene collapſam reſtituit, ac mirificè propagavit, vix intra ducentos fere annos à promulgatâ Regulâ in utrâque Germaniâ cis & ultra Rhenum, Galliis omnibus,*

Angliâ, Scotiâ & Hiberniâ, unum aut alterum Cœnobium per ſuos diſcipulos ædificaverit, & in nullo collapſam Monachorum diſciplinam reſtituerit: utrum vero erraverint Summi Pontifices, aut ipſemet vir clariſſimus falſa pro veris obtruſerit, lectorum judicio remitto. Si namque plures Regulæ ad annum uſque decimum ſeptimum poſt octingenteſimum, ut volunt annales, à Gallis Monachis obſervatæ fuerunt, nullumque referatur à Cointio Monaſterium, quod ab eiſdem Regulis ad Benedictinam ante ſæculum octavum, immo ante tempora Ludovici pii, tranſierit: nonne fateri cogitur S. Benedictum nec per ſe, nec per diſcipulos ſuos monaſticam diſciplinam (in Gallicanis ſaltem Monaſteriis) collapſam ullatenus ante eadem tempora reſtituiſſe. Cum vero ad annum 667. n. 7. annalium conditor ſæculo ſeptimo Regulas SS. Baſilii, Macarii, Columbani, Cæſarii, Aureliani & aliorum uſu communi in Galliis viguiſſe dixerit: eodemque tempore plurima Monaſteria *Regulam S. Columbani; per pauca vero Regulam S. Benedicti ſequuta.* Nullumque Monaſterium Benedictinum ante eamdem tempeſtatem præter Glannafolium nominet, nonne pro conceſſo ex annalibus habemus ante ſæculum octavum Benedictinam Regulam non fuiſſe mirificè propagatam, ſaltem in Galliis de quibus nobis eſt ſermo. Gaudeo tamen quòd eodem numero 106. *Me falſa pro veris obtruſiſſe dicat; & ſe ſuperioribus*, id eſt quatuor prioribus tomis *aliter de rebus Gallicis & Ordine Benedictino ſcripſiſſe*: & ſi enim, me falſi non poſſit arguere, neque id ſola negatione præſtari poſſit: id tamen commodi conſequimur, quod doctiſſimum Cointium erraſſe ex eâdem ipſius erroris negatione videamus: ſemper enim quibuſvis Authoribus licuit duobus modis à ſe erroneè dicta revocare, ſcilicet erroris conceſſione, aut ejuſdem damnatione.

IV. Cæterum quærit à me Cointius quid per Gallias omnes & utramque Germaniam intelligam: opinatur enim Gallias omnes inferiorem Germaniam complecti, meque id neſcientem (ut credit) tanquam rudem geographum ſuggillat. Reſpondeo ex Munſtero Germanorum

geographo longè eruditiſſimo, quòd Germania in ſuperiorem & inferiorem mediante Fluvio Mogono dividitur. *Inferior habet hac noſtrâ ætate. Brabantiam, Hollandiam, Haſſiam, VVeſphaliam, Saxoniam, Friziam, Pomeraniam, Pruſſiam, Thuringiam, Miſniam &c. Superior vero habet. Alſatiam, Helvetiam, Sueviam, Franconiam, Bavariam, Auſtriam, Stiriam &c.* Secundum quem Authorem, Cointium in dividendâ verâ Germaniâ multum errare videmus. Nam ex hac Munſterii diviſione, patet Germaniam inferiorem multum differre à Galliâ Belgicâ quæ apud recentiores gallos Germaniæ inferioris nomine donatur, & Flandriam, Arteſiam, Hannoniam, aliaſque provincias ſuo ſinu complectitur.

V. Non ſolâ ſummorum Pontificum auctoritate Benedictinam Regulam mirificè propagatam per S. Benedicti diſcipulos probamus: ſed etiam eorumdem Pontificum juſſu eamdem dilatatam & omnibus futuris Monachis jam ab undecim ferè ſæculis imperatam oſtendemus. *Ego Gregorius S. Romanæ Eccleſiæ Præſul*, inquit Gregorius ipſe, *ſcripſi vitam B. Benedicti, & legi Regulam quam ipſe ſanctus manu propriâ ſcripſit, laudavi eam, & confirmavi in ſanctâ ſynodo, & per diverſas partes Italiæ, & ubicumque latinæ litteræ legerentur, præcepi ut diligentiſſimè obſervarent quicumque ad converſionis gratiam acceſſuri eſſent uſque in finem mundi.* Sed etiam antequam Sublacenſe privilegium, ex quo priora verba deſumpta fuerunt conderetur, & antequam cogeretur Concilium illud in quo fuit approbata Benedictina Regula, jam longè latèque vulgatam fuiſſe Benedictinorum monaſticam vivendi normam notum evadit, ex epistola Abbatis Fundani ad Simplicianum tertium Caſſinenſem Abbatem, & ſancti Benedicti ſucceſſorem apud Caſſinum. In eâ enim refert, *omnia Monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ & aliarum provinciarum certam & rectam Regulam vivendi quam ſanctus Benedictus inſtituerat decreviſſe ſervare.*

Angelus de Nuce in Chron. Caſſ.

VI. Quamobrem dicendum oportet ante tempora Sancti Gregorii non modo per Italiam rectam Regulam vivendi, quam S. Benedictus inſtituerat viguiſſe: ſed cæ-

teras omnes Regulas ſuo lumine tantâ caligine obſcuraſſe, ut ſola vocata fuerit Monachorum Regula: perinde quaſi nulla reſtaret vivendi norma quam Itali Monachi ſervarent. Hujuſce rei teſtis eſt idem, qui ſupra, Gregorius Papa & ipſe Benedictinus qui Epiſtola 42. lib. 9. ad Urbicum. Eam quam profeſsùs erat Benedictinam Regulam, quamque Lucuſiani Monachi amplexati fuerant. *Monachorum Regulam* nullius Authoris deſignato nomine, vocat. Quia nempe hac denominatione jam per omnem Italiam pervulgata clarebat: eâque fortè de causâ S. Gregorius eamdem in vitâ S. Benedicti, *Monachorum Regulam* inſcripſit. Scripſit, inquit, *Monachorum Regulam*.

VII. Immo hæc denominatio Benedictinæ Regulæ à ſummo totius orbis Pontifice conceſſa, eademque ab eodem ſummo Pontifice latinis Monachis generali decreto impoſita, non ſolum innuit eamdem à Siciliæ & Italiæ Monachis jure quodam communi, ſed etiam à cæteris Occidentalibus eodem jure ſervatam; quapropter Bonifacius Papa quartus in Decreto Concilii Romani, cui ad annum ſexcenteſimum decimum præfuit, vocat S. Benedictum *Monachorum præceptorem almificum*, omniaque Monachis conceſſa fuiſſe definit, quæ à Benedictinâ Regulâ non prohibentur. Quæ procul omni dubio ſi Monachi omnes aut ſaltem maxima pars, Itali, Galli, Angli, & Hiſpani aliique Regulæ Benedictinæ non fuiſſent addicti, Bonifacius auſus non eſſet aſſerere: nam Benedictinis quidem à ſancto Benedicto conceſſa videri poſſunt, quæ ipſe non prohibuit. Cæteri verò qui eumdem ſanctum Legiſlatorem non habent, nec Benedictinis decretis obligantur, nec ſancti Benedicti licentiâ, ullam aſſequuntur libertatem, ut per ſe patet. Quocircà cum Bonifacius ſupra laudatus Monachorum munera, & occupationes ex Benedictinis decretis definienda voluerit, dicendum videtur quod ejuſdem ſummi Pontificis temporibus, ætateque ſuperiori Monachi omnes aut pene omnes Patriarchatûs Romani eiſdem Benedictinis legibus parêre tenebantur. Alias nulla fuiſſet Pontificia concluſio, nec ejuſdem decretum firmo fundamento niteretur.

VIII. Hanc Romanam S. Gregorii Synodum, in gratiam Benedictinæ Regulæ celebratam Baronius refert, ad an. 595. Eamdem quoque laudaverunt plures alii, quos inter, Hæftenus lib. 2. diſquiſit. tract. 5. Mabillonius diſſert. de Mon. S. Gregorii, eamdemque firmat uterque auctoritate Concilii Duziacenſis anni 874. & eamdem etiam admittit Patricius Flemingus diſſert. contra Benedictinos & Auguſt. de S. Columbani profeſſione §. 4. n. 69. Alia vero variorum Authorum, in eamdem aſſertionem effata; hìc lubens ad alia properaturus omitto.

IX. Interim tamen videamus quam aptè & congruenter ſuperiora ſummorum Pontificum de promulgatione Benedictinæ Regulæ teſtimonia, hìc proferantur, ſibique invicem bene cohæreant. Abbas enim Fundanus omnia Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ & aliarum Provinciarum Monaſteria, ad Benedictinos antequam S. Gregorius magnus Eccleſiæ Romanæ præeſſet, acceſſiſſe teſtatur. Ipſemet S. Gregorius eo lumine quo totam luſtrabat Eccleſiam, S. Benedicti Regulam, *diſcretione præcipuam*, ab ipſo vocatam, ſuis aliorumque moribus probatam, aliorum Legiſlatorum legibus jure prætulit, tum novo, & hactenus inaudito decreto eam firmavit, omnibuſque futuris Monachis ſuaſit, ut eamdem Regulis omnibus anteponerent, idque fecit nulla antiquarum Regularum poſitiva damnatione, nullâ coactione, nullâ cujuſque mandati neceſſitate, ſed approbatione, æſtimatione, & ipſius doctrinæ manifeſtatione. Uno verbo eâ commendatione quâ morum Regulæ, à liberis, nulliſque votis ligatis hominibus proponi poſſunt, & ab eiſdem libenter aſſumi. Quibus mediis adeò invaluit Benedictinus Ordo, ut Bonifacius Papa quartus omnes Latinos Monachos uni Benedictinæ Regulæ, jam à longo tempore deditos æſtimaverit, & ex ejuſdem præſcripto eorumdem munera, Eccleſiaſticam ſimul & Monaſticam vivendi rationem fuerit moderatus, ut modo diximus & pluribus infra dicturi ſumus. Quibus auctoritatibus ſi Gregorii decimi tertii, & Urbani VIII. Decreta de condendo Martyrologio Romano, ſeu de eodem confirmando, & ab

Eccleſiâ recipiendo iterum addideris, quid reſtat, niſi ut dicamus novos recenteſque ſummos Pontifices, ſimul & antiquos, in eam opinionem veniſſe ut crederent ſanctum Benedictum, *Monachorum diſciplinam in Occidente pene collapſam reſtituiſſe & mirificè propagaſſe* non quidem intrà ducentos aut trecentos circiter annos ab ipſius obitu; ſed aut eodem vivente aut ſaltem pauciſſimis poſt ejuſdem obitum annis.

CAPUT SECUNDUM.

SANCTVS MAVRVS

Præcipuus Benedictinæ Regulæ per Galliam propagator.

Regula S. Benedicti ab aliis quam à S. Mauro in Galliam delata, ſed miſſionis S. Mauri fructus multò uberiores prænuntiantur. II. Prophetiæ eventus Leonis Oſtienſis & S. Odilonis auctoritate declaratur III. Id etiam colligitur ex inſcriptione Caſtrenſis Eccleſiæ, & Caroli magni interrogatione capitulari. IV. V. VI.

I. BEENEDICTINÆ Regulæ propagationem ad Gallos Monachos perveniſſe, & per Gallias longè latèque ſæculo ſexto diffuſam fuiſſe, ex ſuperiori capite, & ex variis Authoribus conſtat; antequam enim per *Sanctum Maurum* in Orbem Gallicum, hæc eadem Regula deferretur, jam per alios illò devenerat, & quædam ejuſdem Regulæ capita quibuſdam in locis ſervabantur, ut in impugnatâ diſſertatione cap. 15. ex vitâ S. Eugendi pluribus obſervavi. Quidam etiam Galli Monachi ejuſdem ſervandæ cupidi, Italica Monaſteria ad eamdem addiſcendam adière, quos inter extitit S. Leobardus, qui (ſi Coccio, ex veteribus Cellæ Leobardinæ membranis ſcribentis fi-

des habeatur) S. Benedicti diſcipulus fuit, primuſque Benedictinas leges in Germaniam intulit, & Monaſterium juxta tabernas Alſaticas condidit. S. Martinus Vertavenſis Abbas eodem deſiderio Italiam peragravit, Benedictinum inſtitutum didicit, illudque plures inferioris Neuſtriæ & Britanniæ Gallicanæ Monachos docuit. *Ex hujus ergo loci* (Vertavenſis Monaſterii,) inquit Author ipſius vitæ apud Mabillonium ſæc. 1. Benedict. p. 685. *Sancto Contubernio......... tanta eruperunt examina, ut mirum in modum tota ex eorum coadunatis floribus flagraret Neuſtria..... adeò ut trecentenus vinceretur numerus, quibus omnibus Regulæ beatiſſimam ſtatuit normam, quam ſatis arduam, & diſcretionis cenſurâ præcipuam, olim ipſe à tranſalpinæ Regionis partibus fertur detuliſſe.* Benedictinam ſcilicet quæ à S. Gregorio Papa omnium Regularum diſcretione præcipua, nominata fuit. Quamque S. Martinus Monaſticæ converſationis initio in Italiâ coluit & in Gallias detulit antequam ad Diaconatum promoveretur, & Concionatoris ſubiret officium.

II. At ſub S. Mauro non una tantum, aut altera Galliarum Provincia, ſed omnes prorſus, Ordinis Benedictini primordia in immenſum multiplicanda ſuſcepêre. Id teſtari videtur Divinum Oraculum quo S. Benedicto mœrenti propter Cladem Caſſinenſi Monaſterio imminentem, Caſſinenſis reſtauratio, & ejuſdem Ordinis in exteras Nationes & in primis in Gallicanas prompta expeditaque promiſſa fuit propagatio. *Noli*, ait Angelus *probatiſſime ac dilectiſſime Benedicte pro his quæ huic eventura didiciſti loco mæſtum ullo modo gerere animum...... ſed aderit omnipotentis quàm nuperrimè propitia conſolatio, quæ & locum hunc in priſtinum, immò in ampliorem quam nunc videtur tuis nihilominus meritis reſtituat gradum; & aliis nationibus perinde hujus lumen religioſitatis, de hoc eodem irradiavit loco: pro quo ut interpellatus vel etiam efflagitatus fueris, extemplo quos probabiliores in hujus ſanctæ Congregationis grege habes, quò depoſceris mittere maturato, ſciens procul dubio quoniam laboris eorum & tibi ad cumulum recipiendorum augmentabitur præmiorum, & illos*

ad

ad habitationem perennis introducet beatitudinis. Hôc igitur ſanctiſſimus Pater certus factus reſponſo, inquit Fauſtus in vitæ S. Mauri præfatione, *mox ut legatione Cenomanenſis Antiſtitis Conventus exoratus eſt, continuò ſummæ religionis virum evocans Maurum, cum conſilio totius Congregationis, ut infrà ſcriptum eſt, legatis eum ipſius adſignat Præſulis.* Quam prophetiam præter Fauſtum S. Mauri individuum comitem, enarravêre deinceps Adrevaldus lib. 1. de miraculis S. Benedicti in Bibliothecâ Floriacenſi c. 6. Zacharias Papa in privilegiô Caſſinenſi Monaſterio conceſsô tom. 1. Bullarii Caſſin. & Leo Oſtienſis in Chronico capite primo.

III. Quis autem fuerit prophetiæ ſuperioris eventus, ex eâdem licet conjicere, cum Deus ex miſſione ſancti Mauri uberrimos fructus recipiendos promittat: majores ſcilicet quàm ex aliis quibuſvis miſſionibus, cum ad eam juſſu Divino omnium S. Benedicti diſcipulorum probatiſſimi ſeligendi fuerint. Hujus opinionis fuit Leo Oſtienſis ſupra laudatus. *Hinc factum eſt*, inquit, *ut per hunc virum Dei ſanctiſſimum Maurum, ejuſque diſcipulos, omnis ordo, & Regularis diſciplinæ norma, quæ per Beatiſſimum Patrem Benedictum in hoc loco fuerat inſtituta, per totam Galliam diſſeminata ſit.* Eadem ſcripſit S. Odilo in vitâ S. Maïoli. *Proceſſu temporis*, inquit, *poſt tranſitum videlicet ſupradicti piiſſimi Patris per Beatum Maurum ejus diſcipulum omnis penè Gallia ejus inſtitutionis ſuſcepit exordium.* Plura in eamdem aſſertionem doctorum virorum teſtimonia poſſem congerere: ſed cum de oraculo conſtet, quod per Fauſtum S. Mauri diſcipulum ſcriptum fuit: Quis Leonem & Odilonem falſi poteſt arguere, cum miſſionis Gallicanæ uberrimos fructus à Deo prænunciatos explicant, & eos ex traditione acceptos poſteris tradunt?

IV. Inſignis illius miſſionis, Regulæque Benedictinæ celeris promptæque propagationis duos alios teſtes adduco. Primum evidentem illam omnibuſque patentem Eccleſiæ Caſtrenſis inſcriptionem, quâ Caſtrenſis Monaſterii primordia denotantur, non per annos petitos à

Hæc inſcriptio habetur apud Mabillonium ſæc. 1 Bened. præfat. n. 61.

Chriſti nativitate, aut à principum inauguratione, ſed à S. Mauri in Gallias acceſſu : eâ enim ratione Fauſtinus Abbas qui ejuſdem Monaſterii Templum anno Chriſti 673. à fundamentis erexit, dicere videtur S. Maurum communem omnium Gallorum Monachorum Parentem fuiſſe ; quia eos ad eamdem vivendi rationem adduxit ; ut enim omnes Chriſtiani noſtra ætate, annos à Chriſto nato numerant, tanquam à primo gratiæ cæleſtis quâ vivimus fonte. Ut etiam Galli antiquis temporibus à B. Martini (quem pro parente colebant) die natali, annorum numerandorum initium ſumpsêre : ſic & galli quidam Monachi eâdem ratione à B. Mauro Monaſticæ vitæ in Galliis moderatore, reſtauratore, ſummoque propagatore, conſtructorum Cœnobiorum annos deſumere voluerunt : perinde quaſi is ipſe eſſet qui vitæ Monaſticæ rationem hactenus in Galliis, vix adumbratam, ad ſummam adduxerat perfectionem.

V. Id etiam ſenſiſſe videtur Carolus magnus, ex duobus teſtibus, alter, quem me adducturum promiſi cum in capitulari interrogationis anni 811. capitulo 12. *Inquiri jubet, quâ Regulâ Monachi vixiſſent in Galliâ priuſquam Regula ſancti Benedicti in eâ tradita fuiſſet.* Perinde quaſi pro certo teneret, Benedictinam Regulam ſolam ſervatam fuiſſe, ab eo tempore quo S. Maurus Gallos Monachos erudivit ; multum verò dubitaret, an priuſquam idem ipſe ſanctus ad Gallos accederet, ullam præcedentium Patrum Regulam Monachi Galli profeſſi fuiſſent. Eamdem Caroli magni opinionem de ſolâ Benedictinæ Regulæ obſervatione à B. Mauri in Gallias acceſſu plurimum commendant ea verba quibus iterum quærit, *utrum aliqui Monachi eſſe poſſent præter eos qui Regulam ſancti Benedicti obſervant.* Quam interrogationem ſuo nomine proponi paſſus non eſſet, ſi vel in dubium vocaſſet, aliquam Regulam à Benedictinâ diſtinctam, in Galliis eodem quo ipſe tempore, viguiſſe : cum enim ab actu, ut dicunt, ad potentiam valeat conſequentia : Tantus vir omnium Imperatorum doctiſſimus, probè noviſſet, præter Benedictinos Monachos alios reperiri potuiſſe, ſi ſe-

mel certum eſſe maneret poſt Sanċti Mauri in Gallias adventum, plures, ut volunt annales Cointiani, Regulas floruiſſe, Ordineſque plures Gallicana Monaſteria partitos eſſe: cum vero Carolinæ interrogationes quibus conſtat capitulare anni undecimi poſt oċtingenteſimum, eodem modo quo cætera Capitularia fuerint compoſitæ, id eſt generalis totius Regni Conventûs aut ſaltem doċtiſſimorum virorum qui in curiâ verſabantur conſilio, & Caroli Imperatoris juſſu, Epiſcopis, cæteriſque viris ſcientiâ præditis ad examinandum propoſitæ: Dicendum videtur Palatinos Epiſcopos, Abbates, & Monachos, alioſque viros ſcientiâ claros, qui Carolo magno erant à Conſiliis, in eâ fuiſſe ſententiâ, Benediċtinam Regulam ſub S. Mauro, cæteris omnibus prælatam, & à Gallis omnibus Monachis uno quaſi conſenſu ſuſceptam fuiſſe. Quæ veritas adeò patet ut per ſeipſam conſtare videatur, & ipsâ continuâ traditione, perſpicua; nam cum Leo Oſtienſis ex Aſcetarum majoribus narret S. Maurum Regulam S. Benediċti per totam Galliam diſſeminaſſe, & S. Odilo non ex rumore aut dubitanter ſed quaſi certus definiat, quod per B. Maurum omnis penè Gallia Benediċtinæ inſtitutionis ſuſcepit exordium; quid aliud nobis tradere videtur uterque, præter affirmantem Carolinam interrogationem, quâ totam Galliam ipsâ interrogatione Carolus docere voluit, per S. Benediċti diſcipulum omnes aut penè omnes Gallos Aſcetas Benediċtinam ſuſcepiſſe Regulam: non enim inquiſiſſet Imperator utrum aliqui præter Benediċtinos Monachi eſſe potuiſſent, ſi accepiſſet ab aliis, aut per ſeipſum noviſſet alios fuiſſe à Benediċtinis diſtinċtos. Maneat ergo ætate Caroli magni hanc noſtram opinionem uulgatiſſimam, & ab ipſis S. Mauri diſcipulis in ordinis Benediċtini memoriam ſempiternam diſſeminatam. His ergo ſolis teſtimoniis contenti, Cointianam opinionem expendamus quâ tenet S. Maurum vitam ad annum quartum ſupra ſexcenteſimum duxiſſe.

CAPUT TERTIUM.

DE ÆTATE SANCTI MAURI Controverſia dirimitur.

I. Annus obitûs S. Mauri indicatur per inſcriptionem Caſtrenſem. II. Item per Fauſtum vitæ S. Mauri ſcriptorem. III. IV. Oppoſita Cointii ſententia exploditur. V. VI. Nec Leo Oſtienſis nec Anaſtaſius Bibliothecarius Cointio favent. VII. Dies quo S. Benedictus obiit ſtatuitur contra eumdem Cointium. VIII. Silentium Gregorii Turonenſis de S. Mauro explicatur. IX. Fauſto fides habenda in iis quæ ad eam quæſtionem pertinent.

I. CASTRENSIS inſcriptio ſupra laudata hoc ipſo quod à morte S. Mauri computat annum quo Caſtrenſis Eccleſiæ initium ſumpſit, eum quoque deſignat annum quo B. Maurus abiit ad ſuperos. Hæc vero inſcriptio ſic ſe habet.

Fauſtinus lapſis à Mauri morte decem & octo,
Luſtris, has ſancto Benedicto dedicat aras.

Cum enim ex eodem Chronico in quo hæc continetur epigraphe habeatur Fauſtinum qui eamdem conſtruxit Eccleſiam, anno Chriſti 673. eidem Caſtrenſi Monaſterio præfuiſſe, communis Authorum opinio firmatur, quâ tenent ſancti Mauri obitum contigiſſe anno Chriſti 584. Cui ſi addideris decem & octo luſtra, id eſt nonaginta annos exurget annus 674. annus ſcilicet ſecundus regiminis Fauſtini, qui eodem anno aut incepit, aut ſaltem eamdem perfecit Eccleſiam. Quæ dicta volo contra clariſſimum virum Cointium, qui S. Maurum vult obiiſſe anno ſolum ſexcenteſimo quarto.

II. Eadem veritas jam à S. Mauri è Caſſinenſi Mona-

ſterio egreſſu, oraculo prædicta fuit. *Poſt expletam,* inquit S. Benedictus S. Mauro ſcribens, *totam trinam vicenorum decurſionem annorum ex quo monaſterialem adiiſti perfectionem in gaudium Domini tui es introducendus ut nobis Dominus heſternâ die poſtquam à nobis digreſſus es, oſtendere eſt dignatus.* At ex Fauſto S. Benedicti diſcipulo, & S. Mauri in miſſione Gallicâ ſocio, *dies B. Mauri ita ſupputantur, oblatus eſt Deo ac traditus S. Benedicto cum duodecim eſſet annorum, habitavit cum eo viginti annis, commoratus eſt in Monaſterio ſuo, quod ipſe ædificavit, quadraginta annis diebus quatuordecim, qui ſimul ſiunt anni ſeptuaginta duo & dies quatuordecim.* Et numero 40. ejuſdem vitæ. *Langore ingraveſcente quadrageſimo primo adventûs ſui ad eumdem locum anno, feliciter migravit ad Dominum.* Cum verò ex annalibus nobiſcum aliquando ſentientibus S. Maurus anno Chriſti 543. à S. Benedicto miſſus fuerit in Galliam, & ex Fauſto ibidem per unum & quadraginta annos fuerit moratus: reſtat eumdem ſanctum anno octuageſimo quarto poſt quingenteſimum ſpiritum exhalaſſe.

III. Ut ex hac difficultate expediat ſe ſe Cointius, ad ſolitas ſibi abraſiones recurrit; & ex Benedictinâ prophetiâ hæc verba (*ex quo monaſterialem adiiſti perfectionem*) expungenda cenſet. *Has voces expunge,* inquit, *diſſidium annorum viginti, quod nos inter & Odonem intercedit tolles omnino: nam juxta S. Benedicti prophetiam Maurus totam trinam vicenorum decurſionem annorum in Galliis explebit, vitamque claudet Glannafolio 14. Kalend. Febru. anno poſt adventum ſuum ſexageſimo primo poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo quarto.* Immo ſi expungantur hæ voces, *ex quo monaſterialem adiiſti perfectionem*, nec aliis determinetur tempus ex quo ſexaginta anni decurrant, ſenſus erit, Deum S. Benedicto dixiſſe ipſius diſcipulum Maurum ultra ſexageſimum ætatis annum non proceſſurum, quod nullus ſomniavit unquam. Multò ſane cautius ſibi Cointius cavit, cum eâdem libertate quâ expunxit verba prophetica, aliis verbis prophetiam interpolavit. Et ſic eamdem ſcripſit. *Poſt expletam* in Galliis *vicenorum decur-*

ſionem annorum hæc enim verba, *in Galliis*, addit ex ſuo: ſed huic interpolationi occurrit Fauſtus, & quotquot Authores eamdem prophetiam litteris mandavêre, quorum nullus eamdem expunctione aut interpolatione præter Cointium fœdavit. Eiſdem etiam intercedit Eccleſia Romana, incorrupta prophetiarum cuſtos, & earum interpres certiſſima. Cum dicit S. Maurum per quadraginta tantùm annos in Galliis vixiſſe. *In Gallias*, inquit Martyrolog. Rom. *à S. Benedicto directus, conſtructo ibi celebri Monaſterio cui quadraginta annis præfuit miraculorum gloriâ clarus in pace quievit. Cujus Eccleſiæ Martyrologio*, inquit Bollandus in eamdem vitam, *conſonant multa & manu exarata & typis cuſa Martyrologia.* Quæ omnia eamdem veritatem docent quam modò tuemur, & prophetiam Benedictinam nullâ ſui parte minuendam aut amplificandam declarant.

IV. His omnibus conſonat vita, ejuſdem Benedictinæ Regulæ propagatoris metricè ſcripta, quam alii Paulum Diaconum, alii verò Laurentium Caſſinenſem Monachum ſcripſiſſe dicunt. Nam ultimam partem propheticæ S. Benedicti ad S. Maurum epiſtolæ ſic reddit.

Octodecemque quater complebis tempora terris:
Aſtra petes actis octo decemque quater.

Id eſt peractis ſeptuaginta duobus annis diem obibis extremum. Quæ cum ità ſint, optimo jure cum Bollando dicere poſſumus. *Fallitur Caniſius, ſeu quiſquis eſt Author Martyrologii Germanici, ſcribentis S. Maurum ætatis ſuæ anno 92. deceſſiſſe, & corpus ejus juxta Pariſios religiosè tumulatum, ac multis illuſtratum miraculis: nec enim ad tantam pervenit ætatem: nec juxta Pariſios ſepultus eſt.* Fallitur etiam Cointius, qui Divino oraculo, Eccleſiæ Romanæ traditioni, Martyrologiis tum manu exaratis tum typis cuſis, multiſque antiquiſſimis Authoribus, nuperum quemdam Authorem, actorum S. Mauri, ſepulturæ ipſius, Fauſtique lucubrationis penitus ignarum indubitanter opponit.

V. Iterum objiciunt annales ex Leone Oſtienſi, Fauſtum vitæ S. Mauri ſcriptorem, Romam Bonifacio Papa

tertio Eccleſiam regente duobus aut tribus tantùm annis ab obitu ejuſdem S. Mauri acceſſiſſe, ibique rogatu Theodori Lateranenſis Abbatis vitam S. Mauri ſcripſiſſe quam ſummus Pontifex Bonifacius ſuâ authoritate approbavit; conſequenter exiſtimat Maurum obiiſſe tantùm anno ſexcenteſimo quarto. Reſpondeo 1. Leonem Oſtienſem ſcripſiſſe quidem Fauſtum poſt obitum S. Mauri Romam adiiſſe, ſed quo anno id contigerit, tacuiſſe. Cæterùm Fauſtus non modò Romam non adiit Bonifacio Papa tertio ſedente, ſed nec accedere potuit, poſito quòd ſanctus Maurus anno tantum 604. exceſſerit è vitâ. Nam ex Baronio, Binio, & aliis & ſecundùm antiquos omnes Authores græcos & latinos, ut volunt Baronius & Binius modò laudati. Sabinianus S. Gregorii magni in papatu ſucceſſor quinque ſolùm menſibus & novemdecim diebus Pontificatum tenuit, obiitque undecimo Kalendas Martias indictione octavâ eodem anno quo Pontificatum iniit, anno ſcilicet 605. Bonifacius verò tertius Cathedram. S. Petri conſcendit 16. Kalendas Martias anni ſexcenteſimi ſexti & eodem anno duodecimo die Novembris animam exhalavit. At, ut dixi. Dato quòd S. Maurus obierit ſolummodo anno 604. & Fauſtus duobus annis poſt ejus obitum, ut vult Cointius, in Galliis moratus fuerit, non potuit vir nonagenario major ex meditullio totius Galliæ, ſcilicet ex Monaſterio Glannafolienſi Romam accedere eodem anno 606. ibidemque vitam S. Mauri componere, eamdem Bonifacio tertio examinandam proponere, & ab eodem approbatam recipere. Quæ impoſſibilitatem quodammodò involvunt & omnem ſententiæ Cointianæ fidem abrogant.

VI. Hæc vidit vir perſpicacis ingenii; & ut ſibi fidem conciliaret, Sabiniano Pontifici anno integro Pontificatum prorogavit, & Bonifacii electionem pontificiam in annum ſexcenteſimum ſeptimum, Authore Anaſtaſio Bibliothecario rejecit. At eadem ſemper difficultas circa hanc aſſertionem recurrit: Nam Cointius ad annum 606. n. 1. Fatetur Fauſtum totum annum ſexcenteſimum ſextum in Galliis moratum, & anno demum ſeptimo Romam pro-

fectum, & cætera quæ modò allegavimus præſtaſſe, quæ naturaliter loquendo homini nonagenario majori impoſſibilia videntur. Quis enim ſibi perſuadeat tam longævum ſenem, tantùm ſpatii conficere; tam prolixam vitam litteris exarare, Romanam Curiam frequentare, & approbationem ſupra laudatam intra novem aut circiter menſes obtinere potuiſſe? Quantùm ad Anaſtaſium attinet, miror quòd vir doctiſſimus eum contra omnium fere Authorum opinionem in teſtem adducat, cum eodem loci eum bis errantem quo ad dies quibus Sabinianus & Bonifacius ſederunt, nobis exhibeat. An-nè quantum ad annum Sabiniano prorogatum infallibilis videri debet, Qui quantum ad cætera errare ponitur, quique cum Cointio non niſi emendatus convenire potuit? Quò videas virum doctiſſimum non niſi antiquis erroribus novos propugnare potuiſſe.

VII. *Sed quâ fronte dicept*, inquit Adverſarius noſter, *ſanctum Benedictum ex hac vitâ ſublatum duodecimo Kalendas Aprilis in Vigiliâ Paſchæ ſeu Sabbato ſancto.* Uult Cointius S. Benedictum ex hac vitâ ſublatum non eſſe in vigiliâ Paſchæ; vult etiam Fauſtum vitæ S. Mauri Authorem id numquam dixiſſe, ſed ab Odone eam opinionem in eamdem vitam immiſſam, eâque ductus conjecturâ pro certo habet eumdem Odonem non modò Fauſtum interpolaſſe quantùm ad diem quâ S. Benedictus obiit, ſed etiam quantùm ad annum quo S. Maurus deceſſit. Utrum verò legitimâ conſequentiâ id poſſit inferre, lectori judicandum permitto. Interea ad hoc argumentum explicatâ fronte Reſpondeo Vandalbertum & Uſuardum Odone antiquiores, & Fauſto recentiores in ſuis Martyrologiis ſcripſiſſe S. Benedictum in Cœlum migraſſe duodecimo Kalend. April. id verò contigiſſe anno Chriſti 543. cum Adverſario dicimus. Utrum verò ipſe S. Benedicti obitus in vigiliâ Paſchæ ſeu Sabbato ſancto propriè dicto contigerit, aut Sabbato ſancto ante primum Paſcha, parum aut nihil intereſt: Cum nihil certò ut quidem arbitror, definiri poſſit de die quo antiquitùs ſingulis annis Paſcha contigerit, quod variis in locis ut

plurimum

plurimùm variè celebrari ſolebat, adeò ut in uno eodemque Epiſcopatu eodem anno, quandoque diverſis diebus ageretur, ut factum aliàs in Epiſcopatu Autiſſiodorenſi ſecundùm Annales, in quo Epiſcopatu ſancti Maurus & Fauſtus diem Paſchæ anno Chriſti 543. peregerunt, ex Fauſto. Cointius namque in hæc verba Concilii Autiſſiodorenſis ad annum 588. coacti *ut omnes Presbyteri ante Epiphaniam miſſos ſuos dirigant qui eis de principio quadrageſimæ nuntient, & in Epiphania ad populum indicent.* Sic loquitur *Aunacharius hunc edidit Canonem ut Feſtum Dominicæ Reſurrectionis per totam Diæceſim Autiſſiodorenſem uno eodemque die celebraretur, idque præſtitit prudentiſſimè, quia frequenter oriebatur dubietas Paſchæ, ſeu controverſia de die quo paſchalis ſolemnitas agenda eſſet*, quid ergo mirum quod eundem errorem jam ante annum 543. invaluiſſe videamus & quid impedit quominus dicamus nullos certos ac definitos ciclos victorii, aut aliorum, apud Autiſſiodorenſes & plures alios Epiſcopatus, ſexto ſæculo uſu receptos, aliàs non tot cautiones annis ſingulis fuiſſent habendæ, nullumque fuiſſet periculum diei paſchæ diverſis diebus in uno eodemque Epiſcopatu celebrandæ. His poſitis quid mirum quod eumdem errorem jam ante annum 543. invaluiſſe videamus.

Tom. 2. Annaliũ ad an. 585. n. 17.

VIII. Subdit iterum Cointius. *Sed quibus artibus excuſabunt altum ſilentium Gregorii Turonenſis, qui vixit ad annum Chriſti 595. nec vitæ B. Mauri vel in hiſtoriâ Francorum, vel in aliis operibus ſuis mentionem fecit.* Non ignorat ni fallor Cointius non omnia Gregorii Turonenſis opera hactenus fuiſſe reperta &c. Sed ut ut ſit, iiſdem artibus excuſamus illud Gregorii ſilentium *de ſancto Mauro.* Quibûs Annaliſta illud ipſum Gregorii ſilentium de SS. Samſone & Maglorio Dolenſium Epiſcopis Gregoriique Turonenſis ſuffraganeis, ſanctorumque Gildæ Ruiſienſis, Maximi Miciacenſis, Liſardi Magdunenſis, Carilefi Anoliſenſis, Leonardi Vanderperenſis, aliorumque multorum ab urbe Turonenſi parùm diſtantium, aut ſaltem ſub Gregorio Metropolitâ viventium, quorum omnium Gregorius vel in hiſtoriâ Francorum, vel in aliis operi-

bus ſuis nullam mentionem fecit. Suam igitur priùs cauſam deffendat Annalium conditor, ſibique ipſi pro nobis reſpondeat.

IX. Quæ cum ita ſint ad Fauſtum redeamus, eique eam fidem habeamus quam iidem impertiit Bonifacius Papa, credamuſque S. Maurum obiiſſe anno Chriſti 584. Tùm biennio, aut, ut alii opinantur duodecennio Bertulfum ejuſdem ſancti Succeſſorem Monaſterio Glannafolienſi præfuiſſe, eoque mortuo Fauſtum in Italiam reverſum, vitam Magiſtri ſui, ſancti ſcilicet Mauri litteris mandaſſe, & Bonifacio approbandam tradidiſſe. Neque video quâ ratione interpolationes fingantur: cum eadem Romana auctoritas quæ ſcriptam B. Mauri vitam quaſi naſcentem fulciit, eamdem etiam noſtris temporibus tueatur: Quantùm ſaltem ad eam partem quæ vitæ S. Mauri tempora deſignat, & propheticam S. Benedicti Epiſtolam interpretatur. Quibus auctoritatibus rapiuntur quotquot ferè de ſanctorum actis ſermonem habent. Neque enim aliter ſenſiſſent Annales Cointiani niſi, ex præconceptâ contra Benedictinos opinione, ſibimet-ipſis impoſuiſſent vivente S. Mauro, ex Glannafolio ad Benedictinum Ordinem propagandum nullam eductam Coloniam. Quam ob cauſam præclarè ſibi proſpexiſſe crediderunt ſi S. Mauri exceſſum è vitâ viginti annis tardius contigiſſe probarent, aut ſaltem probaſſe utcumque viderentur.

CAPUT QUARTUM.

SANCTUS COLUMBANUS IN GALLIAS Benedictinæ Regulæ novus Propagator accedit.

I. Vltimis S. Mauri temporibus peſtiferâ lue intercepti Monachi à ſtatu perfectionis deficiunt. II. Eodem tempore S. Columbanus novus propagator accedit.

III. Pauca tunc reſtabant Monaſteria, eaque corrupta & ejuſdem inſtituti ſecundùm S. Audoënum IV. Enumerantur ea quæ de inſtituto S. Columbani toto hôc opere dicentur.

I. S. Mauro ad ſuperos evocato, diſciplina Regularis multùm intepuit: cum enim graviſſima lues ex Gregorio Turonenſi lib. 6. cap. 14. circa eadem tempora graſſata fuiſſet, & multos peremiſſet Monachos, quos inter fuêre ſanctus Maurus, & S. Ebrulfus cum maximâ diſcipulorum ſuorum parte, ut in vitâ S. Ebrulfi Mabillonius notavit. Cæteri perfectioribus extinctis de primâ ſuæ converſationis perfectione multùm remisêre, & niſi Deus novum Benedictinæ Regulæ propagatorem ſuſcitaſſet, actum propè erat de Republicâ Monaſticâ, quæ duce amiſſo, maximâque parte Monaſtici cætûs extinctâ, tota perire videbatur.

II. His difficillimis temporibus Deus ſummâ in Benedictinum Ordinem benignitate, S. Columbanum ex Scotorum Regionibus ad innovandum, propagandumque S. Benedicti intra Gallias inſtitutum, eduxit. Cujus adventus in Galliam altero poſt S. Mauri mortem anno, in codice Bellovacenſi uncialibus litteris exarato notatur. De quo Mabillonius in obſervationibus præviis in lib. de miraculis S. VValberti; in hujus verò codicis fine hæc habentur. *Explecitum opus apud Cœnubium Luxovium anno duodecimo Regis Chlothacarii indictione decima tertiâ anno-xlſimo pis noſtri fæliciter peracto.* Id eſt, ut Mabillonius interpretatur, anno quadrageſimo Patris noſtri, ſcilicet Columbani, qui annus eſt ſexcenteſimus vigeſimus quintus: Cum coïncidat cum anno duodecimo Clotarii Regis gis in Burgundiâ, & cum indictione XIII. à quo anno ſi quadraginta ſubtraxeris, reſtabit annus quingenteſimus octuageſimus quintus. Quo anno ex hac ſupputatione S. Columbanus in Galliam appulit: in eâ verò non modò incipientem diſciplinæ Regularis remiſſionem utrumque cohibuit: ſed novum Benedictinæ Regulæ ſervandæ mo-

dum incepit, ſecundùm quem in tribus quæ ſucceſſivè condidit Cœnobiis, Monachos inſtituit, qui deinceps poſt ejus mortem ſub ſanctoEuſtaſio & ſancto VValberto Benedictinam Regulam ſecundùm modum Luxovienſem latius propagarunt. Nam etiam poſt S. Columbani obitum plura reſtabant Monaſteria, quæ vitioſas & corruptas vitæ monaſticæ conſuetudines, purâ & incorruptâ vitæ ratione non emendaverant, ut aliàs annotavit Sanctus Audoënus in S. Eligii vitâ. *Ipſe quoque Eligius*, inquit, *properabat ad Cœnobia* (circa annum videlicet vigeſimum poſt ſexcenteſimum) *maximeque Luſſedium, quod erat eo tempore cunctis eminentius atque diſtrictius: neque enim tam crebra erant adhuc in Galliis Monaſteria, & ſicubi eſſent non ſub regulari quidem diſciplinâ: ſed erant prorſus in malitiâ fermenti veteris ſecularia: præter Luſſedium ergo, quod ſolum ut dictum eſt diſtrictionem Regulæ ſolerter tenebat, ſolemniacenſe Monaſterium in partibus occiduis hujus religionis extitit caput: ex quo demum multi ſumpſerunt initium & exemplum; adeò ut nunc quoque* (id eſt ad annum 672. quo Audoënus ſcribebat) *propitiâ Divinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur ſub Regulari diſciplinâ alma utriuſque ſexûs Cœnobia.* Eadem habentur in vitâ S. Salabergæ in quâ dicitur quod cum S. VValbertus in Abbatem Luxovienſem fuit electus *Monaſteria vix pauca illis reperirentur in locis.* In Galliis ſcilicet.

Lib. 1. cap. 21

III. Hæc S. Audoëni verba multa ſcitu neceſſaria nobis manifeſtant. Primùm docent eo tempore quo ſanctus Eligius Luſſedium frequentabat, id eſt circa annum 620. non tot fuiſſe Monaſteria quot poſterioribus temporibus. 2. ea ipſa pauca quæ reſtabant Monaſteria à perfectione Monaſticâ plurimum defeciſſe. 3. Anteriora & poſteriora Luſſedio Monaſteria ejuſdem fuiſſe inſtituti cum Luſſedio, illud enim celeberrimum S. Columbani Monaſterium in eo ab anterioribus diſtabat *quod ſolum diſtrictionem Regulæ ſolerter teneret.* A quo poſteà eadem anteriora Cœnobia ſervandæ Regulæ modum ſumpsêre, ut ait S. Audoënus. Quantum verò ad poſteriora quæ *ab eodem*

Monaſterio initium ſumpſerunt, iiſdem etiam legibus vixiſſe dicenda ſunt. Ultimò tamdem ſuperiora Audoëni verba nobis oſtendunt eâ tempeſtate quâ ſanctus Audoënus ſcribebat, anno ſcilicet 672. innumera ſeu penè omnia Franciæ & Galliæ Monaſteria iis inſtitutis Monaſticis viguiſſe quibus Luxovienſe fervebat, à quo initium & exemplum ſumpſiſſe dicuntur.

IV. Quia tamen Annalium Francorum conditor in diſtinguendo Monaſtico S. Columbani inſtituto à Benedictino vivendi modo multùm laborat, & nos errare videri cupit, rem ab ovo, vt dicunt, explicabo, & oſtendam S. Columbanum nullam propriè dictam Regulam compoſuiſſe: ſed Benedictinam fuiſſe ſequutum, idque ipſius & diſcipulorum auctoritate monſtrabo, tum ex actis ipſorum, ex Monaſteriorum fundationibus, ex Authoribus ſeptimi ſæculi & tandem ex traditione Benedictinorum perpetuâ, ipſum & ejus diſcipulos Benedictinos probabo.

CAPUT QUINTUM.

DE DUPLICI S. COLUMBANI REGULA deque Præfatione in Regulam Cœnobialem ejuſdem.

I. II. *Duplex numeratur Columbani Regula. Secundæ, quæ vocatur Cœnobialis hoc nomen debetur, non primæ.* III. *Præfatio in Regulam Cœnobialem refertur.* IV. *Stengelius eâdem adductus Præfatione cujus plures antiquiſſimos codices vidit, Columbanum Benedictinum credidit.* V. *Et ejus Regulam pro conſtitutionibus in Benedictinam Regulam ſumpſit.* VI. VII. VIII. *Convenientia Regulæ Cœnobialis cum Benedictinâ proponitur.* IX. *Mul-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ta mutarunt ex Regulâ S. Benedicti, Abbates ſanctiſſimi, ut teſtatur Petrus venerabilis. X. Sanctus Maurus, S. Columbanus, & Ciſtercienſes diverſas conſuetudines invexerunt in eamdem Regulam.

I. IMPUGNATÆ diſſertationis undecimo capite triplicem Regulam dari probavi. Quantùm vero hæc noſtra poſitio ad eam quæſtionem, quæ nos inter & Cointium agitur pertineat, eodem invito ac reluctante videre poterunt Cointianarum partium aſſertores; nam præter eam quæ S. Columbano, diſcipulis ejus & Benedictinis omnibus communis erat & omnium principalis de quâ poſtea dicturi ſumus, duplex iterum proponitur S. Columbani Regula; Generalis una quâ ad virtutum opera generaliter inſtituuntur Aſcetæ: Peculiaris altera quâ pœnæ ſingulis Monachorum erratis definiuntur. Primam, indefinitè Regulam S. Columbanus aliique vocavêre; ſecundam vero Cœnobialem Regulam: Perinde quaſi primæ Regulæ id nominis deferendum non eſſet, neque ad Cœnobiticam vitam inſtituendam eſſet idonea quâ de re uberius dixi capite 12. ejus diſſertationis quam propugnandam aggredior.

II. Nunc vero eamdem diſputationem R. Patris Patricii Flemingi ab Adverſariis ſtantis iterum inſtituo. Hic in recenſione operum S. Columbani tom. 12. Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunenſis ſic loquitur. *Monaſtica S. Patriarchæ inſtitutio, quæ pro priori parte etiam in Codice Bobienſi, ex quo tranſumpta ſunt cætera fere omnia, ordine prima eſt, complectitur etiam duos tractatus, qui etiam Regulæ dicuntur; ſed cum aliquâ differentiâ, prior namque in omnibus Codicibus abſolutè & ſine reſtrictione S. Columbani Regula inſcribitur: alter verò in Codice Oxenhuſani Ordinis S. Benedicti, in quo utraque Regula conjuncta, ut in Auguſtano ejuſdem inſtituti, SS. Affræ & Vldarici Cænobiô, ſeparata reperitur, hunc præfert titulum. S. Columbani Regula Cænobialis, ſeu de quotidianîs pænitentiîs Mo-*

nachorum. Et ibidem pag. 8. & 9. *Sequentes ſermones ferè omnes cum Regulâ ſuprà poſitâ X. Capitum reperi in vetuſtiſſimo codice manu-ſcriptô Monaſterii Bobienſis, accuratè tranſcriptô per Boniprandum quemdam Monachum, ... extat in celebri Monaſteriô Florinenſi Ordinis S. Benedicti codex pergamineus antiquus in folio, in quo, præter Caſſiani inſtituta, & aliorum aliquot opuſcula referuntur aliquot S. Columbani ſermones, hoc eſt tractatus de octo principalibûs vitiîs, & inſtructio tertia & undecima inferiùs recitandæ, ſub hôc præfixo titulo. Incipit ordo S. Columbani Abbatis de vitâ, & actione Monachorum.* Ex hac hujus Authoris relatione, deduco in codice Bobienſi à Boniprando Monacho accuratè tranſcripto, abeſſe ſecundam Columbani Regulam, & ejuſdem loco varios tractatus aſceticos cùm à S. Columbano, tum ab aliis editos tranſcriptos eſſe: At in altero codice Oxenhuſano, utramque Regulam reperiri; priorem quidem cum hac inſcriptione. *Regula S. Columbani*: Poſteriorem vero cum iſtâ. *S. Columbani Regula Cœnobialis.* In codice verò Auguſtanô ex eodem Authore eodem loci n. 3. hæc eſt ſecundæ Regulæ Epigraphe. *Fratrum de Hiberniâ ſeu Hibernenſium Regula Cœnobialis.* In quo codice Auguſtanô, *inter priorem Regulam*, inquit idem Patricius, *& hanc Cœnobialem quæ in Codice Oxenhuſano conjunguntur, interpoſita reperiuntur ſeptemdecim magna folia, in quibus hæc habentur, Epiſtola S. Columbani, & ſermo ejus ad Monachos. Regula S. Pauli, & Stephani 41. capitulis diſtincta; monita S. Macharii Abbatis, & Epiſtola ejus ad Monachos; Proverbialia S. Evagrii Epiſcopi; Regula Abbatis Pinnucii; quibus omnibus ſubjungitur dicta Cœnobialis cum præfixâ Præfatione infrà ponendâ.* Quæ diverſæ inſcriptiones, diverſorumque librorum ſeu tractatuum inter utramque Regulam poſitiones, primæque Regulæ cum Aſceticis libris conjunctio, & à ſecundâ Regulâ ſejunctio, ſatis evidenter oſtendunt ni fallor primam Regulam non eſſe propriè dictam Monachorum Regulam, ad quam ſervandam Columbani diſcipuli ſeſe votis editis obligaverint; aliàs altera Regula ad ejus differentiam, Cœ-

nobialis nullatenus diceretur, nec à primâ apud Bobienſes & alibi ſejuncta maneret: atq ſi quis attentè eamdem primam conſideret, eamque conferat cum variîs illis ſermonibus S. Columbani *de octo principalibus vitiis; de ſectando Mundi contemptu; & Cæleſtium bonorum amore; & de dilectione Dei & Proximi.* Qui ſermones in Florinenſi codice inſcribuntur. *Ordo S. Columbani Abbatis de vitâ & actione Monachorum.* Inveniet certe varia, immo cuncta primæ Regulæ capita (ſi ſeptimum de curſu exceperis) nihil aliud eſſe quàm ad virtutem adhortationes, & ejuſdem eſſe naturæ cum inſtructionibus illis, quæ ordo S. Columbani nominatæ fuerunt, quæque eâdem ratione S. Columbani Regulæ nomen poterant induere. Et eâ fortè de causâ S. Benedictus Jndenſis in codice Regularum primam Regulam poſteriori conjunxit, ut eam Regulæ monaſticæ vocabulô ornare poſſet, quod nomen nullis Patrum adhortationibus, ſed ſolùm Columbanicis dedit.

III. Quantùm verò ad Regulam Cœnobialem attinet, Regula propriè dicta vocari poteſt, non quidem primaria: Sed ſecundaria, & alterius quæ ſit ipſi ſuperior (Benedictinæ ſcilicet) appendix. Hanc in nobis notionem impreſſit ea Præfatio quæ in codice Auguſtano eidem Cœnobiali Regulæ præponitur, & his concipitur verbis. *Incipit Præfatio Regulæ Cænobialis Fratrum de Hiberniâ ſubſequentis. Equidem S. Benedictus in hanc Regulam, qualitate ordinis, pænitentiæ modos inſtituit; ſed unde de quibuſdam cauſis intimavit dicens, ſi quis hoc vel illud perpetraverit, diſciplinæ Regulari ſubjaceat; ipſius quippe diſciplinæ menſuram in arbitrium Abbatis judicandam permiſit, quia dum qualitatis morum vel pænitentiarum innumerabilis eſt diverſitas, potuit ei fieri in arbitrium oneroſa prolixitas, etiam ipſe per humilitatem ſpiritûs præcedentium Patrum diſciplinæ auctoritatem accepit: quia, ut fertur, omnium juſtorum ſpiritu plenus fuit: igitur de eâdem emendatione diſciplinæ quibuſdam verbis inſtituta ſuper inſerta nectuntur.* Ex quâ Præfatione perſpicuum eſt Regulam Cœnobialem S. Columbani eo fine editam, ut diſciplina

plina regularis in Benedictinâ Regulâ indefinitè præſcripta, ſtatueretur ac definiretur apertè, ut ſcirent Monachi quâ pœnâ pro ſingulis erratis plecti deberent.

IV. Hanc Præfationem ex diverſis codicibus veterrimâ manu deſcriptis, in quibus S. Columbani leges ſcriptæ legebantur, Stengelius Anhuſanus Abbas eruit, eâque ſe, alioſque permultos adductos affirmavit, ut à priore ſententiâ de Beati Columbani inſtitutô concepta decederet. *Ne autem quis putet*, inquit in coronâ lucidâ cap. 8. *Regulam illam Columbani ſpecialem fuiſſe, & diverſam à S. Benedicti, quod quidam magni nominis viri dicere non dubitarunt, quibus & nos aliquando aſſenſi ſumus: Ecce verba Præfationis, illis Regulis præfixæ, quibus & nos & alii viri clariſſimi, qui eadem nobiſcum legerunt, perſuaſi ſumus ſententiam mutare & Regulas illas nihil aliud credere quam conſtitutiones quaſdam particulares quæ in illâ Congregatione præter Regulam ſancti Benedicti obſervarentur: ut Caſſinenſium, Cluniacenſium, Ciſtercienſium, Hirſaugienſium, Burſfeldenſium, & aliarum plurium Congregationum ſtatuta; quæ propterea diverſum ordinem, licet aliquando ita vocentur, non efficiunt.* Quâ Præfatione poſitâ hæc Stengelius ſubjungit. *Ecce iſti Patres ſe à ſancti Benedicti Regulâ non eximunt quos alii tantâ contentione ſubtrahere nituntur. Quæ quidem hìc inſerere neceſſarium duximus: ne aliqui ſibi ſcioli nos peregrinis indumentis abuti velle fruſtrà calumnientur.*

V. Superiora non hìc reponenda volui ut Stengelii, aliorumque doctiſſimorum virorum exemplô & auctoritate Adverſarios premam: ſed ut diſcant aut ſaltem videant doctiſſimi viri, contra quos ago, quid S. Columbanus, ſeu quid ipſius ſocii qui ipſum in Gallias comitati fuerunt, de ipſo ſancti Columbani inſtitutô ſenſerint, eâ enim ſimplicitate Præfationem ſcripsêre quæ omne doli; diſſidii, & diſſimulationis, quæ ſuboriri de hujuſmodi quæſtione poſſet, dubium excludat: quin immo idipſum quod ipſi dixêre ex ipsâ Cœnobiali Regulâ abundè probari poteſt; ſi quidem pœnas ſingulas iis omnibus Monachorum erroribus S. Columbanus diſtinxit, de quibus ſup-

plicium ſumendum eſſe S. Benedictus indefinitè mandaverat.

A. Regul. S. Bened. c 33. B. cap. 31. C. cap. 43. D. cap. 48. E. cap. 51. F. cap. 54. G. cap. 55. H. cap. 62. I. cap. 67. L. cap. 71.

VI. Jubet S. Benedictus, *A. ut qui ſuum aliquid dixerit, correptioni ſubjaceat, B. ut murmurantes diſtrictiori diſciplinæ ſubdantur. C. Vt qui ad nocturnas vigilias tardiùs venerit, ſtet omnium ultimus aut in locô negligentibus conſtitutô, uſquè dum completô opere Dei publicâ ſatisfactione pœniteat. D. Vt Frater acedioſus qui vacat otiô aut fabulis, & non eſt intentus lectioni, correptioni regulari ſubjaceat. E. Vt qui ſine juſſione Abbatis foras manducaverit excommunicetur. F. Vt qui litteras aut Eulogia vel quælibet munuſcula ſine præceptô Abbatis receperit diſciplinæ regulari ſubjaceat. G. Vt ſi apud aliquem opus peculiare inveniatur graviſſimæ diſciplinæ ſubjaceat. H. Vt qui Regulam à Decanis vel prepoſitis conſtitutam non ſervaverit, ut rebellis judicetur. I. Vt qui aliis referre præſumpſerit quæ foras Monaſterium viderit aut audierit, vindictæ regulari ſubjaceat. L. Vt ſi quis ab Abbate vel ſeniore ſuo pro quavis minimâ causâ correptus, proſtratus in terrâ ante pedes jacens non ſatisfecerit; aut corporali vindictæ ſubjaceat; aut ſi contumax fuerit de Monaſteriô expellatur.*

A. pag. 98. B. pag. 103. C. pag. 105. D. pag. 99.

VII. At S. Columbanus in Regulâ Cœnobiali quæ in Codice Regularum habetur pag. 98. his ſingulis erratis conſtitutâ pœnâ decernit. *A. Vt qui dixerit ſuum proprium aliquid, ſex percuſſionibus plectatur.* Et pag. 104. *Meum vel tuum dixiſſe ſex plagis, & poſſeſſio alicujus rei quam neceſſitas generaliter Fratribus non conceſſit, amiſſione ejuſdem & centum plagis coërceatur. B. Vt tepidus qui audierit aliquem murmurantem........ & conſenſit à confeſſione unô die paximatium & ſi vel leviter murmuraverit, ſuppoſitione. C. Vt quiſquis ad orationem tardiùs venerit, cunctis in Synaxi Fratribus congregatis, tamdiu proſtratus in terram veniam poſtulet, donec orationum conſummetur ſolemnitas, impetraturus eam cum juſſus fuerit Abbatis arbitriô de ſolô ſurgere.* Et pag. 103. *Vt ſi quis tardius venerit ad orationem quinquaginta verbera, vel plagis quinquaginta. D. Vt fabulas otioſas proferens ad alienum, ſtatim ſemet-ipſum reprehendens veniâ tantum; ſi autem ſe non reprehenderit......*

ſuppoſitione ſilentii aut quinquaginta percuſſionibus. E. Si quis manducaverit in domo alienâ ſine juſſu & venerit Domui ſuæ uno die unum paximatium. F. Vt qui epiſtolam cujuſcumque ſi tribuere præſumpſerit ſine ſuo Abbate, ſuppoſitione. G. Vt operis peculiaris præſumptio centum plagis emendetur. H. Vt qui ſuum Præpoſitum deſpexerit aut Regulam blaſphemaverit, foras expellatur. I. Vt qui ambulaverit in ſæculo & dicit de ſæculi peccato, uno die in pane & aquâ. L. Vt excuſationem proferens cum ſimplicitate quando in aliquô diſcutitur, & non dicit ſtatim, veniam petens, meâ culpâ, pænitet me; quinquaginta percuſſionibus. Item ibidem. *Cæterùm qui ſe excuſaverit: non filius Dei ſpiritualis, ſed Adam Carnalis judicetur: quod ſi non citò ad portam requiei humilitatis Dominicæ confugerit, nimiarum contradictionum aditum aliis aperiens, in ſuperbiâ perſiſtens; de libertate ſanctæ Eccleſiæ in cellulâ ob pænitentiam agendam ſeparetur, uſque dum bona ejus voluntas cognoſcatur, atque per humilitatem denuò ſanctæ Congregationi inſeratur.* E. pag. 103. F. pag. 105. G. pag. 104. H. pag. 105. I. pag. 103. L. pag. 99.

VIII. Plura referre poteram ut oſtenderem omnia ferè quæ S. Benedictus diſciplinæ regulari ſubjicienda mandaverat certîs ac definitis pœnis à S. Columbano aſtricta fuiſſe: ſed ſuperiora ad id probandum ſufficiant. Fateor tamen pluribus aliis Monachorum erratis, de quibus ſanctus Benedictus non egit, ſanctum Columbanum pœnas impoſuiſſe, ſed id videtur ex S. Benedicti mente præſtaſſe: qui capitibus *de excommunicatione culparum; Qualis debeat eſſe modus excommunicationis; de gravioribus culpis; Qualiter debeat eſſe ſollicitus Abbas circa excommunicatos; De jis qui ſæpius correcti non emendantur.* Generalia tantùm errorum genera, & eorumdem errorum generalia quoque ſupplicia commemorat: Cæterùm eorumdem modum & deffinitionem ſingulis Abbatibus permittit his verbis. *Secundùm modum excommunicationis vel diſciplinæ debet extendi menſura: qui culparum modus in Abbatis pendeat judicio.* Quâ conceſſione contigit ut Benedictinorum varia fuerit diſciplina regularis pro varietate Monaſteriorum aut Congregationum. Alio enim modo plectuntur Cluniacenſes errantes, Ciſtercienſes altero, & Cap. 24.

ſic de aliis qui variis diverſiſque conſtitutionibus reguntur.

IX. Quapropter minime mirum videri debet quod S. Columbanus aut ejus diſcipuli præter communem cæterorum Benedictinorum morem, in peccantes animadverterint; Immo minime mirum quod etiam aliquando à ſpecialibus ſancti Benedicti legibus deflexerint, cum aut pauci aut nulli Benedictini Abbates reperti fuerint, qui ſui Legiſlatoris Regulam ad litteram ſervaſſe dicantur. Idque dicere videntur variæ diverſorum Ordinum, Congregationum & Monaſteriorum declarationes, Conſtitutiones, decreta, & conſuetudines, quæ jam olim diverſis temporibus Benedictinis fuerunt impoſitæ. Quam in rem admodùm præclare S. Petrus venerabilis Epiſtolâ 229. inter Bernardinas Mabillonii, qui ex his Benedictinæ Regulæ verbis. *Abbas ſic omnia temperet atque diſponat ut animæ ſalventur, & quod faciunt Fratres abſque murmuratione faciant.* Sic infert contra Ciſtercienſes qui Regulam ad litteram ſervare videbantur. *Habes tu* inquit, Ciſtercienſem alloquens. *Propoſiti tui S. Benedictum Authorem, cujus licet ſcripta, ubi charitas jubet, ipſo teſte, minime ſequi cogaris: ſequi tamen quia tanto viro congrua viſa ſunt devotione laudabili delectaris. Habes & tu*, Cluniacenſis, *Inſtitutionum tuarum Benedictum Authorem, qui ad finem Charitatis univerſa ſcripta ſua redigi præcepit, & animarum ſaluti quo quo modo iſto vel illo inſervire. Habes & Maurum, præcipuum inter ejus diſcipulos diſcipulum, qui ab eo miſſus ad Gallias, aliqua vel multa de ejus Regulâ eo quo ſupra ſcripſi oculo legitur immutaſſe; Habes & plurimos poſt ipſum Monaſteriorum Patres, quos ſpiritu Dei pro temporibus, pro locis, pro perſonis, ad moderanda ſæpe dictæ Regulæ ſcripta actos eſſe & vita præcellens, & innumera tam in vitâ quam poſt mortem adeò per ipſos facta miracula, luce clarius manifeſtant.*

X. At ſi quæſieris quinam ſint illi Patres qui Regulam ſancti Benedicti variis privatiſque conſuetudinibus temperaverint. Reſpondeo ſanctum Columbanum unum ex præcipuis eſſe. Et inter eos jam à ſexcentis annis & ampliùs repoſitum. Id teſtatur Robertus de monte in tractatu de

immutatione Ordinis Monachorum cap. primo. *In Burgundiâ*, inquit, *eſt locus qui dicitur Moliſmus, ibi tempore Philippi Regis Francorum, Robertus Abbas Cœnobium condidit, & magnæ religionis diſcipulos aggregavit: poſt aliquot annos Regulam S. Benedicti perſcrutatus ad litteram, voluit perſuadere diſcipulis ſuis, ut labore manuum ſuarum viverent; decimas & oblationes Clericis qui in Diœceſi deſervirent, relinquerent; femoralibus, ſtaminiis, pelliciiſque abſtinerent: at illi è contra nitentes conſuetudinibus quæ in occidui orbis Monaſteriis obſervabantur, quas conſtat eſſe inſtitutas a B. Mauro diſcipulo ſancti Benedicti, & à Beato Columbano, & ut ad modernos veniam à ſancto Odone Abbate Cluniacenſi, dicebant ſe ab eis non recedere.* Quæ Roberti de monte Authoritas, & Moliſmenſium Monachorum opinio, qui Regulas ſancti Columbani, conſuetudinibus in Regulam S. Benedicti conſtare dixerunt, mirum in modum laudatam modo Præfationem & ab Adverſariis pulſatam fulciunt. Nam undecimo ſæculo videmus tria, immo plura Benedictinorum genera floruiſſe, quorum alii S. Mauri conſuetudines in Galliam ab ipſomet invectas, ſervavêre; Quidam S. Columbani ſtatuta cum Benedictinâ Regulâ coluerunt: multi v. c. Ciſtercienſes ſub ſolâ Benedictinâ pauciſſimis, aut ut alii volunt, nullis legibus addicti vixêre: Cæteri vero variis diverſorum Patrum moribus imbuti diverſimodè converſati fuêre.

XI. Sed ut ad eam unde digreſſa eſt, tota revertatur oratio, & ad exitum perducatur: Ordericus Vitalis non modo cum Ciſtercienſibus & cum S. Petro Venerabili tenet, primos S. Columbani diſcipulos ſpecialia ipſius inſtituta, Benedictinis legibus addidiſſe; ſed & inſuper narrat ineunte ſæculo 12. (eo ſcilicet tempore, quo Ciſtercienſis Ordo initium accepit, & quo Ordericus ſuam ſcribebat hiſtoriam,) Monachos Luxovienſes, Reſbacenſes, Meldenſes, Audomarenſes & Gemeticenſes SS. Benedicti & Columbani Regulis addictos & eaſdem à Fundatoribus ſuis ſanctis ſcilicet Euſtaſio, Agilo, Farone, Audomaro, & Philiberto continuâ ſerie receptas ſervaſſe.

Ipſi reor, inquit lib. 8. Eccleſ. Hiſtoriæ, *normam ſuſcepêre Benedicti*. Scilicet Euſtaſius, Agilus &c. *Ita ut non abhorrerent ſui statuta Magiſtri, almi ſcilicet Columbani, ab ipſo ſiquidem modum Divinæ ſervitutis & ordinem didicerunt & formam Orationum pro cunctis Ordinibus qui in Eccleſiâ Dei ſunt, nigredinem vestium, aliaſque obſervationes ſumpſerunt; Quas pro religione & honeſtate ipſius tenuerunt; Et ſequaces eorum uſque in hodiernum diem reverenter obſervare appetunt*. Quibus verbis innoteſcit Regulam ſancti Columbani cum Benedictinâ, tamquam cum principali conjunctam, in his omnibus Monaſteriis à temporibus ſancti Columbani ad Orderici Vitalis ætatem perſeveraſſe; non enim ex æquo utraque dominabatur, Aſcetaſque regebat. Quâ ratione, Regulæ S. Columbani Præfatio, de cujus veritate dubitant aliqui, omnem falſitatis notam excludit: ſi quidem Ordericus reipsâ nobis exhibet S. Columbani ſtatuta per modum conſuetudinum Regularium, quæ majoribus Regulis addi conſuevêre, ad duodecimum ſæculum fuiſſe conſervata: laudata vero Præfatio denotat Regulam Cœnobialem, quâ de agitur, per modum acceſſionis ad Benedictinam fuiſſe compoſitam, ut ſervandæ illius modus definiretur, eidemque ſubeſſet, adeò ut ſtare non poſſit iſtius Authoris poſitio de Regulâ S. Columbani duodecimo ſæculo ſervatâ, quin maximum & ſummum Præfationi pondus accedat. Neque dictis obeſt, quod à me laudatus Author meæ ſententiæ aliquatenus contrarius extiterit, & ſanctum Columbanum numquam alienis legibus vixiſſe crediderit: id enim ex eo proceſſit erroris, quod Ordericus Chronologiæ fuerit penitus expers, & per errorem lapſus, opinatus fuerit *quod B. Pater Columbanus ſancto Benedicto contemporaneus fuerit*. Et S. Mauro antiquior multùm. Cum re ipsâ non niſi poſt utriuſque deceſſum venerit in Gallias, ut ſuprà vidimus. Quid ergo mirum quod Vitalis iis detentus erroribus crediderit non ſanctum Columbanum & ipſius diſcipulos à S. Mauro diſciplinam Benedictinam mutuatos eſſe: & Magiſtri ſui inſtituta palam Benedictinis ſubjecta voluiſſe. Id enim ab ipſo Columbano præſti-

tum ratio docet, & ipſa Cœnobialis Regulæ conſtitutio, quæ ſecundariam redolet Regulam, alterique ſubjectam; hoc etiam ſuadet ratio temporis quo ipſa Cœnobialis Regula lucem accepit quinquaginta ſcilicet aut circiter annis ab obitu S. Benedicti, & totidem ab illuſtratâ per ſanctum Maurum Galliâ. Quapropter ſi temporis habeatur ratio, nullatenus S. Euſtaſio aut aliis ejuſdem condiſcipulis, ſed eorumdem Magiſtro tribuenda videbitur earumdem Regularum unio: Seu earum potius conſuetudinum compoſitio, quæ S. Columbani Monaſteria ab aliis Benedictinis aliquatenus diviſerunt. Rem eamdem penitùs iterum perſuadet, Ciſtercienſium, Roberti de Monte, & S. Petri venerabilis auctoritas, qui dixerunt SS. Maurum & Odonem non veras Regulas, ſed Regulæ Benedictinæ diverſos modos & conſuetudines varias ſcripſiſſe. *Illi è contra nitentes*, inquit Robertus de Monte, *conſuetudines quæ in occidui Orbis Monaſteriis obſervabantur, quæ conſtat eſſe inſtitutas à B. Mauro diſcipulo S. Benedicti, & à B. Columbano. Et ut ad Modernos veniam à S. Odone Abbate &c.* Quid vero iidem Authores per S. Columbani conſuetudines, intelligant, diſcendum ab Orderico, qui eiſdem (loco ſupra citato) nomen concedit Regulæ ſeu ſtatutorum S. Columbani, quæ jiſdem temporibus Luxovienſes & alii obſervare appetebant, quæque vigebant ibidem. Cumque eadem præfatio innuat Regulam Cœnobialem S. Columbani, Benedictinæ Regulæ modum imponere, neceſſe eſt ut tamdiu habeatur pro verâ, quamdiu ſtabit S. Petri venerabilis, Roberti de Monte, & Ciſtercienſium auctoritas. Accedit eòdem quod S. Columbani conſuetudines quæ duodecimo ſæculo tenebantur, eædem ſunt quæ ab Agreſtio in Concilio Matiſconenſi impetitæ, & à S. Euſtaſio deffenſæ, quæque Regulâ S. Columbani continebantur, *ſe ſcire*, inquiebat Agreſtius, *Columbanum à cæterorum more deſciſcere & ipſe Miſſarum ſolemnia multiplicatione orationum vel collectarum celebrare & multa alia ſuperflua.* Ordericus vero fatetur Luxovienſes à diſcipulis ſancti Columbani didiciſſe, *modum Divinæ ſervitutis & ordinem & formam orationum*

pro cunctis Ordinibus, aliaſque obſervationes quas uſque in hodiernum diem obſervare appetunt. Et ut videas inſtitutas à S. Columbano, in Regulam S. Benedicti conſuetudines, eodem modo apud Luxovïum duodecimo viguiſſe quo ſexto ſæculo, & ad futurum Adverſariorum noſtrorum errorem vitandum Præfationem fuiſſe neceſſariam.

CAPUT SEXTUM.

OPPOSITA NOBIS AB ADVERSARIIS argumenta diſcutiuntur.

I. Argumenta proponuntur & diſſolvuntur. II. Cellularum diviſio à S. Columbano diſcipulis permiſſa, eis prohibetur à Concilio anni 615. Vt ſecundùm Regulam S. Benedicti vivant jubetur. III. Senſus Concilii Venetenſis de ſolitariis Cellulis exponitur. IV. Curſus Divinus peragitur à diſcipulis S. Columbani ſecundùm Regulam ſancti Benedicti. V. Omiſſa Præfatio in quibuſdam Regulæ Cœnobialis codicibus opinioni Benedictinorum non obeſt VI. Regula Cœnobialis diverſis temporibus & S. Gregorii Dialogis poſterioribus & à diverſis Authoribus ſcripta probatur.

I. TRIA præcipuè nobis opponunt Adverſarii, ut Columbani Regulam à Benedictinâ totam & ex toto ſejungant Primum quod ex Regulâ Cœnobiali, bis tantùm in unâquaque hebdomadâ Monachi jejunium ſervaverint, nempe feriis quartâ & ſextâ. Secundum quòd Aſcetæ S. Columbani ſolitariè quodammodo vixerint, Cellulas ab invicem ſeparatas habentes. Tertium quod curſum id eſt officium Divinum à Benedictino diverſum habuerint. Quæ argumenta non pluribus quam proponuntur

cur verbis diſſoluam : Nam quantùm ad primum in illo celebri Monachorum cœtu Aquiſgranenſi anni 817. (cui S. Benedictus Anianenſis & ipſe Benedictinus præfuiſſe refertur,) totidem tantùm non plura jejunia Monachis Benedictinis imperantur. Quantùm ad ſecundum Monachi Camaldulenſes Benedictini, Cellulas ſingulas à cæteris ſeparatas habitant. Tertium tandem argumentum nullum eſt. Nam per B. Benedictum cap. 18. Reg. Abbatibus licitum fuit curſum in eâdem Regulâ imperatum mutare. Attamen in gratiam lectorum duo poſteriora dubia pluribus exponam.

II. Cellularum diviſio tûm primum in Benedictinum Ordinem per S. Columbanum inducta, damnata, & ad uſum Benedictinæ Regulæ revocata fuit per Concilium Gallicanum incerti loci ad annum 615. coactum, altero ſcilicet anno ab obitu S. Columbani. *Vt Monachi*, inquiunt Patres, *ſecundùm Regulam vivant, & non ſequeſtrati per cellas habitent, & convivant.* Quo Canone diſcimus eos Monachos qui ſequeſtrati per cellas habitabant, id eſt diſcipulos S. Columbani, habuiſſe principalem Regulam, quæ laudatam Cellularum ſeparationem vetabat; aliàs Synodus nullatenus eis imperaſſet ut ſecundùm Regulam viverent : Si enim eam tantum, quæ fertur, Columbani Regulam habuiſſent, nonniſi in diverſas Cellas diviſi, ſecundùm eam vivere dicendi forent, non verò ad commune dormitorium adigendi.

III. Hîc tamen obiter dicendum, non eumdem eſſe ſenſum hujus canonis, ac ejus qui ſeptimo loco ponitur in Concilio venetenſi ad annum 465. ubi habetur quod *ſervandum quoque de Monachis ne eis ad ſolitarias cellulas liceat à Congregatione diſcedere, niſi forte probatis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis neceſſitatem, aſperior ab Abbatibus Regula remittatur, quod ita demum fiet ut intra Monaſterii ſepta manentes, tamen ſub Abbatis poteſtate ſeparatas habere cellulas permittantur.* Nam in Canone Concilii 615. agitur contra eas Congregationes, quarum Monachi ſeparatim vivebant, & ſequeſtrati per Cellas ſingulas habitabant & ubi nullum commune Dor-

mitorium extabat. Altero vero Canone, uſus ille damnatur quo quidam Monachi unus aut plures, dimiſſo Dormitorio ſeu Cellâ communi in quâ omnes cubare ſolebant, ad Cellulas ſeparatas ferebantur niſi infirmitatis intuitu, aut aliâ rationabili causâ id eis eſſet ab Abbatibus conceſſum: At per Regulam peculiarem S. Columbani, ſeu per ejus conſuetudines uſu receptas nulla Cella communis omnibus, ſed ſingulis aut ſaltem duobus aut tribus ad ſummum Monachis, ſpecialis domus aut Cellula, ubi recumberent, concedebatur. Cum è contra juxta Benedictinam Regulam unum tantùm eſſet totius Congregationis Dormitorium. Quo datur intelligi eam Luxovienſium conſuetudinem ſpecialem eſſe damnatam, & oppoſitam Benedicti legem denuo præceptam fuiſſe. Huic Canoni obtemperaſſe videtur S. Remaclus primus Solemniacenſium Abbas qui in Monaſteriis ſuis Dormitoria omnibus communia condidit, id enim in Stabulenſi feciſſe ſcimus, in quo cum S. Landebertus cum Abbate & Monachis unà decumberet, & ſurgens è lecto, qui cæteros excitaret è ſomno ſtrepitum edidiſſet, in pœnam admiſſi reatûs eum Abbas amandavit ad crucem, qui caſus cellulas ſeparatas à S. Columbani Monaſteriis eo tempore excluſas fuiſſe demonſtrat.

Vita S. Land. n. 5. Sæc. 3. parte prima.

IV. Sed non ſemper Conciliorum decretis S. Columbani leges immutatæ fuerunt: Ipſe namque curſus Divinus quem alienum à S. Benedicti Officiis Divinis fuiſſe fatemur. (Si tamen ab ejus mente dici poteſt alienum quod ejus conceſſione omnibus licet.) Ille ergo ipſe curſus ab Adverſariis laudatus quaſi S. Benedicti, etſi Columbani Regulam à ſe invicem totus dirimeret, & nihil commercii inter eas aut inter utriuſque Monachos eſſe liceret; Ita tamen eos parum aut indifferenter aſtringit ut iiſdem ipſis, qui Normam S. Benedicti Columbanicis conſuetudinibus temperabant, ſemper licitum fuiſſe videatur ut, omiſſo Columbanico, curſu Benedictino Officium Divinum peragerent. Id feciſſe conſtat S. Burgundofora prima S. Columbani diſcipula, quam ipſe Sanctus, *manu ſanctificationis ſuæ Deo voverat.* Narrat enim Jonas ipſius

Vita S. Faronis cap. 17.

vitæ ſcriptor in eodem ſanctæ Burgundoforæ Monaſterio Moniales *diei crepuſculo matutinas laudes ceciniſſe.* Qui Benedictinarum mos erat. Nam juxtà S. Benedicti Regulam nocturnæ vigiliæ horâ ſecundâ poſt mediam noctem celebrari debebant. Laudes verò ſeu *matutini, nonniſi incipiente luce agendi ſunt.* At ſecundùm S. Columbanum vigiliæ nocturnæ perſolvebantur circa mediam noctem, & ab eis nullo temporis ſpatio matutinæ laudes disjungi licebat, ut vult Cointius. S. Burgundoforam imitatæ fuerunt Sueſſionenſes B. Mariæ, quæ æquè ac S. Burgundofora a ſui Monaſterii fundatione ad utramque Regulam more Luxovienſi tenebantur. Nam ſpeciatim *ad Regulam & Curſum S. Benedicti,* ſe aſtringere voluerunt adeò ut iis ponderibus ſuſtentemur unde nos dejici ſperabant Adverſarii noſtri. Nam Benedictinorum quamplurimi præcepta per S. Benedictum jejunia non niſi moderatione Columbanicâ tenuerunt. Ædes vero ſpeciales, quas S. Columbanus admittebat, Concilia lege Benedictinæ Regulæ prohibuerunt, & curſum proprium vel ipſe, ut par eſt credere, Columbanus, vel S. Euſtaſius Benedictino commutavit, eâque commutatione ſeu viciſſitudine diſciplinæ Regularis quâ Conſuetudines Luxovienſes aut ipſa S. Benedicti Regula in iiſdem Monaſteriis indifferenter, & pro ratione temporis diſſimiliter aut uno aut altero modo ſervabantur; apertum fit utramque Regulam ab acceſſu S. Columbani in Gallias ejuſdem S. Columbani diſcipulos obligaſſe.

Ad an. 590. n. 53.

In Privileg. S. Drauſionis.

V. Duo nobis iterum in laudatam Præfationem opponi poſſe ab Adverſariis præſentio, eam ſcilicet à quibuſdam codicibus abeſſe, in eâque teſtimonium ex dialogis S. Gregorii depromptum afferri. Quibus dialogis Regula S. Columbani antiquitate præſtat. At utraque præviſa difficultas, ut quidem ſpero, ad liquidum explicabitur. Scimus enim Amanuenſium plures, variorum Authorum opuſcula ſuppreſſis Præfationibus deſcripſiſſe; Idque feciſſe variis rationibus quas afferre difficillimum eſſet. Earum tamen Præfationum multas ex aliis Codicibus erutas Typis iterum mandatas fuiſſe videmus. Id contigit

Præfationi quam Marculfus formulis ſuis appoſuerat, aliiſque multis, quas videre eſt Tomis primo & ſecundo Analectorum Joannis Mabillonii & alibi, & Cointius ad annum 682. n. 27. narrat Bollandum in vitâ S. Vulfranni omiſiſſe prologum quem Jonas Fontanellenſis eidem præfixerat. Quid ergo mirum quod id ipſum contigerit Præfationi qua de agitur? Accedit huc quod Cœnobialis Regula quæ Præfationem annexam habet, quamque ex Codice Oxenhuſano, & Auguſtano Patricius Flemmingus edidit, diverſum omnino habeat Authorem ab eâ, quam Holſtenius ex Colonienſi codice prælo ſubjiciendam voluit: Etenim utriuſque initium, contextus, finis, prorſus diverſa ſunt. Nam apud Flemmingum hoc initium habet. *Incipit Regula Cœnobialis. Statutum fratres chariſſimi à ſanctis Patribus ut demus Confeſſionem ante menſam ſive ante Lectorum introitum. Aut quandocumque fuerit facile. Quia Confeſſio & Pœnitentia de morte liberant.* Eadem verò Regula apud Holſtenium, ab his verbis incipit. *Diverſitas Culparum diverſitatis Pœnitentiæ medicamento ſanari debet: Itaque fratres hujuſmodi ſtatutum à ſanctis Patribus ut demus Confeſſionem de omnibus, non ſolum capitalibus criminibus, ſed etiam de majoribus negligentiis,* Cætera verò ſequuntur, cum eâdem diverſitate ad finem uſque. Qui apud Holſtenium in hæc verba deſinit. *Hæc ſuperum volentibus carpere iter tendens alti ad faſtigia ſumma, relictâque humo cum flagitiis, ultro ambientibus uni adhærere Deo hanc in Tellurem miſſo, ſtatuimus; Qui immortalia nimirum ſunt præmia accepturi, cum gaudio ſummo, numquam decidente in ævum.* Quæ nec quoad ſenſum, nec quoad verba apud Flemmingum reperiuntur, apud quem caput ultimum inſcribitur, *de negligentiis ſacrificiorum.*

VI. Hæc Regulæ Cœnobialis diverſitas, non ſolùm nos adigit ut credamus eam diverſimodè à diverſis Authoribus editam: ſed maximè nos obſervare compellit, id contigiſſe variis in locis variiſque temporibus, quod ut rite concipiatur; Sciendum nullos Monachorum legiſlatores Regulas ſcribere conſueviſſe antequam ea quæ

mandanda legibus erant diuturnô uſu & exercitatione, in Aſcetarum morem abiiſſent. Eo modo ſe geſsêre S. Benedictus, S. Franciſcus, aliique, quorum ille à puero Monachus, ſuiſque legibus vivens, non niſi ſenex Regulam ſcripſit. Quantùm verò ad illas Regulas quæ ſpecialibus cujuſque Monaſterii aut Congregationis uſibus conſtant, de quibus undecimo diſſertationis capite diſſerui: non alio modo, id eſt, non niſi longo uſu approbatæ, litteris mandatæ fuerunt. Idque probari poteſt exemplo conſuetudinum Cluniacenſium, quæ à B. Odone inſtitutæ, non niſi ſub ſancto Hugone ſcriptæ videntur, ſolâ memoriâ, & uſu quotidiano ad hæc tempora ſervatæ, ut obſervare datur ex iiſdem conſuetudinibus quæ ab Uldarico Cluniacenſi Monacho, & à Bernardo ejus condiſcipulo eodem tempore in lucem fuerunt emiſſæ, eâ diverſitate, quæ diverſitatem Authorum luce clariùs indicaret, ut videre eſt tom. 4. Spicilegii, Præfationis pag. 7. 8. 9. Quamobrem licèt S. Columbanus ſuas conſuetudines, id eſt Regulas ſuas jam à longo tempore, ſeu ab ipſo ſeu ab aliis ipſo antiquioribus ſervatas ediderit, non continuò dicendum, id ab initio Luxovienſis Monaſterii contigiſſe: ſed credere eſt eum, cæteros antiquiores legiſlatores imitatum, non niſi ſenem ſuas Regulas longo uſu probatas condidiſſe, viſis antea S. Gregorii Papæ dialogis, ex quibus didicit S. Benedictum S. Gregorii Papæ teſtimonio omnium juſtorum ſpiritu repletum fuiſſe. Cum verò eô tempore quo S. Columbanus ſcribebat, ejuſdem leges varia Monaſteria ſervarent facilè mihi perſuadeo, eorumdem Monaſteriorum Aſcetas aliquos poſt S. Columbani deceſſum eaſdem conſuetudines vario ſtilo & quibuſdam additis aut detractis legibus ſcripſiſſe: Neque Jonas quidquam dixit quod his eſſet oppoſitum, qui ſolummodo aſſeruit S. Columbanum Regulam ſcripſiſſe, quo verò tempore id contigerit, tacuit. His ita diſputatis, facilis eſt utriuſque difficultatis ſolutio, nam qui Præfationem Regulæ S. Columbani annexam habent manu-ſcripti codices, originem videntur habere à Monaſteriis quæ S. Columbanus aut ejus ſocii incoluêre: qui vero eâdem

carent & alio ſtilo Regulam Cœnobialem deſcriptam nobis exhibent, alios S. Columbani Diſcipulos & fortè aliorum Monaſteriorum cultores, Authores habuere. Niſi fortè dixeris eamdem Præfationem Amanuenſium negligentiâ fuiſſe dimiſſam.

CAPUT SEPTIMUM.

SANCTVS COLVMBANVS.

EX IPSIUS ET DISCIPULORUM ACTIS, Benedictinus probatur.

I. Sanctum Columbanum Benedictinum probavêre ſuperiora capita II. Id iterum acta ejuſdem & diſcipulorum evincunt. III. IV. Nec ex Regulâ ſuâ nec ex Scoticâ, neque ex aliâ quavis vivâ voce traditâ legè, vivendi rationem accepit. V. VI. VII. VIII. IX. Sed ex Regulâ S. Benedicti, ſecundùm quam electi fuerant Abbates. X. XI. XII. XIII. XIV. Hoſpites ſuſcepti. XV. XVI. Cellerarius Monaſterii inſtitutus. XVII. Menſura potûs decreta. XVIII. XIX. Opus manuum indictum. XX. XXI *Artifices in Monaſteriis admiſſi.* XXII. XXIII. *Hebdomadariorum Coquinæ munia deſcripta.* XXIV. *Puerorum recipiendorum facultas conceſſa, & modus ſtatutus.* XXV. *Nova ſuſcipiendorum Monachorum ad Profeſſionem diſciplina mandata.* XXVI. *Stabilitas in Congregatione imperata.* XXVII. XXVIII. *S. Columbanus S. Gregorium Papam conſulit utrum ad ſtabilitatem Monachi teneantur.* XXIX. *Cuncta*

quæ hîc enumerantur à S. Donato Monialibus S. Columbani tanquàm ab eis promiſſa iterum imperantur. XXX. XXXI. XXXII. *S. Columbanus in Galliâ nihil diſcrepabat à Britonibus in eorum converſatione Eccleſiaſticâ ſeu quantùm ad Paſcha celebrandum & Tonſuram gerendam, ſed totus diſtabat ab eis in converſatione Monaſtica. Nullas etiam Regulas Gallorum ſequi volebat, quoad paſchatis diem figendum, ſed ſolas Regulas approbatas ab Anatolio, Scotis, & Britonibus.*

I. LICET ſuperiùs laudata Præfatio, ipsâ codicum & elementorum quibus concepta fuit, antiquitate, veritatem quam ſpirat, abundè tueatur, & S. Columbanum, Benedictinum oſtendat; Atque firmetur Petri venerabilis, Roberti de Monte & Moliſmenſium ſententiâ; antiquorum Monachorum traditione corroborata: Qui omnes Regulam S. Columbani pro conſuetudinibus in S. Benedicti Regulam habuêre: attamen idipſum hîc iterum ad manifeſtam lucem deduco & ex ipſius S. Columbani & diſcipulorum ejus actis eos Benedictinam Regulam ſervaſſe convinco. Sic ergo rem aggredior.

II. Sanctus Columbanus ſecundùm eam Regulam vixiſſe dicendus eſt, ex quâ præcipuâ vitæ Monaſticæ capita, ad Monachos & ad Ordinem Monaſticum inſtituendum aut reſtituendum aſſumpſit. At S. Columbanus ex Regulâ S. Benedicti præcipua vitæ Monaſticæ capita ad Monachos & ad Ordinem Monaſticum inſtituendum aut reſtituendum aſſumpſit: ergo S. Columbanus ſecundùm Regulam S. Benedicti vixiſſe dicendus erit. Major propoſitio & conſequentia ex præmiſſis deducta certæ videntur: Minorem verò in quâ tota difficultas conſiſtit hac ratione propugno.

III. Prima præcipuaqúe vitæ Monaſticæ capita, ſive eam jam conſtitutam, ſive conſtituendam conſideraveris, ea ſunt quibus, de Votis Monaſticis, de eorum con-

ditione, naturâ, formâque dicitur; quibus probandorum Novitiorum leges imponuntur; Adultorum ſive infantium ad profeſſionem admittendorum conditiones ponuntur; creandorum Abbatum facultas conceditur; moreſque futurorum Abbatum præſcribuntur; officialium munera, animique dotes explicantur; cuncta Monachorum exercitia præfiniuntur; vitæ ratio; alimenta; potûs cibique natura, menſura, qualitas; manuumque labor imperantur; Quibus horis & quantùm quieſcendum notatur; Quinam hoſpites & in quantùm tempus recipiendi jubentur: & cætera his ſimilia: quæ fruſtrà in utrâque S. Columbani Regulâ quæſieris, quocumque modo eadem conſiderentur; conjunctæ ſcilicet aut ſeparatæ: in iis enim ne unum quidem verbum reperire eſt, quod Columbani mentem circa hæc omnia quæ modo diſtinxi nobis aperiat, quaſi timuiſſet vir ſanctiſſimus ne eum in Legiſlatorum numerum ſcriberemus. Cum verò Novitios ad probationem, & Probatos ad profeſſionem admiſerit; numeroſam Monachorum Congregationem regendam ſuſceperit; Quatuor condiderit Monaſteria; nullaſque leges ediderit quibus enumerata modò vitæ Monaſticæ capita definiret: Dicendum videtur S. Columbanum aliam Regulam ab iis quæ ipſius nomine circumferuntur diverſam eodem ipſo tempore quo ſuperiores ſcriptis mandabat, coluiſſe.

IV. Hoc argumento irretiti, opinionis contrariæ propugnatores, variè ſeſe expedire tentarunt: Sed nullus adhuc hujus difficultatis nodum expediit. Alii namque dixerunt *primam S. Columbani Regulam, vivendi normam continere: Secundam verò, ſtatuta quædam ad prioris obſervantiam ordinata, quæ ſupponunt illam tanquam acceſſoria ad principalem, &c.* Ita Patricius Flemingus loco ſuprà laudato, quem Annalium conditor, aliique ſequuti fuêre. Sed quid hæc reſponſio ad quæſtionem? dicimus namque neutram S. Columbani Regulam prima vitæ Monaſticæ fundamenta complecti, ea ſcilicet quæ ſuperiùs enumeravimus, & proinde neceſſariò concedendum eſſe eumdem ſanctum aliam obſervaſſe & habuiſſe ex quâ fundamenta

fundamenta ſuperiùs laudata ad ſua dirigenda Monaſteria poſſet eruere. At nullo S. Columbani Regularum textu, ad ſolvendam difficultatem allato, nudè, definitivè tamen dicunt, primam Regulam vivendi normam continere; Secundam verò ſtatuta ad primam obſervandam neceſſaria. At vitæ Monaſticæ principia nulla ex iiſdem Regulis proferunt, quibus adduci poſſimus ut eiſdem propriè dictæ & principalis Regulæ nomen donemus.

V. Alii verò opinati fuerunt Columbanum quamdam ex Hibernis attuliſſe Regulam, quam in Galliis magiſtram ſequeretur: Sed cum nullo authore, nullâ ipſius Regulæ denominatione, cognitione nullâ, dicantur; nullâ etiam ratione dicta cenſemus. Quî enim fieri poteſt ut cum decreta Columbani ad ſæculum duodecimum in Monaſteriis cùm ab ipſo, tum ab ejus diſcipulis erectis duraverint; ſola ipſa principalis Regula tota perierit nullâ ipſius manente memoriâ?

VI. Iidem, qui ſupra, dixêre S. Columbanum vivâ voce, omiſſas in Regulis, leges dediſſe; Quæ ipſo Duce ad uſum revocatæ fuerunt. Sed hæc quoque premenda reſponſio: eodem enim modo quo cæteræ; Immo potiori jure quàm cæteræ rejici debet. Qui enim levioris, nulliuſque momenti leges ſcripto tulit, graviſſimas & eas è quibus totius inſtituti monaſtici œconomia pendet, non fuit omiſſurus; aut labili Monachorum memoriæ commiſſurus.

VII. Cæteri tandem dixêre S. Columbani Regulam pluribus olim capitibus conſtitiſſe, quæ neſcio quo pacto interierunt. Legimus enim in concordiâ Regularum cap. 74. ejuſdem Regulæ trigeſimum caput laudari; cum verò eadem ipſa quam modò præ manibus habemus decem tantùm capitibus conſtet, dicendum videtur viginti ſaltem capita in eâ deſiderari; in quibus, ut credere eſt, præcipua ſancti Columbani decreta continebantur. Sed hæc obſervatio merum eſt effugium: iiſdem enim, quas ſupra notavimus, difficultatibus ſubeſt, & S. Columbani diſcipulos incuſat, perinde quaſi præcipuas ſui Legiſla-

toris præceptiones ex Monaſteriis elabi, & oblivione perpetuâ obrui permiſiſſent. Cæterùm quod totam difficultatem dirimit, illud ipſum caput quod ex Columbano refertur, pag. 1082. Concordiæ Regularum ex Capite 23. Regulæ cujuſdam ad virgines, in Codice Regularum parte tertiâ, deſumptum fuit: Hac ſolâ differentiâ, quod in concordiâ Regularum, totum caput quod ex Regulâ S. Columbani exſcriptum dicitur, Maſculino genere ponitur. *Defendere proximum*, inquit, *vel conſanguineum in Monaſterio nullo modo permitti cenſemus, &c.* At in codice Regularum fœmineo, ut fœminas decet, *defendere proximam vel conſanguineam in Monaſterio nullo modo permitti cenſemus, &c.* Quò videas errorem in concordiam Regularum illapſum eo ex codice, & laudatum caput ad Regulam cujuſdam ad virgines, non verò ad Columbani Regulam pertinere.

VIII. His ita poſitis. Quid reſtat, niſi ut dicamus Præfationi, quam in Regulæ Cœnobialis capite tanti viri, de quibus Stengelius, legerunt, fidem integram habendam eſſe; & S. Columbani Regulas in Benedictinæ appendices ab ipſo earum principio conditas eſſe? Cum enim hujus unionis eadem, eaque maxima, ſemper fuerit neceſſitas; eamque factam fuiſſe innumera monumenta inferiùs referenda teſtentur: Neceſſariò dicendum videtur S. Columbani Regulas ab earum conditu S. Benedicti Regulæ unitas, ut ab ipsâ, ut ita dicam, ſuſtentarentur. Sed ne dixerint me argumento tantùm negativo hanc meam aſſertionem probaſſe, eam ab actis & ab uſu à B. Columbano, & ab ejus diſcipulis inſtituto iterum poſitivè firmabo.

§. PRIMUS.

DE ORDINANDO ABBATE.

IX. SANCTUS Benedictus cap. 64. Reg. de ordinando Abbate agens, hæc ait. *In Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, ut hic conſtituatur*

quem ſibi omnis concors Congregatio ſecundùm timorem Dei elegerit ; vitæ autem merito & ſapientiæ doctrinâ eligatur qui eligendus eſt, etiam ſi ultimus fuerit in ordine Congregationis &c. Quâ de re S. Columbanus, ne unum quidem verbum habet in utrâque Regulâ ; Quam autem Regulam in eligendis Abbatibus ſecutus fuerit, ex ipſomet diſcimus, qui Epiſtolâ ad diſcipulos & Monachos ſuos, hæc ait. *Si videatis profectionem meam à vobis plus elongari quàm ante, & me ſors à vobis ſeparaverit, & non ſufficiat Attala ad gubernationem veſtram, quia fratres veſtri hîc in viciniâ Britonum ſunt ; vos totos inſimul adunate in unâ parte quæ melior ſit, quò faciliùs contra vitia & inſidias diaboli dimicetis, & quem toti elegeritis, interim vobis præſit.*

X. Eumdem S. Columbanum imitati ſunt ejuſdem diſcipuli, & in eligendis Abbatibus eamdem S. Benedicti Regulam ſecuti. Ut verò id fiat manifeſtum, à Luxovienſibus Monachis ordiamur. Ipſi poſt obitum S. Euſtaſii Abbatis, ſanctum Vvaldebertum in ejus ſucceſſorem elegerunt. Quam electionem his verbis depinxit adſo Luxovienſis etiam Abbas, *nec patitur Divina Providentia ſacrum Ovile Rectore deſtitui ; Nam in illorum ſanctorum Collegio, cum forent plurimi, quos & ſapientia & vita commendarat : tamen univerſi pari voto, parique conſenſu Vvaldebertum virum æquè ſanctiſſimum loco Patris decedentis decernunt, ac loci Rectorem conſtituunt :* Eadem habet Jonas de ſancto Bertulfo tertio Abbate Bobienſi. *Cumque Repertor rerum,* inquit, *ſæpe fatum Patrem Attalam ad cœleſtia regna poſt ærumnas ſæculi evexit. Omnis Concio Monachorum voce animoque unito, in paterno honore,* aiunt, *Bertulfum ſublimamus.* In actis S. Deicoli qui circa annum vigeſimum ſupra ſexcenteſimum obiit. S. Columbini ejus ſucceſſoris electio his verbis deſcribitur. *Quemdam diſcipulum ſuum nomine Columbinum quem de ſacro fonte* (ſanctus ſcilicet Deicolus) *levavit, & per ſemetipſum inſtituit, de cujus & moribus valde erat ſecurus ; cum electione fratrum in locum ſuum Abbatem conſtituit atque regimen animarum commiſit.*

Sæc. 3. Bened p. 2. vita S. Vvaldeb. num. 7.

XI. Cointius ut his exemplis occurreret, quibus docemus S. Columbani diſcipulos ad inſtar Benedictinorum Abbates elegiſſe, eò proceſſit ut diceret, eos non ex Regulâ ſed ex privilegio electionem liberam habuiſſe; ſed ubinam ſint ejuſmodi privilegia non aperit, nec unquam ut opinor eadem in Annalibus reponet, quia nulla ſunt. Nullum enim privilegium pluribus ſimul Monaſteriis, aut toti ordini, ſexto, ſeptimoque ſæculo, in Galliis datum reperiet, quo generalis creandorum per Monachos Abbatum libertas conceſſa fuerit. Verum quidem eſt quòd Regum aut Epiſcoporum Luxovienſe Monaſterium id etiam ex privilegio habuiſſe ponitur à multis, ſed id affirmari non poteſt de alîis, de Lutrenſi ſcilicet & Bobienſi, cujus primum privilegium datum refertur à Romano Pontifice in favorem S. Bertulfi jam Abbatis. Immô ſi à ſilentio Jonæ argumentari licet, contra Cointium dicemus laudatum Luxovienſe privilegium nullomodo datum ſanctorum Columbani, Euſtaſii, Attalæque temporibus, cum in eorum actis à Jona exaratis, de Luxovienſe, Bobienſe, aliiſque privilegiis nihil habeatur. Viri doctiſſimi muneris eſt, ut Jonæ ſilentium eâ de re nobis explicet: Si datum Luxovienſe privilegium ante annum vigeſimum ſeptimum contendere velit. post sexcentesimū

XII. Sed miror quod vir doctiſſimus ex Regum Epiſcoporumque privilegiis quibus ea libertas quâ de agimus Monachis datur, eam ipſis innatam non eſſe, eamque ex Regulâ non habuiſſe velit, cum ſciat & habeat exploratum eamdem ex Regulâ Benedictinos omnes conceſſam habere; idque non obſtare quominus S. Maurus ejuſdem Regulæ Propagator præcipuus, Chlotharium primum deprecatus ſit, ut ait Fauſtus, *ut Regali edicto firmare dignaretur quatenus Congregationi loci ipſius electionem propriam per ſuccedentia liceret habere tempora, quod cum præcepto Regiæ poteſtatis juxta petitionem viri Dei Rex libenter annuiſſet, comitatus ejus Benedictione profectus eſt.* Hinc cæteri deinceps Benedictini, licèt jure communi electionem liberam haberent, ſanctum Maurum imitati, ſimilia privilegia petiere & obtinuere, nullumque reperi-

re eſt Monaſterium quod iiſdem firmatum non fuerit, idque non præſtitêre, ut creandorum Abbatum jus novum acquirerent, ſed ut futuri Reges prædeceſſorum ſuorum exemplis & diplomatibus deterriti, ab eâdem electione ſibi ſumendâ faciliùs abſtinerent. Non enim S. Maurus petiit à Clotario ut creandorum Abbatum facultatem Glannafolienſi monaſterio concederet, ſed ut eam quam beneficiô Regulæ tenebant ipſe firmaret, ne ſcilicet aliquando futuri Reges eamdem ſibi illatâ vi ſumerent.

XIII. Dicendum quoque videtur S. Mauri exemplum apud ſexti ſeptimique ſæculi Abbates eorumque ſucceſſores in uſum veniſſe, cùm formulæ privilegiorum, à Marculſo editorum, ex Benedictinæ Regulæ verbis formatæ videantur. *Juxta diſpenſationem Divinam*, inquit, *cum Abbas de ipſo Monaſterio ad Dominum migraverit. Quem unanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex ſemet-ipſis optimæ Regulæ compertum & vitæ meritis congruentem elegerint, ſimiliter ſine præmium memoratæ urbis Epiſcopus ipſe promoveat Abbatem.* At nihil magis ad Regulam Benedictinam accedere videtur quam iſta formula, quæ ex verbis ejuſdem Regulæ concepta videtur. *In Abbatis ordinatione*, inquit S. Benedictus, *illa ſemper conſideretur ratio ut hic conſtituatur quem ſibi omnis concors Congregatio ſecundùm timorem Dei elegerit: vitæ autem merito & ſapientiæ doctrinâ eligatur.* Quæ eadem videntur eſſe cum iſtis. *Quem unanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex ſemet-ipſis optimæ Regulæ compertum & vitæ meriritis congruentem elegerint.* Adeò ut hoc privilegium nihil ſit aliud quàm Benedictini decreti confirmatio. Quocirca in Privilegio Gorzienſi, quod ex Cointio ad annum 757. n. 15. ſub ſolâ S. Benedicti Regulâ & ſub ipſâ communi liberæ electionis jure fuit ædificatum: Ipſiſſima Marculfi formulæ verba poſita fuere. *Et juxtà diſpenſationem divinam cum Abbas de ipſo Monaſterio ad Dominum migraverit, quem unanimiter omnis illa Monachorum Congregatio optimæ Regulæ compertum & vitæ meritis congruentem elegerint, unà cum conſenſu & voluntate urbis Epiſcopi, ipſum ſibi habeant Abbatem.* Quo textu Marculfiana for-

mula explicata videtur, de Monaſteriis quæ Regulam S. Benedicti ſequebantur, pro quibus eam datam fuiſſe, poſſumus & debemus opinari. Ut ut ſit electio Abbatum de quibus egimus non ſecundùm formulas Marculfi quas nondum Marculfus litteris mandaverat, neque ſecundùm privilegia quæ nondum condita fuerant, neque etiam ſecundùm ea quæ nuſquam apparent, ſed ſecundùm S. Benedicti leges facta videbitur, cum iiſdem verbis facta referatur quibus eam S. Benedictus fieri voluerat, niſi dixeris S. Columbanum B. Maurum imitatum eligendorum Abbatum facultatem apud Benedictinos communem, authoritate Regiâ confirmari curaſſe. Sed utrùm illud privilegium datum fuerit ſanctorum Columbani & Euſtaſii temporibus adhuc hæreo.

§. SECUNDUS.

DE HOSPITIBVS SVSCIPIENDIS ex R. Bened. cap. 53.

XIV. CELLAM *hoſpitum habeat aſſignatam frater cujus animam timor Dei poſſideat, ubi ſint lecti ſtrati ſufficienter, & domus Dei a ſapientibus ſapienter adminiſtretur. Omnes ſupervenientes hoſpites tanquam Chriſtus ſuſcipiantur...... Vt ergo nunciatus fuerit hoſpes occurratur ei à Priore & à fratribus cum omni officio Charitatis.* De recipiendis hoſpitibus utraque S. Columbani Regula tacet. At S. Columbanus apud Luxovium cellam hoſpitibus recipiendis deſtinatam habuit. Id enim teſtatur Jonas. *Rex*, inquit, *ad virum Dei Luxovium venit, conqueſtuſque eſt cur à comprovincialium moribus deſciſceret, & intrà ſepta ſecretiora, omnibus Chriſtianis aditus non pateret. B. itaque Columbanus ut erat audax atque animo vigens, talia objicienti Regi reſpondit ſe conſuetudinem non habere ut ſæcularibus hominibus & à Religione alienis famulorum Dei habitationis pandat introitum. Sed opportuna loca ad hoc habere parata quo omnium hoſpitum adventus ſuſcipiatur.* Anonimus in vitâ S. Adelphii,

Tom. 1. Labbai.

cui ſynchronus fuit. *Cum ergo Cœnobium Luxovienſe S. Adelphius fuiſſet ingreſſus, mox S. Abbas Ingofredus cultor Dei unà cum fratribus ſuis velut ob conquirendæ æternitatis præmia, velut de-ſuperiùs munus deſtinatum amplectentes illum ſuſceperunt, ibique ſancto fratri Emmoni Monacho electo Dei commendatus cum multo & grandi ſtudio dilectus eſt. Nam illi tunc, id eſt Emmoni, de hoſpitibus inſtabat cura.*

XV. Eodem cap. S. B. vult ut *jejunium à Priore frangatur propter hoſpitem, niſi fortè præcipuus fuerit dies jejunii qui violari non poſſit.* Id quoque præſtiterunt ſancti Columbani diſcipuli, quos inter S. Vvallaricus. *Frequenter in totâ hebdomada niſi in die Dominico nihil in cibo ſumebat, non vinum, non ſiceram, neque aliud quod inebriare poteſt uſitans, cum in adventu quidem hoſpitum in dilectione charitatis de omnibus his poculis prægustaret.* S. ergo Columbanus eo modo quo S. Benedictus præſcripſit, in Luxovienſi cœnobio cellam hoſpitum ædificaverat; quam aſſignatam habebat frater, cujus animam timor Dei poſſidebat, ut contigit in Emmone quem inter ſanctos numeravere; & S. Vvallaricus ſuam jejuniorum rationem ex præſcripto S. Benedicti temperans. *In adventu hoſpitum in dilectione charitatis de his omnibus poculis prægustabat.* *Vita S. Vall. cap. 28. n. 32.*

§. TERTIUS.

DE CELLERARIO MONASTERII QUALIS SIT. Cap. 31. Reg. S. Bened.

XVI. CELLERARIUS *Monaſterii eligatur de Congregatione ſapiens maturus moribus, Sobrius . . . . Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo vel morâ offerat ut non ſcandaliſentur.* Cellerarium ne quidem nominat S. Columbanus ullo Regularum loco, neque ejus officium alteri impoſuiſſe videtur. At Cellerarium habuiſſe & apud ipſum eodem munere quo apud S. Benedictum functum legimus apud Jonam in vitâ ſancti Colum-

bani n. 26. *Patratum eſt aliud miraculum*, inquit, *quod per B. Columbanum & ejus Cellerarium factum fuit. Cum hora refectionis appropinquaret & Miniſter Refectorii Cerviſiam adminiſtrare conaretur .... Vas, quod tibrum nuncupant, Miniſter ad Cellarium deportat, &c.* In vitâ ſanctæ Salabergæ n. 19. *Cum vas ad plenè refertum ex potûs liquore non eſſet, Famulaque Chriſti cui obedientiæ causâ eodem anno, juxta Tenorem Regulæ, ad Cellarium cuſtodiendum ſororibuſque miniſtrandum ordo evenerat, ad venerabilem matrem cum humilitate veniens, ait. Domna Mater*, inquit, *quid faciemus quia vas non eſt plenum ex ſicerâ, & aër æſtuat, &c?*

Si verò quæras quæ-nam ſit Regula è cujus lege eodem anno virgini Chriſti Cellarium cuſtodiendum evenerat, Benedictinam debes intelligere, quæ officia alicujus momenti ſingulis annis Monachis injungenda decernit, neque ullum perpetuum Officialem admittit, quæque Cellerarii ſollicitudini omnia vaſa Monaſterii, cunctamque ſubſtantiam, infantes, infirmos, hoſpites, paupereſque commiſit, & eidem injunxit, *Vt ſine aliquo typo vel morâ fratribus conſtitutam annonam offerat.* Quæ omnia à B. Columbani Regulis abſunt. Niſi dixeris, ut verè dicendum eſt, Regulam S. Benedicti propriam S. Columbani Regulam fuiſſe quam profeſſus erat.

§. QUARTUS.

DE MENSURA POTUS. Cap. 40. Regulæ.

XVII. INFIRMORUM *contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini ſufficere per diem, Quibus autem Deus donat tolerantiam abſtinentiæ, propriam ſe habituros mercedem ſciant : . . . Vbi autem loci neceſſitas expoſcit ut nec ſupra-dicta menſura inveniri poſſit ſed multò minus, vel ex toto nihil benedicant Deum qui ibi habitant. Hoc ante omnia admonentes ut abſque murmurationibus ſint.* Vidimus paragrapho ſuperiori in Luxovienſi Monaſterio Columbanum

Columbanum ejuſque diſcipulos Cerviſiam in potum habuiſſe. Idipſum Lauduni contigiſſe ex vitâ ſanctæ Salabergæ conſtat. *Eodem verò tempore*, inquit Author vitæ S. Salabergæ loco ſupra citato , *dum B. viri Vvalberti præſtolaretur adventum & falerni copia deeſſet, jus tritici vel hordei quod Cerviſiam nuncupant...... juſſit facere: quam in vas, quod linguâ communi Tonnam vocant, mittere juſſit, ſed cum vas ad plenè refertum, &c.* ut ſuprà. Refert etiam Jonas n. 45. Vitæ S. Columbani quod Namnetis centum modii vini ſanctiſſimo viro oblati fuerint. Ex quibus conſtat ſanctum Columbanum ejuſque diſcipulos aliquando vinum , aliàs verò Siceram pro facultate & opportunitate locorum in uſum habuiſſe , id verò ex Benedictinæ Regulæ conceſſione feciſſe certum apparet: Si quidem utrumque permittit. Columbani verò Regula neque vini neque ſiceræ meminit : Neque ad Scotorum conſuetudinem amandat , neque aliquid præſcribit quo menſuram potûs aut cibi , aut eorum qualitatem præfiniat. Neque in oppoſitum adducatur tertium Regulæ caput, quod de cibo & potu inſcribitur, ibi enim nihil definit ; Sed ad abſtinentiam tantùm hortatur ; aliàs dicendum eſſet eumdem S. Columbanum ſuæ ipſius Regulæ violatorem eſſe. *Cibus ſit vilis & veſpertinus, Monachorum ſatietatem fugiens & potus ebrietatem, ut ſuſtineat & non noceat. Olera, legumina, farina aquis mixta cum parvo panis paximatio ne venter oneretur & mens ſuffocetur.*

XVIII. Hæc autem in legem ſcripta non eſſe patet; aliàs dicendum eſſet ſolum potum immoderatum ab eodem S. damnatum eſſe, quæ bibendi libertas nullatenus Monachum ſapit. 2. Ex primis hujus capitis verbis S. Columbani diſcipuli ad veſperam uſque jejunare tenentur. At ex Regulâ Cœnobiali feriis quartâ & ſextâ quæ ſunt præcipui jejunii dies non niſi uſque ad nonam jejunium debent protrahere. 3. Ex iiſdem laudatis verbis nihil præter olera, legumina, & farinam aquis mixtam id eſt inſulſiſſimam pultem in cibum poſſunt accipere : Cùm certò ſciamus ipſum Columbanum, & ipſius alumnos piſcibus veſci ſolitos. Neque dicant ipſum ſanctum Columba-

num Britonum more non Benedictinorum vixiſſe : Nam ea erat Scotorum Aſcetarum conſuetudo ut à vino perpetuò abſtinerent, quos Lindisfarnenſes Monachi imitati fuere uſque ad tempora Ceolfredi Regis, id eſt ad octavum ſæculum. *Hoc Rege Monacho facto efficiente*, inquit Simeon Dunelmenſis, *data eſt Linsfarnenſis Eccleſiæ Monachis licentia bibendi vinum vel Cerviſiam : ante illud tempus non niſi lac vel aquam bibere ſolebant ſecundùm antiquam traditionem S. Aidani primi ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitis & Monachi, qui cum illo de Scotiâ venientes ibidem donante Rege Oſvvaldo manſionem acceperant & cum magnâ diſtrictione futuræ vitæ ſervientes degere gaudebant.* Quibus mirè concinit Patricius Flemingus n. 45. Diſſertationis, ubi ex aſpero Scotorum Monachorum vivendi modo probare conatur, eorum neminem ætate S. Columbani Benedictinis addictum ; cum è contra ex hac abſtinentiâ vini à Scotis omnibus ſervata dicendum fuerat nec S. Columbanum, nec ejus diſcipulos Scotorum vivendo morem habuiſſe: & hoc ipſum caput de cibo & potu, ex Scotorum quidem uſu conditum, ſed per modum conſilii non præcepti, cùm ipſemet. S. dulcioris vitæ & facilioris exempla dederit. Quibûs ita poſitis conſtat S. Columbanum nec ſecundùm ſuam, nec ſecundùm Scotorum Regulam ſed ſecundùm Benedictinam vixiſſe, quæ ſola ex his tribus Regulis vinum & piſces Monachis concedit. Vide etiam ſi libet quæ hac de re cap. 12. diſſertationis ſcripſimus de Landevenenſibus qui Scotorum mores ſequebantur quorum Author S. Vvinvaloëus, *Nullum vvæ liquorem nec mellis, nec lactis, nec Cerviſiæ ſumpſit : cujus potus conſtabat ex aquâ plurimâ & aliquibus malorum agreſtium ſuccis*, &c.

§. QUINTUS.

DE OPERE MANVVM QVOTIDIANO. Cap. 48. Reg. B.

XIX. OTIOSITAS *inimica eſt animæ, & ideo certis temporibus occupari debent fratres in la-*

bore manuum, certis iterum horis in lectione Divinâ &c.... *Si autem Neceſſitas loci aut paupertas exegerit ut ad fruges colligendas per ſe occupentur, non contriſtentur, quia tunc verè Monachi ſunt ſi labore manuum ſuarum vivunt, ſicut & Patres noſtri & Apoſtoli.* Videamus modò quî S. Columbanus ejuſque diſcipuli recondendis frugibus inſudaverint. *Interea tempus evenerat*, inquit Jonas in vitâ. S. Columb. n. 21. *Vt copiæ ſegetum horreis conderentur, nec prorſus vis ventorum nubes compilare ceſſabat, urgebat ſanè neceſſitas, ne maturæ meſſis ſpicæ, in ſtipulam germine emiſſo, perirent; Eratque vir Dei apud Fontanas Cœnobium ubi & meſſis copiam novus ager locupletem dederat...... accerſivit omnes ac ſegetem præcîdi jubet*, &c. & ibid. n. 23. *quadam die cum vir Dei egregius ad præcidendam meſſem cum fratribus penes Calmem quam Baniaritiam vocant veniſſent.* Et num. 28. *Venit idem Columbanus ad Fontanas Cœnobium reperitque fratres ſexaginta ſarculo terram excolere.*

XX. Nihil, in totâ S. Columbani Regulâ de opere manuum præfinitur & indeterminatè tantùm habetur cap. 3. *ſemper eſſe laborandum, ſemper legendum, ſemper orandum.* Tempora quidem Columbani diſcipulos habuiſſe quibus aut lectioni aut operi vacarent, ex pœnitentiali diſcimus ubi habetur, *eum qui lectionem operi prætulerit ſuppoſitione ſilentii puniendum.* Quandonam verò laborandum, quanto tempore, quo genere laboris, à Benedictïnâ non à Columbanis Regulis quærendum fuit ut per ſe patet.

§. SEXTUS.

DE ARTIFICIBVS MONASTERII. Cap. 57.

XXI. ARTIFICES *ſi ſunt in Monaſterio cum omni humilitate & reverentiâ faciant ipſas artes, ſi tamen juſſerit Abbas*, &c. S. Audoënus in vitâ S. Eligii, hæc habet, loquens de Solemniacenſi Monaſterio. *Eſt autem Congregatio nunc magna diverſis gratiarum floribus*

ornata, habentur ibi & Artifices plurimi diverſarum Artium periti, qui timore Dei perfecti ſemper ad obedientiam ſunt parati.

Hic videre mihi videor exemplar ad cujus imaginem Clarævallenſes ſunt efformati, de quibus Villelmus Abbas S. Theodorici lib. 1. de vitâ S. Bernardi n. 35. hæc habet. *In valle illâ plenâ hominum, in quâ nemini otioſum eſſe licebat omnibus laborantibus & ſingulis circà injuncta occupatis mediâ die, mediæ noctis ſilentium à ſupervenientibus inveniebatur, Præter laborum ſonitus: Vel ſi fratres in laudibus Dei occuparentur.* At tam Solemniacenſe quam Clarævallenſe Monaſteria obtemperabant Regulæ S. Benedicti, quæ artificum munera ſtatuebat non verò S. Columbani Regulis quæ nec Artificum nomen ſcriptum habuere.

§. SEPTIMUS.

DE HEBDOMADARIIS COQVINÆ. Cap. 35.

XXIII. EGRESSURUS *de ſeptimanâ Sabbato Munditias faciat, lintea cum quibus ſibi fratres manus, aut pedes tergunt, lavet; pedes verò tam ipſe qui egreditur, quam ille qui intraturus eſt, omnibus lavent,* &c. In omnibus S. Columbani Monaſteriis caput trigeſimum quintum Regulæ Benedictinæ ſervatum fuiſſe ad litteram obſervare licet ex cap. 10. vitæ S. Bertini cujus vitæ Author ſic loquitur. *Fertur ſiquidem à Senioribus noſtris, eumdem virum Dei quodam Sabbato ſanguine minutum, à maligno ſpiritu ſub ſpecie Puellæ Regiæ perſonæ tentatum, nec primùm dolos tantarum percepiſſe inſidiarum. Sed cùm jam fratribus eum ad mandatum Domini, quod apud Monachos ſingulis Sabbatis ex more celebratur, operientibus vellet abire, illaque eum retinere tentaret loquens quaſi de Monaſterii neceſſariâ utilitate, magis autem anhelans ut ſi poſſet captivum duceret ſervum Domini ſuâ turpi commixtione; prædictus Dei Pontifex S. Martinus ei apparuit fratrem & amicum dulci compellans affatu, inſidiantes in pel-*

lice inimici Cavillationes, doloſque retexit; quòd mox idem Tyro Domini à ſe crucis ſigno abegit, ſurgenſque fratres ſe ad mandatum Domini poſtulantes, Deum laudans ſuper tantâ ejus pietate petivit :... conſiderans ergo pius Pater omninò Monachis non expedire ſexui fœmineo quovis modo communicari, penitus excluſit ſub Anathemate ingreſſum fœminarum de aditis ejuſdem Cœnobii. Quibus in verbis primùm advertere poſſumus S. Bertinum adhuc juvenem hanc paſſum eſſe tentationem eo ſane tempore quo ſub S. Euſtaſio Tyrocinium ageret, nam ex ipſius vitâ, *Monachum in Luxovienſi Cœnobio ſub Patre Euſtaſio profeſſus eſt.* Quo poſito, dicendum ſub Euſtaſio Luxovienſium Abbate Monachos non modò Luxovienſes ſed & cæteros aliorum Aſceteriorum, mandatum Domini ſingulis ſabbatis ex more celebraſſe, ſeu ut verbis S. Benedicti utamur, hanc apud Monachos fuiſſe conſuetudinem ut *ſingulis Sabbatis intrantes & exeuntes hebdomadarii coquinæ, pedes totius Congregationis lavarent.* Qui Monachorum uſus in Galliis non à Regulis ſanctorum, Columbani, Baſilii, Macarii & aliorum, ſed ex ſolâ S. Benedicti Regulâ ortum habuit, & jam longè antequam laudatum patraretur miraculum apud Monachos invaluerat & ab omnibus receptus videbatur, ut fatetur Author his verbis *quod apud Monachos ſingulis Sabbatis ex more celebratur,* apud eos Monachos ſcilicet qui Benedictinam profitebantur Regulam ex cujus præſcripto hic uſus invaluerat.

§. OCTAVUS.

DE FILIIS NOBILIVM VEL PAVPERVM qui offeruntur, quomodo ſuſcipiantur. Cap. 59. Reg. B.

XXIV. S*I quis de Nobilibus*, inquit S. Benedictus, *offert filium ſuum Deo in Monaſterio; ſi ipſe puer minor ætate eſt, Parentes ejus faciant petitionem & manum pueri involvant in pallâ Altaris, & ſic eum offerant: de rebus autem ſuis aut in præſenti petitione promittant ſub jurejurando, quia numquam per ſe, numquam per ſuſpec-*

tam perſonam neque quolibet modo, ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi : vel certè ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in Eleemoſinam Monaſterio pro mercede ſuâ, faciant de rebus, quas dare voluerint, Monaſterio donationem. S. Columbanus non modò nihil dixit in ſuis Regulis de puerorum oblatione Monaſticâ. Sed prorſus in eorum ſuſceptione ea omnia præſtitit quæ hîc à B. Benedicto jubentur. Nam Jonas in vitâ S. Columbani S. Donatum à S. Columbano à tenerrimâ ætate ſuſceptum; in Monachum refert, quo verò modô id factum fuerit narrat in vitâ S. Agili Anonymus ille, quem ipſi coætaneum ſcribit Cointius ad annum 634. *Optata dehinc dies advenerat*, inquit, *in quâ pius Pater* (S. Agili) *voti completor & deſiderii poſſeſſor applicans ſacris altaribus caram ſobolem devotiſſime Deo offerret in jam dicto Monaſterio* Luxovienſi ſub S. Columbano, *ditans eumdem locum ſupellectilis variæ muneribus, quin etiam largiens per titulum teſtamenti ex propriâ ditione numeroſam copiam fundi ac familiæ; ſicque ingrediens laudabilis Agilus ævum pueritiæ committitur Euſtaſio probatæ Religionis viro ſacris litteris erudiendus cum aliis virorum nobilium filiis.* Quo loci omnia à S. Benedicto imperata, facta noſcuntur ab ipſo S. Columbano, quem non affirmo Benedictinum eo quòd pueros ad habitum ſuſceperit,quod & alii Abbates ante S. Benedictum fecêre, ſed quod eo ipſo modo quem B. Benedictus præſcripſit, eam fecerit oblationem, involuendo ſcilicet manum pueri in pallâ altaris. Quâ de causâ Pater Agili eum ſacris altaribus applicavit, & ne tribueret ei aliquam occaſionem habendi divitias ; ea prædia eamque ſuppellectilem quæ eidem ſancto ex Parentum hæreditate contingere poterat, per titulum teſtamenti in jus & poſſeſſionem Luxovienſis Monaſterii tranſtulit, quam cautionem in admittendis ad profeſſionem pueris ante ſanctum Benedictum Legiſlatorum nullus adhibuit.

§. NONUS.

DE DISCIPLINA SUSCIPIENDORUM FRATRUM. Cap. 58. Benedictinæ Regulæ.

XXV. SAnctus Columbanus nihil de fratribus ad habitum aut profeſſionem Monaſticam admittendis, neque de eorum animi aut corporis affectionibus habet. Hæc verò S. Benedictus ritè deſcribit quæ S. Columbani diſcipulos feciſſe ſcimus. *Res ſi quas habet,* inquit S. Benedictus, *aut eroget prius Pauperibus, aut factâ ſolemniter donatione conferat Monaſterio nihil ſibi reſervans ex omnibus. Quippe qui ex illo die,* Profeſſionis, *nec proprii corporis poteſtatem habiturum ſe ſciat.* Quæ omnia Agreſtius præſtitit, cum à ſancto Euſtaſio in Monachum fuit attonſus: ut diſcimus in vitâ ipſius ſancti à Jonâ compoſitâ n. 6. *excitat diabolus,* inquit, *unum ex ſubditis Agreſtium nomine, qui quondam Theodorici Regis Notarius fuerat, & quâdam cordis compunctione tactus omnia quæ poſſederat relinquens & ad Luxovium veniens ſe & ſua omnia ſupradicto Patri Euſtaſio tradiderat.* Eadem S. Vvalbertus ſub eodem S. Euſtaſio, ſed meliori ſorte præſtitit. *Qui Dei nutu,* inquit Adſo loco ſupra laudato, *ac B. Patris Euſtaſii conſultu Luxovienſe Monaſterium devotus expetiit ac traditis rerum ſuarum illic quæ per diverſa loca ampliſſimè poſſederat prædiis, armiſque depoſitis.... Servorum Dei numero adiit ſociandus.*

XXVI. Hoc ipſum Benedictinæ Regulæ caput in epitomen redactum ſextum S. Donati Regulæ caput conſtituit quo præcipua receptionis & Monaſticæ profeſſionis capita ab eodem S. Benedicto mandata explicantur, & jubetur ut ſi ea quæ ad profeſſionem venit mulier *promiſerit deſtabilitate ſua perſeverantiam tunc demum poſt anni circulum in cœnobium ingrediatur, & obedientiâ & ſtabilitate promiſsâ in Congregatione ſocietur.* Hæc autem verba deſumpta fuiſſe ex Benedictinâ normâ Adverſarius ultrò fatetur: Sic enim loquitur Occidentalium Monachorum

Patriarcha. *Si promiſerit de ſtabilitate ſuâ perſeverentiam.... Suſcipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſuâ & converſione morum ſuorum & obedientiâ coram Deo & ſanctis ejus ...... & jam ex illâ die in Congregatione reputetur.* Quæ profeſſionis forma à ſancto Columbano uſurpata videtur, & ejuſdem diſcipulis præſcripta. Id certum evadit ex eâdem Regulâ à ſancto Donato pro Monialibus editâ, vir enim ſanctus, precibus S. Columbani à Deo impetratus, ab eodem ſancto baptizatus & in Monachum attonſus, nunquam ſorori ſuæ aliiſque Monialibus quæ ſancti Columbani normam voverant aliam profeſſionis formam, diverſamque ab eâ quâ vitam Monaſticam promiſerant uſu recipiendam juſſiſſet.

XXVII. At ea quæ capite ſexto Regulæ Donati præſcribitur profitendi forma, nullâ Orientalium, nullâ Occidentalium Regulâ continetur, & à ſolo ſancto Benedicto fuit inventa ab eoque ſolo & ab ejus diſcipulis pluribus ſæculis ſervata. Neque iterum dicant S. Donatum hoc ipſum ſuæ Regulæ caput ex Benedictinis quidem mandatis hauſiſſe, ut Cointius fatetur, ſed de novo Monialibus per eumdem Epiſcopum imperatum. Nam ex primis ejuſdem capitis verbis apparet eaſdem Moniales quibus Regulam ſcribebat Benedictinis verbis ſua vota dixiſſe. *Hæc igitur*, inquit, *imprimis veſtro ſancto Cœnobio conſervanda eſt norma, ut quæcunque Deo inſpirante converti voluerit, non ei liceat ſtatim habitum Religionis aſſumere, niſi antea in multis experimentis fuerit voluntas illius approbata : ſicut ait Apoſtolus, probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* &c. Quæ ex capite 58. Benedictinæ Regulæ deſumpta fuerunt; quæ proinde à Juſſanis Monialibus jam ab initio fundati ipſarum Aſceterii ſervabantur, antequam S. Donati Regula conderetur quæ jubet ut norma eiſdem primò impoſita, ſemper conſervetur intemerata.

XXVIII. Ipſemet S. Columbanus eodem ſtabilitatis voto ſe ſuoſque diſcipulos teneri, dicere videtur in Epiſtolâ 5. ad S. Gregorium Papam, quâ eum interrogat. *Quid faciendum ſit de Monachis*, ſuis procul-dubio, *qui pro Dei intuitu & vitæ perfectioris deſiderio accenſi contra votis*

ta venientes, primæ converſionis loca relinquunt, & invitis Abbatibus fervore Monachorum cogente, aut laxantur aut ad deſerta fugiunt? Neque ſanctus Columbanus de alienis Monachis, quorum nulla ipſi commiſſa cura fuerat, quid agendum eſſet inquireret. Neque etiam de ſuis Monachis ſanctum Gregorium conſuluiſſet niſi iidem ipſi edito voto ſtabilitatem promiſiſſent. Quod ſi illa eſt cujuſque loci principalis Regula, ut vult doctiſſimus Flemmingus, in diſſertat. de S. Columbani profeſſione Monaſticâ, & plerique omnes alii, ex quâ formâ ſubſtantiâque votorum deſumitur: certè leges Benedictinorum in Luxovienſi Monaſterio ab ipſius conſtructione principem locum ſemper habuiſſe fatendum; cum S. Columbanus ejuſque diſcipuli ſecundùm Regulam S. Benedicti vota Monaſtica Deo dixiſſe videamus.

XXIX. Immo cum S. Donatus amantiſſimus S. Columbani diſcipulus præcipua totius Regulæ ſuæ capitula, quæque ad Monaſticam Regulam inſtituendam accommodatiſſima & abſolutè neceſſaria videbantur, ex Benedictinâ deſcripſerit, nemo, ut quidem opinor, inficiari poterit eadem ipſa capitula S. Columbanum ad informandum Luxovienſe Monaſterium à primâ conditione ipſius adhibuiſſe; ſi enim aliam ipſe condidiſſet aut ab aliis accepiſſet Regulam ex cujus præſcripto Monaſticam inſtituiſſet converſationem, eamdem ſanctus Donatus ad ſuam ipſius condendam Regulam adhibuiſſet: nec potuiſſet ad alienum ab eo quod promiſiſſet inſtitutum deficere, ut ſorori ſuæ ejuſdem inſtituti cultricem ſtatuta conderet.

XXX. Eadem quam ſtatuo veritas, melius eluceſcet, ſi ea quæ factitavit S. Columbanus aut ipſius diſcipuli quæque his novem paragraphis continentur, inter ea capita quæ ex Benedictinâ Regulâ S. Donatus aſſumpſit dinumeraverimus; hæ autem ſunt. *Qualis debeat eſſe Abbatiſſa; de adhibendis ad conſilium ſororibus; de inſtrumentis bonorum operum; de præpoſitâ Monaſterii; de diſciplinâ ſuſcipiendarum ſororum; ut nulli liceat rem propriam poſſidere; Qualiter ad officium Divinum curratur; de ſignificandâ horâ operis Dei; de Oratorio Monaſterii; de diſciplinâ pſal-*

lendi in oratorio ; de Reverentiâ orationis ; Qualiter ſilentio ſtudere debeant ſorores ; ſi omnes debeant æqualiter nenneceſſaria accipere ; de quadrageſimæ obſervatione ; degradibus humilitatis ; de taciturnitate ; ut nulla à Parentibus ſuis ſine juſſione aliquid accipiat ; de Oſtiaria, de Cellerariâ Monaſterii ; de ferramentis Monaſterii ; quomodo dormire debeant ; de Ordine Congregationis ; de ſeptimanariis Coquinæ ; ſi ſorori impoſſibilia injunguntur ; qualis debeat eſſe modus excommunicationis ; de gravioribus culpis ; de his quæ junguntur ſine juſſione excommunicatis ; Qualis debeat eſſe ſollicitudo circa excommunicatas ; de his quæ ſæpius correctæ non emendantur ; ut non præſumat altera aliam deffendere. Nihil autem ex his omnibus modò laudatis habet ſanctus Columbanus in ſuis Regulis ; Cumque ex actis ejus ſuperiùs laudatis videamus eum plura ex allatis capitibus ſervaſſe ; Idem dicendum eſſe de cæteris videtur. At enim ſi in his omnibus agendis idem S. aliam ſequutus fuiſſet Regulam eadem ex Benedictinâ mutuatus non eſſet S. Donatus S. Columbani tot rationibus filius, nempe ratione conceptionis miraculoſæ, Baptiſmi & profeſſionis Monaſticæ, quæ regeneratio altera vocatur. Quibus poſitis videat lector utrum S. Columbanus Benedictinus dici non poſſit.

XXXI. Aliquorũ dubia, in hanc quã deffendo propoſitionem oppoſita, hîc palam referre ſimul & refellere juvat. Nobis ergo opponunt tres Anglorum Epiſcopos apud Bedam lib. 2. cap. 4. dicentes *S. Columbanum in Galliis venientem nihil diſcrepare à Britonibus in eorum converſatione cognovimus.* Ex quibus evidens eſſe volunt, S. Columbanum in Galliis morantem purum putum Britonem fuiſſe, ſtatutaque Britonum Monaſtica, à Benedictinis legibus aliena, ſervaſſe. Sed pudet virum doctiſſimum ambiguâ voce deceptum, eâdem cæteros decipere voluiſſe : non enim eo loci agitur de converſatione Monaſticâ quâ Monachi in ſuis moribus à cæteris hominibus differrent: ſed de converſatione quâ Scoti, Britones, aliæque gentes Chriſtianæ ab Eccleſiâ Romanâ in celebratione Paſchæ ; aliiſque ritibus diſtabant, *ubi*, inquit Beda, *S. Lau-*

rentius Archiepiſcopus Scotorum in præfatâ ipſorum Patriâ, quomodo & Britonum in ipsâ Britaniâ vitam ac profeſſionem minùs Eccleſiaſticam in multis eſſe cognovit maximè quòd Paſchæ ſolemnitatem non ſuo tempore celebrarent, ſed ut ſupra docuimus à decimâ quartâ lunâ uſque ad vigeſimam Dominicæ Reſurrectionis diem obſervandum eſſe putarent, ſcripſit cum Coëpiſcopis ſuis exhortatoriam ad eos Epiſtolam obſecrans eos & conteſtans unitatem Pacis & Catholicæ obſervationis cum eâ quæ toto Orbe diffuſa eſt Chriſti Eccleſiâ tenere. Huc uſque Beda, qui ſuperioribus Epiſtolam quâ de agitur ſubjungit in hæc verba. *Dominis chariſſimis fratribus Epiſcopis vel Abbatibus per univerſam Scotiam, Laurentius, Mellitus, & Iuſtus Epiſcopi ſervi ſervorum Dei. Dum nos ſedes Apoſtolica more ſuo, ſicut in univerſo Orbe terrarum in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret; atque in hanc inſulam quæ Britannia nuncupatur, contigit introiſſe, antequam cognoſceremus, credentes quod juxta morem univerſalis Eccleſiæ ingrederentur, in magnâ reverentiâ ſanctitatis tam Britones quam Scotos venerati ſumus; ſed cognoſcentes Britones, Scotos meliores putavimus. Scotos verò per Dagamum Epiſcopum, in hanc, quam ſuprà memoravimus inſulam; & Columbanum Abbatem in Galliis venientem nihil diſcrepare à Britonibus in eorum converſatione didicimus. Nam Dagamus Epiſcopus ad nos veniens, non ſolum cibum nobiſcum, ſed nec in eodem hoſpitio in quo veſcebamur, ſumere voluit.* Quibus omnibus verbis nulla movetur quæſtio de profeſſione Regulari, ſed de ſola converſatione Scoticâ & Britannicâ, quâ S. Paſcha non eodem tempore quo Eccleſia Romana celebrabant. Quam converſationem Britannicam S. Columbanum in Galliis tenuiſſe fatemur. Nam iiſdem ipſis temporibus quibus S. Laurentius aliique ſancti Scotos & Britannos ſchiſmaticos inſectabantur, Galliarum etiam Epiſcopi in Synodum coacti, S. Columbanum eâdem de causâ perſequebantur. Cui Synodo cum adeſſe noluiſſet neque decretis ipſius obtemperare, tandem ſolum vertere coactus fuit. Id omne ſanctus Columbanus teſtatur Epiſtolis ad Bonifacium

Papam, ad Patres Synodi cujuſdam Gallicanæ ſuper quæſtione Paſchæ congregatæ, & ad diſcipulos Monachoſque ſuos, in quarum ſecundâ fusè de Paſchate in favorem Scotorum contra Romanos diſputat; & in ultimâ inter ſuas, etiam diſcipulos diſcordiam de eâdem quæſtione movendam diffitetur. Quapropter eumdem S. Purum Putum Britonem, quantùm ad Ritus ab Eccleſiâ damnatos fateri debemus, nullo modo verò quantùm ad vitam Monaſticam attinet.

XXXII. Patricius Flemmingus ſimili luſit verborum ambiguitate cum nobis S. Columbanum appoſuit dicentem Epiſtolâ ad Bonifacium ſe *Nullas Gallorum Regulas ſequutum eſſe.* Nam ibi agitur de Regulis quas Galli in Paſchatis die definiendâ ſequebantur, non de ullâ vitæ Monaſticæ normâ. Id obſervare licet ex omnium Columbani Epiſtolarum contextu, quæ omnes de ſolâ Paſchali quæſtione diſputant. Id etiam videre eſt in eo textu ex quo verba nobis oppoſita deſcripta fuere. *Preces ad te fundimus*, inquit S. Columbanus, *ut nobis peregrinis laborantibus tuæ piæ ſententiæ præſtes ſolatium. Quâ ſi non contra fidem eſt, noſtrorum traditionem robores ſeniorum, quò Ritum Paſchæ ſicut accepimus à Majoribus, obſervare per tuum poſſimus judicium in noſtrâ peregrinatione; conſtat enim nos in noſtrâ eſſe Patriâ, dum nullas iſtorum ſuſcipimus Regulas Gallorum ſed in deſertis ſedentes, nulli moleſti, cum noſtrorum Regulis manemus ſeniorum, pro quibus deffendendis, ſive ad vos, ut dixi, Apoſtolicos Patres; ſive ad iſtos vicinos noſtros fratres, noſtros in Chriſto Patres ſcripſimus iſtas quas hæc cartula commendat Epiſtolas.* Ubi certum eſt Columbanum de his Regulis loquutum fuiſſe, pro quibus deffendendis ſcripſit ad Bonifacium, & etiam ad Patres Synodi Gallicanæ, ad quos antea de eâdem Paſchæ quæſtione ſcripſerat. Quarum litterarum exemplar miſerat ad Bonifacium. In iis autem, ſic Columbanus loquitur Epiſtolâ. 2. *Quæramus itaque ſimul quæ vos ô amantiſſimi Patres ac fratres & videamus qualis verior ſit traditio, veſtra an fratrum veſtrorum in Occidente. Omnes enim Eccleſiæ totius Occidentis non reſpi-*

ciunt fieri debere Reſurrectionem ante Paſſionem, id eſt ante æquinoctium Paſchæ, & vigeſimam lunam non excedunt, ne ſine authoritate veteris Teſtamenti Sacramentum novi Teſtamenti agant . . . & infrà *confiteor conſcientiæ meæ ſecreta, quod plus credo traditioni Patriæ meæ juxta do..... & calculum 84. annorum & Anatolium ab Euſebio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Authore Epiſcopo, & ſancto Catalogi ſcriptore Hieronymo laudatum Paſcha celebrare, quam juxtà Victorium nuper dubiè ſcribentem, & ubi neceſſe erat nihil definientem, ut ipſe in ſuo teſtatus eſt Prologo.* Varias ergo Regulas ſequebantur, cùm Galli, tum Britanni & Scoti, quos ſub nomine Occidentalium Patrum S. Columbanus deſignat. Galli iiſdem Regulis quibus Eccleſia Romana tenebantur: S. vero Columbanus Scoticis ab Eccleſiâ Romanâ damnatis à quibus diſcedere fugiebat ne Romanorum, Gallorumque Regulis de Paſchate celebrando editis adhæreret. De Regularibus verò ſeu Monaſticis Scotorum Regulis ne unum quidem verbum in Epiſtolâ ſuprà laudatâ trium Epiſcoporum, neque in Columbanicis habetur. Uno verbo S. Columbanus eas Regulas ſervare ſe dicit quas tuebatur contra Galliarum Epiſcopos. *Nullas iſtorum*, inquit, *ſuſcipimus Regulas ſed in deſertis ſedentes nulli moleſti cum noſtrorum Regulis manemus ſeniorum, pro quibus deffendendis ſive ad vos, ſive ad iſtos Galliarum Epiſcopos ſcripſimus.* Ex quibus conſtat hîc de Regulis Paſchalibus à ſanctis Patribus editis non de Monaſticis Regulis agi. Tandem harum reſponſionum omnium in hoc tota ſumma conſiſtit, quod vivente S. Columbano nullas ipſiûs, nullas Scotorum Hibernenſium, Britonumque aſceticas Regulas impugnatas à quoquam fuiſſe legamus; eorumdem verò Regulas quibus diem Paſchæ ſingulis annis definire voluerunt, ſanctiſſimi Præſules *Laurentius Mellitus & Iuſtus* in Angliâ, & Synodus Gallicana apud Gallos ut ſchiſmaticas rejecêre, ut patet ex Bedâ Epiſtolâ ſuprà laudatâ; & ex ipſomet ſancto Columbano Epiſtolis ad ipſam Synodum & ad ſummos Pontifices directis, quas ſupra laudavimus, pro quibus defendendis Regulis, eas omnes Epiſtolas ſe ſcripſiſſe

S. Columbanus teſtatur, & iiſdem Regulis ab Epiſcopis Anglorum, à Gallicanâ Synodo, & à Romanis Pontificibus damnatis ſe adhærere gloriatur. *In deſertis ſedentes, nulli moleſti cum noſtrorum Regulis manemus ſeniorum pro quibus defendendis ſive ad vos, ut dixi, Apoſtolicos Patres, ſive ad iſtos Gallos vicinos noſtros fratres, noſtros in Chriſto Patres, ſcripſimus iſtas quas hæc cartula commendat epiſtolas.*

§. DECIMUS.

DE VESTIMENTIS ET CALCEAMENTIS FRATRUM ex Cap. 55. Reg. S. P. Benedicti.

SUFFICERE *credimus Monachis per ſingulos Cucullam & Tunicam, Cucullam in hyeme villoſam, in æſtate puram aut vetuſtam & ſcapulare propter opera..... de quarum rerum omnium colore aut groſſitudine non cauſentur Monachi.* S. Columbanus nullibi Monaſticas veſtes conſtituiſſe legitur. Rem ex aliorum uſu aut ex aliis Regulis declarandam permittens ex Regulâ ſcilicet S. Benedicti, ex quâ peculiarem Benedictinorum veſtem, Cucullam aſſumpſit: cum enim S. Columbani diſcipulis peculiarem fuiſſe Anonymus in vitâ ſancti Amati, S. Euſtaſii diſcipuli denotat, cum trientem jam antè furatum, in Monachi Cucullâ latentem repertum fuiſſe meminit. *S. Vir,* inquit Anonymus, *oram Cucullæ tenens, utroque digito hinc inde complexus conſutum infra trientem reperit.* At ſanctus Columbanus cucullam nequidem in utrâque Regulâ nominat, ſicut nec alia plura quæ ſuis legibus S. Benedictus definiverat: & ex Orderico Vitali diſcimus S. Columbani diſcipulos non quidem veſtium nomina, numerum, formam, ſed ſolummodò nigrum eorumdem colorem uſu cœpiſſe, *ab ipſo ſiquidem* inquit Ordericus *modum Divinæ ſervitutis.... nigredinem veſtium aliaſque obſervationes ſumpſerunt.* Prætereà ex eâdem duplici authoritate duplex etiam veritas innoteſcit: Primò ſcilicet Cucullam veſtem, inter Benedictinorum veſtes, ut

ità dicam, eſſentiales, præcipuam eſſe; id enim quamplurimi hactenùs docuere, & poſterioribus tantùm temporibus, iis potiſſimùm quibus mendicantium Ordines invaluere, ſcapulare Cucullæ vicem habuiſſe dixerunt, quem Monachorum uſum ab ipſo-met Legiſlatore & à primis ipſius diſcipulis ortum habuiſſe videmus: Nam S. Benedictus ſcapulare propter manualia tantùm opera in uſum concedit, ut videre eſt in laudatâ Regulæ authoritate; Cucullam verò tanquàm proprium diſcipulorum ſuorum indumentum quo ab omnibus aliis Monachis diſtinguerentur. Quam ob cauſam, ut Cæſarius habet lib. 11. cap. 36. Ciſtercienſis ille Monachus, de quo idem Author ibidem, mortem occubuit, quod infirmitatis etiam levandæ causâ, dimiſſa Cucullâ, Scapulare de infirmarii conſenſu veſtiverat. Quapropter à S. Benedicto in aliorum teſtimonio objurgatus hæc ab eodem accepit. *Si Monachus es*, utique Benedictinus, *ubi eſt habitus tuus?* Undè minimè mirum quòd Hæpthenus notaverit Benedictina Caputia Cucullis infrà collum aſſuta Benedictinos ab omnibus aliorum Ordinum profeſſoribus ſeparaviſſe, idque jam antè tempora Bonifacii Papæ quarti in conſuetudinem abiiſſe. Hic enim Summus Pontifex ad annum ſexcenteſimum decimum in Concilio Romano Monachorum Romanorum ſeu Benedictinorum illuſtrans, Cucullam à ſancto Benedicto ad aliorum Monachorum diſtinctionem conceſſam, præclarâ comparatione ab Angelorum alis deductam voluit interpretari; cujus ſenſum deinceps S. Petrus Damiani, Rupertus, Honorius Auguſtodunenſis, & alii ſecundùm Hæpthenum fuerunt affecti.

Ultimo loco Ordericus Vitalis effatum quo dixit nigredinem veſtium à B. Columbano deductam præſtat attingere. Id enim veroſimile nullatenùs apparet. Si quidem licèt S. Benedictus colorem veſtium præcepto definire noluerit, ſed ultrò conceſſerit ut quiſque Abbas veſtes albas aut nigras, aut alterius coloris in operimentum aſſumeret: Attamen ipſe-met exemplo ſuo diſcipulos ſuos in nigrum colorem ultrò propenſos ad imitationem rapuit, quam rationem jam olìm Caſſinenſes Imperatori

dedêre, cùm cauſam nigri coloris à Benedictinis aſſumpti requireret. Eamdem etiam approbat Petrus Blæſenſis epiſt. 97. his verbis. *Schema Monaſticum quo B. Benedictus uſus; id uſque hodiè ſicut dicitur perſeverat. Quis audeat tanti Patris habitum blaſphemare in filiis?*

Hic veſtium modus à B. Benedicto aſſumptus & inchoatus totum Ordinem nigrum reddidit, adeò ut nigrorum Monachorum nomine Benedictini fuerint appellati: quæ cùm vera ſint, ad veritatem quoque multùm accedit S. Columbanum habitum quidem nigrum geſtaſſe, ſed eum morem jam à Benedictinis admiſſum nonniſi continuare potuiſſe. Hæc tamen non obſtant quin ſententiam Vitalis admittendam contendam, etſi namque non ſit veſtimentorum nigrorum apud Benedictinos inventor, eorum tamen Propagator extabit. Quâ conceſſione eumdem S. Columbanum antequam ad Gallos accederet Scotorum conſuetudines dimiſiſſe dicemus ut novis Benedictinis inſtitutis congruentibus ſeſe totum accommodaret: Nam is erat Scotorum veſtiendi modus antequam Benedictini ad eos accederent ut illi colorem albicantem non nigro veſtes tingerent, & ad hanc opinionem perſuadendam ac ſumendam multùm valet Orderici Vitalis authoritas, qui Monachos Gemeticenſes & alios S. Columbani diſcipulos nigrorum Monachorum nomine fuiſſe decoratos noverat, quæ probatio à S. Columbani diſcipulis petita eumdem quoque S. Columbanum eodem colore ad diſtinctionem alienorum Monachorum aſſumpſit. Ex quo §. & ex ſuperiori ſequitur Luxovienſes Monachos & eorum imitatores formam profeſſionis & habitum Benedictinorum habuiſſe & in ſanctum Benedictum juraſſe.

CAPUT OCTAVUM.

CAPUT OCTAVUM.

SANCTI COLVMBANI REGVLA CVM Benedictinâ conjuncta Sæculo ſeptimo.

EX MONASTERIORUM FUNDATIONIBUS, Dotationibus, Privilegiis, præceptiſque Regiis probatur.

I. Benedictinorum opinio iterum aſſeritur diverſorum monumentorum probatione. II. Beſuenſe Monaſterium ſub Regulâ SS. Benedicti & Columbani anno Chriſti 600. aut 615. III. Idipſum præſtant variis temporibus plurium Monaſteriorum conditores. IV. Iis omnibus in locis S. Benedicti Regula tanquam principalis imperatur, S. verò Columbani tanquam ſecundaria & additamentum Benedictinæ. V. Id probatur authoritate Bledegeſilli & Ludovici Pii Imperatoris. VI. Emmonis Epiſcopi Senonenſis & S. Eligii Noviomenſis. VII. Admiſſa Benedictina Regula à SS. Euſtaſio ac Vualberto, eam quoque admiſſam à S. Columbano perſuadet. VIII. Diſſidium inter S. Euſtaſium & Agreſtium in Concilio Matiſconenſi refertur. IX. Quo ipſo tempore Monaſterium Solemniacenſe per S. Eligium erigitur. X. & XI. Et modus Luxovienſis à S. Columbano ſervatus ſub Regulâ S. Benedicti conſtituitur.

I. DUO ſuperiori capite mihi probaſſe videor, primum, ſancti Columbani Regulam ſibi relictam,

ad communem vitam Monachorum inſtituendam non ſufficere. Secundum, S. Columbanum ejuſque diſcipulos ex præſcripto Benedictinæ Regulæ ſua rexiſſe Monaſteria, regendiſque Monachis præfuiſſe. Quibus argumentis evidentiſſimè, meo quidem judicio, demonſtravi eoſdem ſanctos annumerandos eſſe Benedictinis; quam ob rem ab ulteriori probatione abſtinere poteram, ſed ut Adverſarios à ſolitâ ipſorum pertinaciâ deducam, eos ſanctorum virorum; epiſcoporum; & Regum, qui varia Columbanici inſtituti Cœnobia, fundavêre; privilegiis cumulavêre; prædiis ditavêre; Regiâque deffenſione corroboravêre; atque dixere Benedictinam Regulam ab eorumdem Monaſteriorum ortu eiſdem impoſitam, Authoritate convincam; doceboque Præfationi in Regulæ Cœnobialis limine poſitæ, integram fidem habendam eſſe; & S. Columbani Regulas in legum Benedictinarum appendices fuiſſe conditas, ut jam aliàs Moliſmenſes aliique crediderunt.

II. Regulas ſanctorum Benedicti & Columbani à Monaſterii Luxovienſis initio unitas fuiſſe, & in Aſceteriis quæ ab eodem Cœnobio originem accepêre ad octavi Sæculi medium viguiſſe, plura eorumdem monumenta teſtantur. *Vvaldalenus Abbas*, inquit Clotharius tertius apud Cointium ad annum 663. n. 1. in diplomate in gratiam Monachorum Beſuenſium dato. *Ad præſentiam noſtram veniens gloriæ Regni noſtri ſubgeſſit quod Genitor ſuus Amalgarius & Genitrix ſua Aquilina pro Dei amore Monaſterium nuncupatum Fontem Beſuam, ædificaſſent, & Monachos ibidem ſub Regulâ B. Columbani, ſeu B. Benedicti adunaſſent.* R. Pater Dacherius, Beſuenſe Monaſterium fundatum indicat anno Chriſti ſexcenteſimo. Cointius verò anno decimo ſexto ſupra ſexcenteſimum. Cujus opinio vero ſimilior videtur, ſi Vvaldalenus de quo hîc agitur, is ipſe eſt de quo S. Columbanus in Epiſtolâ ad diſcipulos ſuos, Quâ Vvaldalenum Luxovienſem Præpoſitum ab eodem conſtitutum commendat. Sed hæc opinionum diverſitas nihil mea intereſt: Cum Vvaldalenus primus Beſuenſis Abbas nullum inſtitutum à Luxovienſe

diſtinctum in Beſuam invexiſſe dicatur.

III. Eadem habent ſimilemque Regularum conjunctionem loquuntur præcepta varia. Pro Monaſterio Romarici Montis ad annum 620. Pro Solemniacenſi 631. aut 632. Pro Foſſatenſi ad annum 640. Pro ſancti Petri vivi Senonenſis ad annum 658. Pro Altivallarenſi ad annum 662. Pro Corbeïenſi eodem anno. Pro Bariſiacenſi ad an 664. Pro Sueſſionenſi ad annum 668. Pro Monaſterio vallis Gallileæ in Alſatia ad annum 673. Pro Deruenſi ad annum 694. Pro Mauri Monaſterio ſeu Cellâ Leobardinâ in Alſatiâ ad an. 725. Quibus omnibus in Chartis, præceptis, privilegiis, quæ in Annalibus Francorum repoſuit vir doctiſſimus, legere licet, Regulam ſancti Benedicti & S. Columbani, ſimul uno eodemque tempore iiſdem in locis fuiſſe ſervatam.

IV. Ne tamen crederemus utramque Regulam ex æquo Monachis fuiſſe mandatam, Chartarum quarumdam Authores iis uſi ſunt terminis, quibus notum facerent S. Columbani Regulam in Benedictinæ ſupplementum fuiſſe compoſitam, in eoque ſolum Luxovienſe Monaſterium ab anterioribus diſcretum fuiſſe, quod quemdam modum Regulæ S. Benedicti ſervandæ à ſancto Columbano acceptum haberet. *In quo Monaſterio Foſſatenſi,* inquit Bledegeſillus, *Egregium virum nomine Babolenum ſub ſancti Patris Benedicti exemplo nuper conſtituimus Abbatem....... Volumus præterea ut prædictus vir ſanctiſſimus Babolenus, quem pro amore Dei in eodem ſicut diximus loco Abbatem conſtituimus.... Quatenus ipſi ſervi Dei, omneſque ſucceſſores eorum ut prædiximus ibidem ſub Regulâ S. Benedicti ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii Domino Chriſto valeant devotiſſimè famulari.* Per quæ verba, *ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii,* nulla denotatur Regula principalis, ſed ſolummodò ſpeciales quædam conſuetudines quæ in Orbem Gallicum per ſanctum Columbanum fuerunt inductæ, ut ſuperiùs Monachi Moliſmenſes dixêre.

V. Id confirmari poteſt ex ſimili formulâ quæ habetur in præcepto Ludovici Pii Imperatoris de ſubjectione

Cœnobii S. Mauri ; Quod præceptum extat in appendice actorum Veterum Baluzii tom. 2. Capitul, p. 1436. *Noverit ergo,* inquit, Ludovicus Pius *omnium fidelium Solertia quod nobilis comes Rorigo retulit Serenitati noſtræ, qualiter quoddam Cœnobium . . . . quo venerabile corpus S. Mauri, Patris Benedicti diſcipuli, jacet humatum, ubi olim ipſe Deo dilectus, cum ſibi ſubjectis multis Fratribus ſub ſanctâ Regulâ deguit, deſtructum inveniens . . . . . . ad priſtinum ſtatum pro poſſe reſtituere curaret . . . . Volumus ergo ut prædictus Abbas Englbertus Foſſatenſis . . . . ipſum locum . . Videlicet Glanna perpetuò habeant atque poſſideant . . . . Tales quoque ibidem præponant prævisores . . . . Quorum nutu atque diſpoſitione cuncta ſecundùm Dei voluntatem atque ſecundùm Regulam S. Benedicti interius & exterius perficiantur. Et ad modum & ſimilitudinem Foſſatenſis Monaſterii Chriſto Deo devotiſſimè famulentur.* Quemadmodum ergo Foſſatenſibus imperatur ut ſub Regulâ ſancti Benedicti, *ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii Domino Chriſto valeant devotiſſimè* famulari. Ita Glannafolienſibus jubetur, ut eamdem Regulam exequantur, & *ad modum & ſimilitudinem Foſſatenſis Monaſterii Chriſto Deo devotè famulentur.* Cumque Foſſatenſe Monaſterium ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis, Monaſterii fuerit efformatum, dicendum etiam videtur quod Glannafolienſe ad annum 835. ad eumdem modum & ad eamdem ſimilitudinem ex præcepto Ludovici Pii Imperatoris reformandum fuerit, ſecundùm conſuetudines ſcilicet quibus ſanctus Columbanus Luxovienſe Monaſterium imbuerat. Quæ etiam undecimo Sæculo ſecundùm Moliſmenſium Monachorum & Orderici Vitalis opinionem in Orbe Gallico ſub Benedictinâ Regulâ ſervabantur. Quo loci S. Columbani conſuetudines, quæ ſub Regulæ nomine longè latèque fuerant promulgatæ proprium conſuetudinum vocabulum iterum receperunt. Ubi etiam notandum quòd in præcepto Regio, Privilegioque Foſſatenſibus datis nullibi ſancti Columbani, aut ejus Regulæ nomen ſcriptum habeatur, quia nempe nullam proprie dictam Regulam à Benedictinâ diſtinctam

Bledegeſillus noverat. Nullam S. Babolenus qui à puero apud Luxovienſes aut ſaltem apud Bobienſes Monachos ſub ſancto Columbano meruit.

Hoc ipſum dicendum de Emmone Senonenſi Metropolitâ, ſecundum quem S. Petri vivi Aſcetæ *ſub Regulâ B. Benedicti & modo Luxovienſi devotâ mente & integrâ devotione deliberabant conſiſtere.* Eodem etiam ſenſu ſanctus Drauſcio Sueſſionenſis Epiſcopus privilegium condidit in gratiam Monialium Sueſſionenſium. *Hoc privilegium*, inquit, *in Dei nomine ad Monaſterium prædictum .... tribuendum indulſimus .... ut infra ſepta Monaſterij virgines & caſtæ reclauſæ debeant Domino militare ſecundum votum ſæpe dictorum Deum timentium qui conſtruxerunt Regulam & curſum ſancti Benedicti .... & ad modum Luxovienſis Monaſterii, quem Beatus Columbanus tenuit, Regulam ad profectum animarum earum ſtudeant in omnibus cuſtodire.* Hic textus quem ultimum poſui ex hiſtoriâ ejuſdem Cœnobii nuper editâ, in quâ privilegium S. Drauſcionis extat integrum, deſumptus fuit. Eadem ſed aliis verbis loquitur S. Eligius in ſuo Teſtamento pro Solemniacenſi Monaſterio. *Ceſſum eſſe volo, ac de meo jure in veſtro Dominio transfundo ..... eâ tamen conditione interpoſitâ ut vos & ſucceſſores veſtri tramitem Religionis Sanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequamini & Regulam Beatiſſimorum PP. Benedicti & Columbani firmiter teneatis.* Quid enim aliud ſignificat tramitem Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequi, quàm vivere ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii ? Quod qui non faciunt nullo modo eumdum tramitem conſequuntur.

VII. His authoritatibus varia Adverſariorum principia, varias quoque reſponſiones edidêre. Nam Cointius Jonæ ſilentio inſtructus, nec ullis verbis, nec ullâ, quæ appareat, ratione, ſolâ inſtrumentorum eraſione, antiquitatis notas omnes delevit, & eadem omnia inſtrumenta rejecit. Alii vero quibuſdam tantùm diplomatibus admiſſis, rejectis aliis, ſanctum Vvalbertum ad annum 625. Benedictinam Regulam cum ſancti Columba-

ni conjunctam tùm primùm recepiſſe ſenſerunt. Ultimò Patricius Flemmingus tot teſtimoniorum authoritate perſuaſus; Euſtaſium, alioſque permultos S. Columbani Regulæ Benedictinam addidiſſe ultro conceſſit, ſed id ante S. Columbani mortem accidiſſe negavit. Has duas poſteriores opiniones rejiciendas ſuadent S. Columbani acta ab omnibus admiſſa, & à Jonâ S. Attalæ Bobienſis Abbatis diſcipulo compoſita, quæ docent ſanctos Columbanum & Euſtaſium eumdem Monaſticum vivendi morem tenuiſſe, ut infrà dicemus. Quâ conceſſione poſitâ, concedant etiam nobis oportet S. Columbanum, ſaltem in Galliis, mores Benedictinos habuiſſe: Quantùm verò ad eos qui ſolùm ſub S. Vvalberto, SS. Benedicti & Columbani Regulas conjunctas concedunt, non video quâ ratione S. Vvalbertum à Prædeceſſoribus & præceptoribus, inſtitutô diſtingunt: Cum enim nulli aut pauciſſimi ſancti reperiantur qui ab inſtitutis Majorum, itidemque Sanctorum ſe patiantur avelli: Quis ſibi inducet in mentem, S. Columbani diſcipulos ſanctos ab ejuſdem Monaſticâ conſuetudine, nullâ, quæ videatur, ratione, deductos fuiſſe? Quod ſi Monaſteriorum fundationes quæ ſub S. Vvalberto contigêre, quæque nomina SS. Benedicti & Columbani deſcripta tenent, fateri nos cogunt utramque Regulam apud Luxovienſes, & apud eos qui eorum conſuetudines habebant ſub ſancto Vvalberto fuiſſe communem, & ab omnibus receptam; idipſum etiam ſub ſancto Euſtaſio contigiſſe, fundationes aliæ quæ iiſdem formulis quibus Vvalbertinæ concipiuntur, & utramque Regulam pariter admittunt, eâdem quoque ratione utrumque ſanctum, & utriuſque ſanctiſſimum Patriarcham Regulam Benedictinam promiſiſſe negare non ſinunt. Sed ut Adverſarios his in rebus veritatis expertes ad eamdem veritatem adducam, quædam obſervanda videntur.

VIII. Notandum eſt regularem vitam in Luxovienſi Monaſterio à S. Columbano inſtitutam uſque ad Concilium Matiſconenſe perſeveraſſe. Quam cum ex eodem Aſceterio, & ex aliis omnibus in quibus vigebat elimi-

nandam vellet Agreſtius S. Euſtaſii diſcipulus, laudata Synodus coacta fuit, ut quid facto opus eſſet, auditis hinc inde Agreſtio Columbani Regulæ oppugnatore, & S. Euſtaſio ejuſdem Regulæ deffenſore decideret. Re maturè diſcuſsâ, Agreſtius ad obedientiam præſtandam S. Euſtaſio à Patribus adductus fuit, & S. Columbani Regula non modò firmata ſed & majori gloriâ quam fuerat unquam propagata, Totum fere tunc Gallicum Imperium occupavit. *Abellenus verò*, inquit Jonas in vitâ S. Euſtaſii, *vel cæteri Galliarum Epiſcopi* (quibus Synodus conſtabat) *pòſt ad roboranda Columbani inſtituta aſpirant: quam multi jam in amore Columbani & ejus Regulæ Monaſteria conſtruunt, plebes adunant, gregem Chriſti congregant, inter quos inluſter tunc vir Eligius, qui modò Virimandenſi Eccleſiæ Pontifex praeeſt, juxta Lemovicenſem urbem Monaſterium nobile Solemniacum conſtruxit...... B. vero Euſtaſius has poſt victorias corrigere delinquentes ſtudet*, &c.

IX. Notandum 2. ex Jonâ vitæ S. Euſtaſii Authore ſupra laudato, ſtatim atque Matiſconenſis Synodus ſoluta fuit, S. Eligium Cœnobio Solemniacenſi ædificando operam dediſſe, quod etiam diſcimus ex ejuſdem S. Teſtamento dato anno X. Dagoberti Regis, id eſt anno Chriſti 631. quo idem Monaſterium perfectum, fuit Monachis repletum antequam S. Eligii teſtamentum conderetur, *In nomine Patris....* inquit ſanctus, *Ego Eligius Dominæ ſacro-ſanctæ Eccleſiæ quam.... in ſub-urbio Lemovicenſi in terrâ & fundo agri Solemniacenſis Deo Authore conſtruxi, ubi & auſpice Chriſto praeeſſe dignoſcitur vir venerabilis Remaclus Abbas cum reliquis fratribus*, &c. Quæ fieri vix potuêre intra ſex annos, qui à finitâ Synodo ad conditum teſtamentum fluxêre.

X. His poſitis, cum S. Eligius Monaſterium Solemniacenſe fundat eâ conditione, ut S. Remaclus ejuſdemque diſcipuli tramitem Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſium conſequantur, id intelligendum videtur de eo tramite Religionis, quem ipſe-met S. Columbanus fecerat, ſuiſque Monachis deambulandum tradide-

rat, quemque Agreſtius in laudatâ Synodo impugnaverat. Non enim S. Euſtaſii perſonam aut inductas ab eo conſuetudines impetivit; ſed S. Columbani decreta, formatamque Religionem, unde S. Euſtaſius. *Horum in præſentiâ Sacerdotum*, inquit, Agreſtium alloquens, *te ego ejus diſcipulus & ſucceſſor cujus tu diſciplinam & inſtituta damnas ad Divinum judicium cum eo intra præſentis anni circulum cauſas dicturum invito.* Quamobrem cum S. Eligius jubet ut ſancti Benedicti Regulam juxta tramitem ſanctiſſimorum virorum Luxovienſium conſequantur, & Drauſcio, Emmo, & Bledegeſillus volunt ut Sueſſionenſes, Senonenſes & Foſſatenſes eamdem Regulam ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii ſervent, nihil aliud dicere videntur quàm ut iidem Monachi omnes ſub eâdem Benedictinâ Regula vivant, eo prorſus modo quo S. Columbanus in Luxovienſi Monaſterio vixit. Quem modum Agreſtius damnandum, & S. Euſtaſius approbandum volebat & in æternum ſervandum. Quemque revera Matiſconenſes Patres & S. Eligius non modo ſuâ ſententiâ ſed Monaſteriorum conditu, in quibus diſciplina Regularis ab ipſo ſancto Columbano Luxovienſibus Monachis imperata duraret, confirmaſſe & à poſteris in eiſdem Aſceteriis colendum voluiſſe videntur. Aliàs nec S. Euſtaſius victoriam reportaſſet, neque in amorem S. Columbani ab iiſdem Patribus Cœnobia fuiſſent ædificata ſi non eum quem S. Columbanus inſtituerat vivendi modum, ſed alienum à SS. Euſtaſio aut Vvalberto noviter inductum aut inducendum in eadem Aſceteria obſervandum voluiſſent, quæ mihi videntur luce clariora, adeò ut vocari non poſſit in dubium, S. Columbanum novum quemdam Benedictinæ Regulæ ſervandæ modum inſtituiſſe, ad cujus ſimililudinem laudata ſuperiùs Monaſteria, formata fuiſſe feruntur.

XI. Accedit huc, quod Monaſterium Beſuenſe anno Chriſti ſexcenteſimo vivente Columbano, aut ſexcenteſimo decimo-ſexto, uno aut altero ab ipſius obitu anno fundatum ſub utrâque Regulâ fuerit, à Vvaldaleno uno ex præcipuis S. Columbani diſcipulis Luxovienſique

præpoſito,

præpoſito, qui nullam aliam Regulam induxit Beſuam præter eam quam acceperat à Patre, à B. ſcilicet Columbano, qui utramque ſuos docuerat diſcipulos, & Benedictinam ſuâ temperaverat. Quibus ſi ea quæ præcedenti capite ex actis S. Columbani delibavimus addideris; exploratum manebit S. Columbanum Benedictinis legibus addictum, eumdemque modum dediſſe ad cujus ſimilitudinem deinceps Benedictina Monaſteria formarentur.

CAPUT NONUM.

ARGUMENTIS A SILENTIO JONÆ.

VITÆ S. COLUMBANI SCRIPTORIS & aliunde petitis occurritur.

I. Cointius ad abraſiones confugit, ut opinionem ſuam ſuſtineat. II. III. Ejus effugium tanquam convicti hominis ultima vox, verbis Auguſtini præcluditur. IV. Nullas Cointii abraſiones admittendas probatur iterum V. VI. VII. Ionæ authoritas expenditur, & nullius momenti convincitur. VIII. Explicatur benignè IX. X. In ſanctorum vitis ſæpè tacetur eorum inſtitutum, aut Regula quam fuêre ſecuti. XI. Hiſtoriæ leges exigunt, ut præcepta Regia; Fundationes Monaſteriorum; eorumque privilegia; Cæteræque actorum publicorum probationes hiſtoricis narrationibus præferantur. XII. Jonas in actis SS. Columbani & Euſtaſii S. Benedicti Regulam tacet, ne ejus commemoratione S. Columbani Regulæ derogare videatur. Quæ S. Columbani Regula Be-

nedictinæ conjungitur per modum ſimplicis additamenti, non Regulæ principalis quæ Benedictinam multiplicaret. XIII. Summam ſibi fidem conciliat Anonymus vitæ S. Salabergæ ſcriptor, & Jonam tacentem aut arguit, aut potius explicat.

I. QUÆ ſuprà de modo Luxovienſi, ſecundùm quem S. Benedicti leges per totam Galliam propagatæ fuerunt neceſſariò diſputavi, adeò clara ſunt & manifeſta : Ut nullâ ratione improbari poſſe videantur. Quo circa doctiſſimus ſimul & acerrimus Benedictinorum impugnator, nullam à ratione ductam reſponſionis viam iniit, ſed ſummâ quâ in litterarum Republicâ valet authoritate, hæc reſponſi loco nobis oppoſuit. *Cum nobis adeò perſuaſum ſit in Monaſteriis quæ S. Columbani diſciplinis addicta erant, Regulam S. Benedicti ſeptimo ſæculo non ſuſceptam fuiſſe, varia diplomata quibus Authores Benedictini ſuam quoque tueri conantur opinionem, cenſemus interpolata : Non aliter loquuti ſumus cum de illis agendum nobis fuit ; Indubitanter enim abraſimus nomen S. Benedicti, quoticſcumque illud cum nomine S. Columbani conjunctum reperimus: Vbi quæſtio vertebatur de Regulâ cui ſubjiciebatur Monaſterium à S. Columbano, aut ab ejus diſcipulis aut eorum ſucceſſoribus inſtitutum.*

Ad an. 751. n. 109. & ad an. 734. n. 107.

II. Hìc videre mihi videor hominem indubitatæ apud omnes authoritatis, ſuis cogitationibus ſummè contentum, ſenſa ſua pro Oraculis habentem ; cuique non modò licet cuncta definire dubia ; Sed & antiquiſſimas chartas pro ſuo libito reprobare, eaſque, aut dubias, aut ſuppoſititias, aut interpolatas dicere, quoties id ejus opiniones exigere videntur. Attamen ut verum fatear, Cointii prudentiæ fuit ut omiſſo argumento ab interpolatione petito, quo omnes paſſim hæretici ad oppugnandam Catholicam fidem utuntur, aut veritati perſpicuæ cederet, aut ſaltem non ea momenta ſumeret ; Quæ hominem convictum aut pertinacem oſtendunt, ut ponit S. Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 9.

III. Hujus Sanctiſſimi viri Doctoriſque longè celeberrimi verbis, Annaliſtæ Francorum mihi occurrendum exiſtimo. *Hæc illi ſolent*, inquit Auguſtinus, *à corruptoribus ſcripturarum immiſſa eſſe dicere. Vſque adeò nihil habent quod contradicant, ut hæc miſeri reſpondere cogantur. Sed quis non intelligat convictorum hominum aliam eſſe non potuiſſe ultimam vocem?* At viro doctiſſimo eadem verba tantiſper immutata repono. *Hæc ille ſolet à corruptoribus Chartarum immiſſa eſſe dicere, uſque adeò nihil habet quod contradicat, ut hæc reſpondere cogatur. Sed quis non intelligat convicti hominis aliam eſſe non potuiſſe ultimam vocem?* Sed ut ejuſdem ſancti verbis ad propoſitum aptatis iterum agam. Ab Adverſario iterum quæro utrùm nomen S. Benedicti cum S. Columbani nomine conjunctum in omnibus Chartis quas ſuprà laudavi non reperiatur? aut non congruat Benedictinorum ſententiæ? At illud primum libris docebo cùm manu-ſcriptis, tum editis, nullumque daturus eſt Adverſarius ex quo Chartas à me laudatas proferre poſſit quod ſancti Benedicti nomen non habeat; niſi fortè quartum Annalium ſuorum tomum laudare velit, ubi ad an. 734. n. 3. & 112. ex Teſtamento S. Eligii pro Solemniacenſi Cœnobio & ex Chartâ S. Amandi pro Barriſiacenſi, S. Benedicti nomen expunxit. Et licentiâ Cointiana ad marginem rejecit cum hac obſervatione, *Benedictini ſic legunt* perinde quaſi multa darentur exemplaria in quibus nullum S. Benedicti nomen legeretur, licèt nullum omninò detur exemplar Chartarum à me laudatarum, quæ ſancti Benedicti nomen ſcriptum non habeant. Sed quid ei non licet qui omnia Benedictinorum diplomata cenſet interpolata, quique indubitanter laudatum nomen ex omnibus Chartis abraſit, ubi cum ſancti Columbani nomine conjunctum reperiebatur? Quæ cum ſint Convictorum hominum ultimæ voces, ut ait S. Auguſtinus, ulteriori confutatione non egent.

IV. Quantùm verò ad nominis ſancti Benedicti cum ſancti Columbani nomine conjunctionem attinet. Eam opinioni Benedictinorum ſancti Columbani Regulari diſ-

ciplinæ, & veritati congruere exploratum habere debent qui ſuperiora duo capita legêre, in quibus oſtenſum eſt Columbani Regulas nihil aliud eſſe quàm conſuetudines quaſdam Benedictinis legibus additas, quibus ea ſtatuerentur quæ S. Benedictus ſubſequentium Abbatum voluntati commiſerat. In quibus etiam probatum fuit eaſdem ſancti Columbani conſtitutiones; decreta; Regulam; quocumque nomine vocentur, ad diſciplinam regularem inſtituendam non ſufficere. In quibus tandem ex actis ipſius S. Columbani factum eſt evidens eumdem ſecundùm ſancti Benedicti decreta vitam duxiſſe, quæ hîc iterum recenſere non juvat, quæque adeò maniſeſtè ſanctum Columbanum Benedictinum innuunt, ut etiamſi Monaſteriorum fundationes unicum S. Columbani nomen expreſſum haberent, id tamen à noſtrâ de ejuſdem converſatione, opinione conceptâ nullo modo deducere deberet. At cum videamus utrumque nomen conjunctum haberi in Chartis variorum Cœnobiorum Germaniæ, Belgii, Franciæ & Aquitaniæ, nullaque iſtarum Provinciarum laudata diplomata reperiantur quæ ſancti Benedicti nomen ſcriptum non habeant: Quis quæſo aſtruere tentabit hoc ipſum nomen adulterâ manu in eadem immiſſum? Accedit huc quod moraliter loquendo, impoſſibile ſit ut Monachi tam longè ab invicem diſſiti, nullo ſocietatis, unionis, aut ſubjectionis vinculo colligati, pari generalique crimine Rei, in eo convenerint ut Benedictini nominis immiſſione, ſuas fundationes, dotationes, aut Privilegiorum Chartas adulterarent, idque adeò feliciter præſtiterint, ut nullæ anteriorum aut ſubſequentium temporum Chartæ, aut earum exemplaria quæ ſancti Benedicti nomine careant ad nos perveniſſe videantur. Certè qui hoc ſibi perſuadere poterit facillimè nobiſcum *ultimis convictorum hominum vocibus* poterit decertare.

V. Sed ne queratur Adverſarius nos hîc opinionem noſtram ſolâ præſcriptione tueri, diſcutiamus authoritatem Jonæ cujus ſilentio fretus Chartas noſtras invadit. Etenim aſſerit Columbani leges cum Benedictinis ab eo-

dem ſancto conjunctas non eſſe, quia Jonas ipſius vitæ ſcriptor id factum fuiſſe non dixit, nullibique Benedictinæ Regulæ meminit. Perinde quaſi ea omnia quæ hîc Author ſuo ſilentio premit vera non eſſent. Sed ſi Jonam ex ipſius Cointii ſenſu conſideremus, eum non eſſe dicemus, cujus tanta ſit authoritas, ut ejus aſſertionibus deferre teneamur: Quantò minùs ejus ſilentio? *Vitam S. Columbani*, inquit Cointius ad an. 568. n. 13. *Poſt annos ab ejus obitu ſex circiter ac viginti ſcripſit Ionas, & ob ætatem quá vixit plurimum authoritatis ſibi conciliavit; lapſus eſt tamen in quoſdam errores, quia Patriam nactus eſt à Voſagi ſaltu multùm remotam & in Bobienſi Monaſterio ſub Abbate Columbano nunquam degit.* Et ibid. n. 7. *Quapropter qui cæteros in errorem traxit Ionas ipſum Sigebertum à quo Columbanum ſuſceptum aſſeruit Auſtraſiorum ſimul & Burgundionum Regem finxit, id autem hiſtoricæ veritati repugnat.* Et ad an. 507. n. 17. *Ionas Qui vitam Ioannis*, Reomaenſis, *Interpolavit addit Ioannis Matrem in vivis ſuperſtitem cum filius ex inſulâ Lerinenſi rediit..... Hæc interpolatio non convenit ætati Ioannis, qui tunc agebat annum quinquageſimum ſeptimum.*

VI. Hi errores à Cointio notati Jonæ crimini dari non poſſunt cum nemini noceant. Sed poſterior infrà referendus multùm gravior eſt & Authorem nec ſincerum nec Pium redolet. Sic enim loquitur Cointius ad an. 585. n. 13. *Corrigendus eſt Ionas ubi ſcribit ipſum Attalam Vapingo Lerinum perrexiſſe quia Vapingi ſub Aredio Pontifice nihil utilitatis aut diſciplinæ ſpiritalis ſe agere dolebat.... ex hac autem oſcitantiæ notâ quam Ionas Aredio perperam inurere conatur, ut Attalam illuſtrius ac magnificentius laudet: hîc obiter notabis hunc illius Authoris eſſe morem in ſcribendo, ut immeritò vituperet quam-plures eorum qui familiaritatem inierunt, vixeruntque cum ſanctis quorum vitam litteris commendandam ſuſcepit.* Idipſum repetit 3. Annal. tomo ad an. 658. n. 20. *Superiore tomo*, inquit *ad an. Chriſti 585. Quo Attala Vapingo Lerinum ſeceſſit obſervavimus hunc Ionæ morem eſſe in ſcribendo ut immeritò vituperet complures eorum qui familiaritatem inierunt, vi-*

xeruntque cum ſanctis quorum vitam commendandam ſuſcepit. In illis caſibus quædam ab eo de induſtriâ corrupta rectè pronunciabis. Suæ tamen exiſtimationis haud adeò negligentem atque incurioſum fuiſſe ſuſpicamur, ut apud poſteros haberi voluerit hiſtoricæ veritatis corruptor de induſtriâ. Quapropter quædam à ſe non in ſenſu ſed in ſtilo de induſtriâ corrupta ſcribit. Quibus verbis ſecum ipſe ludit Cointius, aut nos illudit: Nemo enim *de induſtriâ hunc habet morem in ſcribendo ut immeritò vituperet complures eorum qui familiaritatem inierunt, vixeruntque cum ſanctis quorum vitam commendandam ſuſcepit* . . . . Et qui hanc ſcribendi conſuetudinem habet procul omni dubio certiſſimus hiſtoricæ veritatis corruptor cenſeri debet, cujus ſcriptis nulla fides habenda. Quòd ſi verba ejus etiam clariora, dubiæ ſunt ſemper fidei, quantò magis ejus omiſſiones incertæ, & cæcum ipſius, mutumque ſilentium ſuſpectum erit, cum multò facilius ſit & ſecurius veritatem ſilentio quàm verbis tegere?

VII. Quæ cùm ita ſint, neſcio quid mirer ampliùs in Cointio an poſitiones quas ex Jonæ ſilentio elicit, an ſummam illam authoritatem quam diverſis Authoribus impertiri, aut quoties ipſi libet denegare videtur. Jonam interpolaſſe vitam S. Joannis Reomaenſis & erraſſe ſuadet cum ex ejus opinione non loquitur. Eumdem etiam malevolum obtrectatorem egiſſe fingit cum quorumdam præſulum ſcribit errata, quos Cointius ab omni labe peccati aut negligentiæ immunes in Annalibus exhibere conatur. Quaſi verò ſancti nihil perperam egiſſe dicendi ſunt quoties id viro doctiſſimo placet. At cum novis Annalium opinionibus Jonæ ne quidem loquentis ſed tacentis favet authoritas; Graviſſimus eſt Author omni exceptione major, omnibus Chartis; cunctis ſcriptoribus; omniumque Monaſteriorum traditionibus anteponendus. *In lucubrationibus Ionæ*, inquit, *ſæpè commendatur Regula Columbani; Regula verò S. Benedicti ne quidem nominatur: Ergo illis temporibus Regula S. Columbani diſtinguebatur à Regulâ S. Benedicti, nec ambæ ſimul apud Luxovium, aut alio quovis Monaſterio obſervabantur.* Et ad

an. 734. n. 39. *Cæteros Authores antecellit qui potiſſimùm conſulendus eſt Ionas.* Et alibi. *Nec fides habenda eſt recentioribus membranis quas Ioannes Iacobus Chifletius in Encomio S. Donati publicavit.* Ex quâ Jonæ infallibilitate à viro doctiſſimo conceſsâ, varia diplomata quibus Authores Benedictini ſuam tueri conantur opinionem interpolata definivit, & indubitanter abraſit nomen ſancti Benedicti ex omnibus Chartis, &c. Sed quis ferat virum doctiſſimum qui Jonam malæ fidei Authorem nobis exhibet, ejuſdem Authoris ſilentio muto nos velle premere ?

VIII. Mitiùs ego me geram cum Jonâ vitæ S. Columbani Authore, tantùmque dicam hujus Authoris hunc eſſe morem in ſcribendo ut immeritò Regulam ſancti Benedicti ſilentio premat, ut ſola ſancti Columbani Regula commemorata, eumdem ſanctum illuſtriùs ac magnificentiùs laudet, quod aſſeri poteſt nullâ Jonæ injuriâ facta ; etenim Oratores etiam Chriſtiani, piique, cum funebrem aliquam orationem aut panegyricam habent, multa ſilentio prætirire conſueverunt, ut quos laudandos ſuſcepêre iis laudibus ornent quas cum aliis partiri non teneantur ; Eaque ſemper taceant quæ aut perperàm egêre ; Aut quæ felices exitus non habuêre ; Aut quæ tandem in aliorum quorumdam gloriam ceſsêre. Hos Jonas imitatus nullam mentionem fecit in S. Euſtaſii vitâ, illius Gallicani Concilii, de quo Cointius ad an. 615. n. 8. quo jubetur *ut Monachi juxtà Regulam vivant & non ſequeſtrati per cellas habitent.* Quo Canone Columbani diſcipuli, qui per Cellas diviſi vivebant, ad cæterorum Benedictinorum conſuetudinem revocantur. Siluit etiam Jonas in Galliis contra ſanctum Columbanum Synodum habitam fuiſſe, ad quam ipſe evocatus ut de Paſchatê, non Romano more ab eodem & à diſcipulis ejus celebrato, rationem redderet, adeſſe noluit. Silentio quoque præteriit eumdem ſanctum varias Epiſtolas ſcripſiſſe ad Gallos in Concilio congregatos, ad Romanos Pontifices S. Gregorium primum, & Bonifacium quartum, & ad ſuos diſcipulos de eâdem quæſtione Paſchali, exilioque ſuo.

Idque tacuit, quia ab eâdem Synodo actus videtur in exilium ; Et à ſummis Pontificibus ad quos provocaverat non approbatus, & à diſcipulorum quibuſdam laceſſitus fuerat, quos deinceps foras éjiciendos ab Attalâ mandavit. Quid ergo mirum quod Jonas totus in ſolo commendando Columbano occupatus S. Benedicti ejuſque Regulæ nullam mentionem ex nomine fecerit : Non enim eam tacuiſſe ſed meminiſſe dicendus eſt quoties ſanctum Columbanum aut ejus diſcipulos ſecundùm eam agentes viventeſque laudavit.

IX. Quantos verò videmus Authores qui vitas ſanctorum Monachorum, Cœnobiorumque principia ſcripsêre innominatis Regulis ; quas illi promiſerant, & Cœnobiis quibus fuerant impoſitæ. S. Audoënus in vitâ S. Eligii, narrat eumdem multa Monaſteria fundaſſe ſub ſanctâ Regulâ. Luxovienſes & Solemniacenſes Monachos plurimùm commendat quod ſoli diſtrictionem Regulæ ſolerter tenerent, quodque ex eorum Monaſteriis tanquam ex capite alia plura initium & exemplum acceperint, adeò ut propitiâ Divinitate, eo quo ſanctus Audoënus ſcribebat tempore ad an. ſcilicet 672. *Innumera per omnem Franciam & Galliam haberentur ſub Regulari diſciplinâ alma utriuſque ſexûs Cœnobia.* Cujus verò inſtituti fuerint illa Cœnobia, quænam etiam fuerit illa Regula, quam ſoli Luxovienſes & Solemniacenſes ſolerter ſervabant ; cæteri minime, *quorum Aſceteria erant prorſus in malitiâ fermenti veteris ſæcularia*, nullibi dicit. Cujus ſilentii aut omiſſionis nullam aliam cauſam eſſe arbitror, niſi quod eo tempore toto-que ſæculo ſeptimo una omnium Monachorum eſſet principalis Regula; quam alii ſecundùm conſuetudines à S. Mauro compoſitas ; alii ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii ſecundùm eas quas ibi S. Columbanus ſcripſerat ſervare videbantur. Eam verò Regulam principalem eam eſſe quam ſanctus Columbanus & ejus alumni in præcipuis vitæ Regularis exercitiis ſequebantur & ex quâ præcipua ejùſdem vitæ capita deſumpſerunt : Benedictinam ſcilicet, ut ſuprà demonſtravimus.

Hic

X. Hìc Authores non affero, nec vitas ſanctorum Benedictinorum in quibus Benedictinæ Regulæ aut Authoris ejuſdem nulla fit mentio, quia id præſtitit è noſtris R. P. Domnus Joannes Mabillonius Præfatione 2. Sæculi tertii Benedictini n. 28. At ſi celeberrimi viri;Adſo in vitis ſanctorum Baſoli & Bercharii; Lupus Ferrarienſis in actis S. Vigberti ; Paſchaſius Radbertus in elogio ſancti Adalhardi ; Anonymus in vitâ S. Adelphi, & alius aut idem ipſe, ſuppar & probatus Author in vitis ſanctorum Amati & Romarici Diſcipulorum ſancti Euſtaſii, de quibus Jonas in vitâ ſancti Columbani ; Aliique maximo numero vitas Monachorum ſcripsêre innominatâRegulâ, Authoreque Regulæ ſub quâ militaverunt tacitô. Cur id non licuerit Jonæ non video : Neque capio cur ex ejus ſilentio tanquam ex principio exploratiſſimo S. Columbanum ex albo Benedictinorum eradendum velint inferre.

XI. Prætereà hiſtoriæ leges exigunt ut hiſtoricæ narrationes quorumcumque ſcriptorum, ex actis publicis, fundationibus Monaſteriorum, Dotationibus, privilegiis, præceptiſque Regiis corrigantur ; non verò acta publica ex hujuſcemodi narrationibus, ut ad veritatem probavit Domnus Robertus Quatremarius in propugnatione diplomatis quo Sangermanenſia privilegia ſanctus Ludovicus firmaverat,quæque multis impugnaverat,falſique notaverat Launoïus inſignis ille & acerrimus omnium privilegiorum oſor & hoſtis; qui tandem privilegii de quo agebatur veritate convictus, illud ſincerum fuiſſe ſancti Ludovici præceptum coram multis teſtibus admiſit, & ſervato deinceps ſilentio,priſtinos revocavit errores. Etenim cum ex iis omnibus qui hiſtoriam ſcripſerunt nullus ſit, ſi veteris ac novi Teſtamenti Authores excipias, *qui non aliquid mentitus fuerit*, ut ſcribit eorum unus magni nominis Author, & eorum multi longiùs à veritate deflectant. Quî fieri poteſt ut veritatis amator velit, ut manu exarata privilegia,aliaque inſtrumenta,momentaque publica quæ ab iiſdem ipſis confecta fuere, qui donationes, privilegia, beneficiaque contulerunt tanquam

ſpuria & adulterata rejiciantur niſi conveniant cum eis Authoribus qui dubiæ ſemper fidei debent haberi, & quorum nullus hactenus extitit, qui, ut ait Vopiſcus, *non aliquid mentitus fuerit?* Sed, inquis, interpolata fuere. Quis hoc docebit? Oſtendas ergo neceſſe eſt alias Chartas originales aut ſaltem exemplaria quæ ad ea tempora quibus archetypa fuere confecta propiùs accedant, quæ laudatam interpolationem non habeant: quæ ſi nulla ſunt, ut revera nulla ſunt, neque novâ, neque vetere manu tranſcripta: noli quæſo ad larvales illas & falſas immiſſiones confugere quæ nihil aliud ſonant quàm *convictorum hominum ultimam vocem.* Ut tamen amicos homines, & doctiſſimos viros ad veritatem appellem, ad meam ſententiam iterum fulciendam Authores Jonæ coætaneos qui Jonam explicent, præſtat afferre. Unde.

XII. Ultimam tandem rationem, quæ fortè non minoris quam aliæ momenti videtur, aſſumo, quæ nec Jonam malæ fidei ſcriptorem arguat, nec eumdem tacentem in Benedictinos teſtem adduci patiatur; ſi quidem, ut modò dicebam, non quidquid norunt Oratores eadem omnia continuò produnt, ſed eorum habent rationem, non modò quæ honeſtè poſſint effari: Sed etiam quæ non in majorem aliorum commendationem, quàm eorum quos maximè laudandos exoptant poſſint adduci: quam ob cauſam, meo quidem judicio, in enumeratione Monaſteriorum quæ ſub Regulâ Beatorum Benedicti & Columbani fuerunt ædificata ſolius S. Columbani Regulæ Jonas meminit, ut eamdem ſolam commendaſſe videretur quæ ſola ab Adverſariis S. Columbani fuerat impugnata: Ne nominato S. Benedicto ipſius ſolùm commendatione, non verò S. Columbani contemplatione Monaſteria pullulaſſe dicerent. Cæterùm tanti Benedictinam Regulam fecêre cæteri, ut in omnibus Monaſteriorum Privilegiis & fundationibus quæ ſub S. Vvalberto SS. Columbani & Euſtaſii ſucceſſore, Jonâ vivente & vidente contigerunt, S. Benedictus primum locum habuiſſe legatur, adeò ut ejus Regula videatur nominata. *Ex Regulâ*, inquiunt, *Beatorum Patrum Benedicti & Co-*

lumbani : Perindè quaſi unica fuiſſet eorum Regula non multiplex, quia ſcilicet Benedictina, ſeipsâ ſuſtentatâ earum præcipua ſemper extitit ; Aliæ verò per modum additamenti cujuſdam eidem adjectæ fuerunt, quâ ratione eam numquam multiplicare potuerunt. Silentium ergò Jonæ preſsêre, ſeu interpretatæ fuerunt Chartæ omnes quæ iis de rebus conſcriptæ fuerunt : Quarum aliæ ſuppreſſo S. Columbani nomine, ſolius S. Benedicti meminêre ut in laudatâ Foſſatenſi Chartâ ſuprà notavimus ; Aliæ verò utriuſque mentionem quidem fecêre ſed antiquioris Regulæ meritò ſemper, honoreque ſervato ; tanto tandem diſcrimine ergà Legiſlatorem utrumque ſe quidam habuerunt ut in Feſtis agendis ſolius S. Benedicti Feſta coluiſſe videantur. Nam Corbeïenſes Monachi, qui ſanctorum Benedicti & Columbani Regulam ſervavere, & à S. Vvalberto primum acceperunt Abbatem, Solius S. Benedicti primarii Monachorum Legiſlatoris diem Feſtum egerunt, ut obſervare poſſumus in iis Corbeïenſium ſtatutis conſuetudinibus, quas S. Adhalardus ſcriptis mandavit ad annum 822. *Spic. tom. 4. l. 2. cap. 2.*

XIII. Plurimi tandem Authores ad inſtar Privilegiorum quæ viderant loquuti, S. Columbani inſtitutum duplici quaſi Regulâ ſub unius appellatione conſtare dixerunt. Hos inter extitit Anonymus vitæ S. Salabergæ ſcriptor, à quo diſcimus quòd *S. Valberti tempore per Galliarum Provincias, agmina Monachorum, ac ſacrarum puellarum examina...... ex Regulâ dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cæperunt.* Ut pluribus ſequenti capite dicturi ſumus. Cui Authori, quem graviſſimum exhibent Annales Cointiani, tantam fidem habendam eſſe, quantam meretur Jonas, aut alius quiſque, multa ſuadent : Nam primò, nec Adverſarius noſter quidquam hactenus reprehendit, quod eum, aut falſum dixiſſe, aut veritatem tacuiſſe, aut gratiæ in ſcribendo, aut ſimultatis rationem habuiſſe, demonſtret. Secundò, ad eamdem vitam ſcribendam iis omnibus inſtructus acceſſit, quibus veritatem nudam adverteret, eamque nudam poſſet exponere : Cumque eos omnes errores in opere toto

vitaverit, id maximè præſtitit in iis quæ de S. Columbano; ſeu de ejus diſcipulis; aut tandem de Monaſteriorum multiplicatione quæ S. Vvalberti ætate Galliam repleverunt, expoſuit. Nam ut à ſancto Columbano incipiamus, non ſolis oculis ipſius acta revolvit, ſed perſecutiones; fraterna diſſidia; exilium; Bobienſis Cœnobii conſtructio; Regulæ aliorumque ipſius ſcriptorum compoſitio ipſi Anonymo adeò perſpecta fuerunt, ut ab hac narratione vitæ S. Salabergæ exordium voluerit aſſumere: Tum ad ipſius ſanctæ, aliorumque, nempe ad ſanctorum Euſtaſii & Vvalberti narrandam hiſtoriam progreditur, nec tacet *Hæreticorum diras procellas*, ab Euſtaſio perpeſſas & Agreſtii ſchiſmatici *detectas fraudes*, & argumenta compreſſa: adeò ut ex Authoribus qui de S. Columbani vivendi ratione fuêre loquuti, nullum videamus cui majorem fidem habere debeamus, quàm Anonymo qui in vitâ S. Salabergæ Monachos, per Gallias omnes diffuſos, ex Regulâ Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaſſe narravit. Quâ in re eum à Jonâ diſſentire non dico, ſed Jonam tacentem ipsâ rerum geſtarum expoſitione ad veritatem adductum, eamdem nudam repræſentare convinco. Antequam tamen Jonam Anonymo conſentientem monſtremus, advertendum neceſſe eſt me ſequenti capite Ordericum Vitalem tanquam Authorem cui fidem integram habeamus minimè laudaturum, ſed eum in teſtem tantùm adducturum earum rerum quæ ſuis ipſe oculis viderit, quæque in antiquis S. Columbani Monaſteriis ipſius Orderici temporibus adhuc vigebant, & S. Columbani conſuetudines, doctrinamque ſapiebant.

CAPUT DECIMUM.

SANCTUS COLUMBANUS.

INTER BENEDICTINOS PER JONAM cæteroſque Sæculi ſeptimi Scriptores numerandus probatur.

I. SS. Columbanus & Euſtaſius hoc ipſum vivendi inſtitutum quod à Monaſterii Luxovienſis initio acceperunt ad mortem uſque illibatum ſervarunt. II. Hoc ipſum vivendi inſtitutum à Concilii *Matiſconenſis Patribus confirmatum. III. Verba Ionæ de propagatione Regulæ S.* Columbani *in actis S. Euſtaſii referuntur IV. Poſt* Concilium *Matiſconenſe plura excitata fuerunt Monaſteria ſub iiſdem legibus quibus Luxovienſe Monaſterium ab initio tenebatur. V. Anonymus vitæ ſanctæ Salabergæ ſcriptor teſtatur, ſub ſancto Vualberto, omnia penè Galliarum Cœnobia ſub Regulâ SS. Benedicti &* Columbani *uno eodemque tempore, fundata fuiſſe. VI. Ionæ verò aliorumque ſcriptorum teſtimonio inſtitutum Sancti Columbani ad annum uſque ſexcenteſimum ſexageſimum intemeratum ſervatum fuit ſub Regulâ SS. Benedicti &* Columbani. *VII.* Cointii *ſententia refellitur, quâ ſentit Regulas eorumdem ſanctorum à ſe invicem diviſas, diverſis in locis obſervatas. VIII. S. Audoënus cum Anonymo convenit, innumera Monaſteria iiſdem temporibus ex ſolo Monaſterio Luxovienſi ortum habuiſſe. IX. Quo loco habendum ſit cujuſque Au-*

ctoris ſilentium & quanti habenda ſit Jonæ tacentis & loquentis auctoritas.

I. PRÆSENTI capite totam de S. Columbani inſtituto quæſtionem in Adverſariorum gratiam ab integro examinandam reſtituo ; nullaque præcedentium capitum habitâ ratione, per Authores Sæculi ſeptimi, Jonæ coævos, ſancti Columbani Regulam ab initio Luxovienſis Monaſterii Benedictinæ conjunctam, iterum probo. Quamobrem, pono primò, & ab Adverſariis mihi concedendum exiſtimo S. Columbanum eam vivendi rationem quam ſibi, ſuiſque diſcipulis ſervandam in Aſceterio Luxovienſi præſcripſerat, illibatam ad vitæ finem ſervaſſe ; Et S. Euſtaſium ipſius S. Columbani diſcipulum & ſucceſſorem eâdem animi firmitate id etiam præſtitiſſe. Utrumque unâ eâdemque authoritate monſtratur. Cum enim Sanctus Euſtaſius Magiſtrum ſuum S. Columbanum morti proximum viſitaſſet, in ipſo diſceſſionis procinctu, eum ſanctus ille Legiſlator hortatus fuit,
n. 61. Vit. ut numquam ab iis inſtitutionibus quibus eruditus fuerat diſcederet. *Viſo ergo Euſtaſio*, inquit Jonas, *B. Columbanus gaviſus recepti muneris aditu gratulatur, retentumque penès ſe tantiſper, hortatur, ut ſui laboris reminiſceretur, Cohortem Fratrum diſciplinæ habenis erudiret, multorumque Collegio Chriſti plebem adunaret, ſuiſque inſtitutis erudiret.* Quæ nunquàm à viro ſanctô dicta fuiſſent, ſi ea inſtituta quæ jam olìm apud Luxovium ſanctum Euſtaſium docuerat, aut ex parte aut ex toto viſus fuiſſet immutaſſe.

S. Euſtaſius eâdem conſtantiâ quamdiù vixit, hoc ipſum,quod à Beato Columbano acceperat, inſtitutum tenuit. *Adeò*, inquit Jonas in vitâ S. Euſtaſii ; *ut nullus Beatum Columbanum perdidiſſe gemeret qui ejus doctrinis imbutus fuiſſet. Præſertìm cum cernerent in diſcipulo Magiſtri inſtituta manere.* De quo etiam Adſo, ſeu Hermericus Luxovienſis Abbas in vitâ S. Vvalberti Abbatis Sæc. 3. Bened. parte. 2. *Cui* (Sancto Columbano,) inquit, *ad regendam Luxovienſium Monachorum Congregationem, B. Pater*

Euſtaſius providus gubernator ſucceſſit ...... qui prædeceſſoris ſui in omnibus inſtituta ſequutus ..... migravit ad Dominum. Quæ ſatis per ſe clara ſunt.

II. Pono ſecundò, neque id ab Adverſariis, meo quidem judicio, denegari poteſt. In Matiſconenſi Concilio ea quæ ſanctus Columbanus coluit inſtituta, per Concilii Patres fuiſſe corroborata, multaque erecta fuiſſe Cœnobia, quibus hanc ipſam Monaſticam diſciplinam quam idem ſanctus docuerat, & in ipſo Luxovienſi Monaſterio ſervaverat, imponerent, ut ſuperiùs cap. 8. nn. 7. 8. probavi. In eâ namque Synodo Agreſtius non novas aliquas leges, à S. Columbani diſcipulis innovatas, aut innovandas impetiit, & à Monaſteriis eliminandas propoſuit. Neque ad eas conſervandas Patres Monaſteria condidêre : Sed eadem erexerunt, ut vetus illud purum putum B. Columbani inſtitutum apud Luxovium ab ejuſdem inſtitutione obſervatum, ab Agreſtio damnatum, & ab Euſtaſio propugnatum, novi Monachi integrum conſervandum & poſteris commendandum ſuſciperent ; Aliàs ſi S. Columbani vivendi normam, non niſi alterius inſtituti, novi aut veteris adjectione roboratam futuris Aſceteriis voluiſſent imponere, nemo jure poſſet aſſerere, S. Euſtaſium in Matiſconenſi Synodo ex Agreſtio victoriam reportaſſe, & Patres in eâdem ipsâ Synodo S. Columbanum ab Agreſtii calumniâ vindicaſſe, ſed potiùs victor dicendus eſſet Agreſtius, & ſancti Columbani Regula aliquatenùs improbata, ſi Patres Matiſconenſes eam nonniſi alterius Regulæ conjunctione firmatam admitti voluiſſent ; quæ mihi certo certiora videntur.

III. His poſitis, Jonam audiamus Propagationem inſtituti Columbanici referentem. *Abellenus*, inquit, *vel cæteri Galliarum Epiſcopi ad roboranda Columbani inſtituta adſpirant ; quàm multi jam in amore Columbani, & ejus Regulæ Monaſteria conſtruunt ; Plebes adunant, gregem Chriſti congregant ; Inter quos inluſter tunc vir Elegius, qui modò Verimandenſis Eccleſiæ Pontifex præeſt.... Iuxtà Lemovicenſem urbem Monaſterium nobile, Solemniacum nomine, conſtruxit ſuprà Fluvium Vicennam.... & alia multa*

in iiſdem locis Cœnobia, ſed & in Pariſius Puellarum Monaſterium quod de Regio munere ſuſceperat ædificat, in quo Chriſti Virginem, Auream nomine, præfecit. In Bituricenſi verò urbe, puellarum Monaſterium ex Beati Columbani Regulâ Berthoara nobilis genere & Religione fœmina conſtruxit. Itemque in ſuburbano Bituricenſis urbis vir venerabilis Theodulfus cognomento Bobolenus Monaſteria ex Regulâ Columbani omni Religione pollentia conſtruxit. Primum, in inſulâ ſuprà Fluvium Milmandram, ubi Religioſorum adunavit catervam : Aliud Gaudiacum nomine, haud procul à Fluviolo Albeta : Tertium Chriſti virginum Congregationi loco nuncupato Charantomo ſuprà Fluvium jam dictum Milmandram : Itemque aliud Chriſti virginum juxtà Nivernenſe oppidum ſub eâdem Regulâ conſtruxit. B. verò Euſtaſius has poſt victorias corrigere delinquentes ſtudet.

IV. Ex quibus poſitionibus & Concilii Matiſconenſis actis per Jonam commemoratis id evincimus, nova S. Columbani inſtituta ab Agreſtio ad Concilium delata, à Patribus confirmata fuiſſe, à quibus & deinceps poſt actum Concilium plura excitata fuêre Monaſteria, ut hanc eamdem vivendi formam quâ S. Columbanus Luxovienſes Monachos imbuerat, iterum novorum Cœnobiorum Aſcetæ tenerent : Quamobrem iiſdem novis Cœnobiis, aliiſque per annos quadraginta ſucceſſivè fundatis, S. Vvalbertus Abbates apud Luxovium enutritos conceſſit, qui eadem non novis, ſed antiquis legibus & à ſancto Columbano receptis moderarentur. Eos verò Monaſteriorum primos Abbates & Monachos à S. Vvalberto, non verò à S. Euſtaſio inſtitutos Jonæ lucubratione docemur : qui loco ſuprà laudato hæc habet. *Deinde ſub ejus* (S. Euſtaſii) *obedientiâ in ſæpè fato Cœnobio Luxovienſi Concio maxima erat, ut ex hoc jam multa per vicina loca Monaſteria conſtruerentur quæ ejus ſucceſſor Vvandalbertus firmavit atque ædificavit.* Quapropter hîc tantùm ſupereſt inquirendum, utrùm aliqui reperiantur Authores Jonæ coævi, aut ipſi ſuperiores, qui eoſdem ſanctos, aut eorum aliquem Regulæ S. Columbani cum Benedictinâ conjunctæ paruiſſe demonſtrent ; aut poſitivè

tivè

tivè teſtentur iiſdem temporibus harum Regularum Aſcetas nullam vitæ communis Monaſticam ſocietatem ad invicem habuiſſe. Cùm verò harum inquiſitionum poſtrema pars, à nullo (quod ſciam) ſeptimi aut octavi Sæculi ſcriptore teſtata fuerit, ſoloque Jonæ nitatur ſilentio; reliquum eſt ut eos examinemus Authores qui apertè denotant S. Vvalberti Regulam utriuſque Legiſlatoris leges complecti, eoſque proferam quorum teſtimonia firma & à Cointio probata fuiſſe conſtiterit.

V. Horum Authorum primus eſt Anonymus ille, qui vitam ſanctæ Salabergæ litteris mandavit, qui hac de re ſuam mentem nudè & ſimpliciter his verbis aperit. *Vvalberti tempore, per Galliarum Provincias agmina Monachorum ac ſacrarum Virginum examina non ſolum per agros, villas, vicoſque, atque Caſtella, verùm etiam per Eremi vaſtitatem ex Regulâ dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperunt, cum ante illud tempus vix pauca illis reperirentur in locis.* Quæ verba præ ſe ferunt S. Regulam nonniſi Benedictinis legibus inſtructam tot Monaſteria per Gallias inchoaſſe. Ubi ante ejuſdem Sancti Vvalberti tempora, vix pauca extabant Monaſteria, ideſt nulla quæ dici poſſent *Monachorum agmina, & ſacrarum puellarum examina.* Quia hæc verba Monachorum & Monialium agmina, Monachos & Moniales in maximam multitudinem excreviſſe ſuadent. Neque iiſdem obſtat quod Jonas Benedictinæ Regulæ nullibi meminiſſe dicatur: cum enim conſtet apud Adverſarios noſtros utrumque ſcriptorem veritatem tenere: ſilentium Jonæ per Anonymi verbum apertum explicare debemus, & fateri iis temporibus per Regulam S. Columbani utramque deſignatam fuiſſe; Eo prorſus modo quo in eâdem ſanctæ Salabergæ vitâ per Regulam S. Vvalberti eorumdem Patrum ſanctorum Benedicti & Columbani Regula notatur. *Cum egregia ſanctitatis opinio B. Vvalberti,* inquit hujus vitæ Author *penè per univerſos Francorum terminos eximiè pullularet.... Monaſteriaque virorum ac mulierum Chriſti ex ejus normâ affatim conderentur.* Quorum verborum & eorum quæ ex

Vita S. Salaberg. tom. 2. act. Bened.

M

n. 7. fuêre deſumpta ſimplici & dilucidâ expoſitione duplex manifeſtatur veritas, quarum una Monaſteria maximo numero ſecundùm Regulam Beatorum Benedicti & Columbani à fundamentis ædificata fuiſſe demonſtrat: Secunda verò docet normam ſeu Regulam S. Vvalberti à Regulâ ſanctorum Benedicti & Columbani non eſſe diſtinctam ; Ideſt unum & idem eſſe eorum omnium inſtitutum vivendi; quod Regula S. Vvalberti vocatur ratione profeſſionis, quæ illi cum aliis S. Columbani diſcipulis communis erat : Sanctorum verò Benedicti & Columbani dicebatur, quia Benedictinæ eam adjecerant, quam S. Columbanus condiderat; quâ conjunctione priſtinum Benedictinorum inſtitutum mutatum eſſe videbatur. At enim ille mos jam olim apud Majores noſtros inolevit, ut quoties principali Regulæ, variæ & multùm ab aliis differentes conſuetudines, ſeu ſecundariæ Regulæ fuerunt adjectæ : Toties Congregationes illæ quæ Benedictinâ Regulâ tenebantur ; ab antiquioribus quaſi diviſæ fuiſſent variarunt ; & perinde quaſi primarium earum inſtitutum ad aliud tranſlatum eſſet, varios etiam Ordines multùm ab invicem ſecretos formavêre ; ut videre eſt apud Cluniacenſes, Camaldulenſes, Silveſtrinenſes & alios, qui varios Ordines condidiſſe feruntur; verum id etiam Ciſtercienſibus contigiſſe novimus ; qui licet Regulam Benedictinam ad litteram ſervare promiſerint, tamen ratione modi quo eamdem tenuerunt, communi aliis Benedictinis Ordine caruiſſe, novumque condidiſſe voluerunt.

VI. His animadverſionibus facillimè evertere poſſumus reſponſum Cointianum quo primam authoritatem Anonymi voluit exponere. Sic enim ait. *Acta ſanctæ Salabergæ præcitata ſic interpretare. Vt agmina Monachorum per Gallias ex Regulâ dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare credas, quoniam ut Glannafolienſe Monaſterium aliaque, Regulam ſancti Benedicti ; ſic Luxovienſe aliaque, Regulam ſancti Columbani ſequebantur.* Cum enim norma S. Vvalberti eadem ſit quæ SS. Benedicti & Columbani Regula, & iiſdem terminis exten-

Ad an. 734. n. 12.

datur : fateamur neceſſe eſt omnia Monaſteria quæ Vvalberti tempore pullulaverunt ad utrumque Legiſlatorem pertinere : immò verò ſuperior textus ex toto deſcriptus, ſanctum Vvalbertum ea omnia virorum ac mulierum examina quaſi peperiſſe notavit; hæc enim habet. *Intereà cum egregia ſanctitatis opinio Beati Vvalberti penè per univerſos Francorum terminos eximiè pullularet, & Solertia prædicationis ejus à Chriſto Domino ſine quo nihil boni agitur affatim fervèſceret, eſſetque omnibus Deum colentibus gratus, Monaſteriaque virorum ac mulierum Chriſti ex ejus normâ affatim conderentur. Cernens B. Salaberga ſervum Chriſti, militemque præclarum tot florere exemplis, virtutibuſque flagrare ſupernis, & aſſiduè velut è luporum faucibus erectos ubique greges Chriſti adunari, eum ad propriam Domum crebrius accerſitum, &c.* Ea ergo omnia Monachorum & Monialium examina quæ per agros villaſque ac etiam per Eremi vaſtitatem pullulavere, ab eodem ipſo congregata fuerunt, qui omnibus gratus ex fervore prædicationis ſuæ tot viros ac mulieres ad religionem adduxit, ut infinita penè Monaſteria conderentur. Eam textûs interpretationem confirmat alter Anonymus, qui in vitâ S. Germani ejuſdem S. Vvalberti diſcipuli : Sic Grandivallenſis Cœnobii refert initia. *Cernens verò Deo plenus, & Spiritu ſancto repletus Sacerdos Dei Vvalbertus, certatìm undique catervas Monachorum coadunari, cæpit de tàm plurimâ multitudine, ſi fortè ubi ubi poſſet, loca uberrima ubi de ſuis Monachis ad habitandum adunaret, exquirere : Audiens autem Gundoïnus vir illuſtris quòd Beatus Vvalbertus Abbas Sagaci intentione requirebat loca ubi Monachi ſui reſidere, & vitam ſanctam degere deberent ; miniſtros ſuos ad eum direxit, ut ad ipſum quantociùs properarent. . . . . Deinde Vvalbertus cum timore Dei & oratione fratrum ad ipſum locum acceſſit & invenit locum uberrimum intrà ſaxorum concava . . . . Accerſivit itaque ad ſe unum de Presbyteris ſuis nomine Fridoaldum, de paucis Monachis Domni Columbani Abbatis, admonens ut ad ipſum locum accedat.* Hæc, ſi quid ſapio, ſatis ſuperque dicta ſunt ad eam quam propono verita-

tem fulciendam, & ad clariùs quam ſatis eſt probandum ex ſolius ſancti Vvalberti Regulâ, cuncta Monaſteria quæ ejuſdem tempore per Galliarum Provincias ab his Authoribus propagata dicuntur ex ſolà ipſius Regula originem habuiſſe, eâdemque probatâ veritate, certum etiam evadit eadem quoque Cœnobia ex unitâ Regulâ Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaſſe non verò ex eâdem Regulâ ſeparatim ſervatâ: Aliàs falſum eſſet, *quod cum egregia ſanctitatis opinio Beati Valberti penè per univerſos Francorum terminos eximiè pullularet, & ſolertiâ prædicationis ejus affatìm ferveſceret, eſſetque omnibus Deum colentibus gratus, Monaſteriaque virorum ac mulierum Chriſti ex ejus normâ affatìm conderentur, &c.* His enim verbis, unitas ejus inſtituti probatur quod per Vvalbertum per omnes Gallias protenſum fuit & pervulgatum, nullà tamen diſtinctione ab eo quod S. Columbanus primò protulerat: In cujus rei confirmationem habemus Fridoaldo presbytero ex paucis primiſque S Columbani diſcipulis uno, id muneris à S. Vvalberto impoſitum fuiſſe ut Grandivallenſe Monaſterium inſtitueret, & omnium primus informaret, iis procul-dubio inſtitutis quibus à ſancto Columbano primis ſuæ converſionis temporibus formatus fuerat. His omnibus adde, quod ſi ab enumeratione Monaſteriorum quæ eâdem ætate fundata, Annales Cointiani recenſent, quæſtionem velimus dirimere, reſponſio Cointiana iterùm penitùs decidet. Dicunt enim ad annum 668. n. 20. quòd *plurima Monaſteria Regulam ſancti Columbani, perpauca Regulam S. Benedicti ſequebantur.* Et adeò pauca, ut hac Regularum diſtinctione & ſeparatione poſitâ, vix unum aut alterum Monaſterium reperire poſſint Annales, quod Benedictinis concedant. Quapropter ſi Anonymi valet authoritas, quam firmiſſimam fatetur Cointius, dicendum eſt *agmina Monachorum ac ſacrarum puellarum examina, quæ S Vvalberti tempore ex Regulâ dumtaxat B. Benedicti pullulare cœperunt*, Regulam quoque ſancti Columbani unitam habuiſſe, aut vice verſâ: Id enim dicendum de ſancti Columbani Regulâ quâ ſpeciales conſuetudines Be-

nedictinis inſtitutis addidêre, aliàs S. Vvalberti tempore nulla fuiſſet Benedictinorum multiplicatio : His tamen omnibus addendum quod primo loco proferre debebam, nempe Anonymum noſtrum, loco citato, totum eſſe in commemorando S. Vvalberti inſtituto, aut illuſtrandis ipſius actis ; aliorum verò non ita, de quibus loquendi nulla ſe dederat occaſio : neque nobis perſuadere debemus de iis rebus eum egiſſe, quæ per alios quàm per S. Vvalbertum, ejuſdem tempore geſta fuerunt : Sed de iis tantùm Monaſteriis, quæ totâ vitâ extruenda curavit ; aut quibus fundandis ſancto Euſtaſio adjutor eſſe potuit : Nam uti ait alter Anonymus : *Cernens S. Vvalbertus certatìm undique catervas Monachorum coadunari : Cæpit de plurimâ multitudine ſi fortè ubi ubi poſſet loca uberrima, ubi de ſuis Monachis ad habitandum adunaret, exquirere.* Quæ effectui mancipata deſcribit vitæ S. Salabergæ Author his verbis. *Vvalberti tempore per Galliarum Provincias agmina Monachorum*, &c. Ex Regulâ dumtaxat *Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cæperunt.* Ex Monaſterio ſcilicet Luxovienſi, ubi tantam Monachorum catervam coadunaverat, ut eorum multitudo fundata per totum Orbem Monaſteria potuerit occupare.

VII. Idipſum quod Anonymus ſcripſit de propagatione normæ S. Vvalberti, ſeu Regulæ SS. Benedicti & Columbani S. Audoënus, S. Vvalberto æqualis, etiam affirmavit, & ab eo Anonymus id quod ſcripſit aſſumpſiſſe videtur : Seu, ut veriùs loquar, uterque id quod oculis vidit voluit eſſe teſtatum : Sic ergo loquitur S. Audoënus in vitâ S. Eligii. *Properabat S. Eligius ad Cænobia, maximèque Luſſedium, quod erat eo tempore eminentius atque diſtrictius ; Neqûe enim erant tàm crebra in Galliis Monaſteria, & ſicubi eſſent, non ſub regulari quidem diſciplinâ : Sed erant prorsùs in malitiâ fermenti veteris ſæcularia : Præter Luſſedium ergo quod ſolum, ut dictum eſt, diſtrictionem Regulæ ſolerter tenebat. Solemniacenſe Monaſterium in partibus occiduis hujus religionis extitit caput, ex quo demùm multi ſumpſerunt & initium & exem-*

plum. Adeò ut nunc quoque propitiâ Divinitate innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur ſub Regulari diſciplinâ alma utriuſque ſexûs Cœnobia. Hæc ergo innumera Monaſteria, quæ SS. Audoëni, Eligii, Vvalbertique temporibus ex Monaſteriis Luxovienſi, & Solemniacenſi procreata fuerunt, eadem ſunt omninò quæ ſecundùm Anonymum ex Regulâ Beatorum Benedicti & Columbani, aut ex normâ Vvalbertinâ iiſdem etiam temporibus pullulavêre; adeò ut nulla inſtitutorum fingenda ſit diverſitas, ſed una eademque admittenda Regula, quæ eadem Cœnobia infinito penè numero pepererit.

VIII. Hôc etiam in textu S. Audoënus de omnibus Galliarum Cœnobiis loquitur, de his dumtaxat quæ S. Columbani in Gallias adventu erant antiquiora, & de Luxovienſi & aliis quæ ab eodem aut initium ſumpſerant aut exemplum. Priora depravata aſſerit & ad laïcorum magis quàm ad Monachorum vitam accedentia quæque à Regulæ quam promiſerant obſervatione omnino defecerant: Adeo ut primis illis B. Columbani temporibus, ſolum Luxovienſe Monaſterium Regulæ diſtrictionem teneret. Quæ S. Audoëni narratio ſanctum Columbanum nullatenùs nobis tanquam novum aliquem Legiſlatorem, ſed antiquioris alicujus Regulæ cultorem aut reformatorem nobis exhibet, ejus ſcilicet quam cæteri Galliarum Monachi promiſerant, quam idem ſanctus Columbanus novæ Regulæ aut novarum conſuetudinum adjectione firmavit, & ſub eâ novum Ordinem erexit. Secundò, eodem textu videmùs anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, quo tempore S. Audoënus S. Eligii vitam elaborabat, Luxovienſium & Solemniacenſium Monachorum labore, ſtudio, & exemplo, *innumera per omnem Franciam & Galliam floruiſſe ſub regulari diſciplinâ alma utriuſque ſexûs Cœnobia.* Quam verò Regulam poſteriora illa Monaſteria amplexata fuerint, S. Audoënus non loquitur; quia, cum ubique una eademque Regula ſervaretur, ignorari non poterat, maximè cum eam deſignaſſet ex ſanctæ Regulæ nomine,

quod elogium ſoli Benedictinæ conceſſum in priore Diſſertatione probavi. Hujus tamen ſilentio occurrit Anonymus, qui vitam ſanctæ Salabergæ tredecim annis poſt editam ſancti Eligii vitam compoſuit. Cum enim hanc omiſſionem poſteris ſcrupulum ingerere poſſe vidiſſet; Eadem Monaſteria quæ ſanctus Audoënus commemorat, & de quibus ipſe quoque Anonymus mentionem facit, ex Regulâ Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaſſe narravit : Addito ſcilicet nomine poſterioris Regulæ eidem ipſi quam S. Columbanus ab antiquioribus Monachis malè ſervatam invenerat. Hæc verò duorum Authorum teſtimonia, ſi authoritate Chartarum, Diplomatum, & Privilegiorum quæ initio præcedentis capitis laudavi, quæque utramque Regulam in præcipuis Galliarum Monaſteriis conjunctam loquuntur, cumulaveris : Omnia quæ ab Adverſariis proponuntur dubia contra laudatarum Regularum à S. Columbano factam unionem, ſtatim evaneſcent, nullaſque fingendas fuiſſe abraſiones patebit, cum Author, Jonæ, & ſancto Vualberto poſterioris iſtius Authoris omiſſionem ſuppleat, & Monaſteria S. Columbani utramque Regulam conjunctam coluiſſe teſtetur. Ut tandem ultimò ſilentium Jonæ verbis apertis integrè ſolvam, eiſdemque Adverſarios doceam primam ſancti Columbani inſtitutionem ad Matiſconenſem Synodum, integram & illibatam perſeveraſſe, & ab eâdem Synodo ad omnia ſancti Vualberti tempora duraſſe, & eâ ratione S. Columbanum & ſanctum Vualbertum Benedictinos ſemper audiiſſe, rem paucis iterum explano, & exemplo manifeſtiſſimo à Jonâ deducto, eam ob omnium oculos pono.

Ex omnibus qui S. Columbani Regulam fuerunt amplexi, nullus ſancto Romarico illuſtrior extitit, *qui*, ut Jonas ait, *primus inter nobiles fuerat apud Theodebertum habitus priuſquàm per B. Columbani exemplum ac Euſtaſii prædicationē monitus ad Luxovium veniens Monaſticæ inſtitutioni ſe ſubdidit quò diei ſub regulari tenore vitam agente, poſteà Euſtaſio annuente puellarum Monaſterium extruxit in propriâ poſſeſſione in quo & Regulam B. Columbani cuſto-* *Vit. S. Euſta. lib. 3.*

diendam indidit. Ubi ut credere neceſſe eſt, B. Romaricus ei Regulæ, iiſque conſtitutionibus ſe ſubdidit, quas ab eodem Columbano, S. Euſtaſius cuſtodiendas acceperat: Id etiam colligitur ex eodem Jonâ, qui eodem loco refert eumdem S. Romaricum & S. Amatum poſt expletum Matiſconenſe Concilium, Agreſtinâ fraude deceptos ſancti Columbani inſtituta abjeciſſe: Sed eodem Agreſtio extincto eoſdem SS. Romaricum & Amatum pœnitentiâ ductos dimiſſam Regulam iterum ſervandam accepiſſe, & in ſancti Euſtaſii gratiam rediiſſe. *Amatus verò ac Romaricus*, inquit Jonas, *venerabilis Euſtaſii convenientiam poſtulantes recipiunt, atque deſidiâ ſubmotâ fruuntur.* Quæ cum acciderint ultimis S. Euſtaſii diebus: Dicendum videtur iiſdem ſancti Euſtaſii & S. Vvalberti temporibus Regulam à S. Columbano ſervatam, & ſuis diſcipulis imperatam in Habedenſi, ſeu S. Romarici Monaſterio eodem modo ſervatam quo apud Luxovienſes ætate ſuperiori ſub iiſdem omnibus ſanctis.

Quid verò in eodem Monaſterio ſub regimine S. Vvalberti contigerit Anonymus alter apud Mabillonium in vitâ S. Romarici teſtatur cùm nobis eumdem ſanctum ſub vitæ finem diſcipulos ſuos n. 11. hortantem exhibet, *omnes eam doctrinam illibatam tenere, quam dudum & jugiter ab ipſo audierant.* Quibus verbis ſanctus Romaricus notum eſſe voluit ſe S. Columbani Regulam, quam primò Monaſterio Habedenſi indiderat, ad mortem uſque ſervaſſe adeò ut anno 620. quo B. Romaricus Monaſterium condidit ad annum 653. quo è vivis abiit ad ſuperos, eadem omninò eodemque modo quo apud Luxovium Regula tradita fuerat, uſu perpetuo & illibato fuerit obſervata.

His ita deductis & ab iis Auctoribus corroboratis qui ab Adverſariis infirmari non poſſunt, facilis eſt modò ea probatio quæ iis omnibus temporibus ſancti Columbani Regulam ſancti Benedicti Regulâ fultam in Habedenſi Monaſterio & eâdem ratione in cæteris S. Columbani Monaſteriis dominatum habuiſſe doceamus. Si quidem totum pendet à notitiâ temporis quo fundatum fuit Habedenſe

bedenſe

bendenſe Monaſterium quod ex Annalibus Cointianis anno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo initium habuiſſe legimus, tempore ſcilicet S. Vvalberti, non quidem regentis Luxovienſe Monaſterium, ſed inhabitantis; & Columbanicum inſtitutum ſub S. Euſtaſii regimine promoventis, ut patet ex vitâ S. Euſtaſii qui n. 2. erudiendæ ſanctæ Burgundoforæ & Monialium ejus ſancto Vvalberto curam commiſit, ut juxtà ſancti Columbani Regulam converſarentur, ut ex Jonâ ibidem conjici licet. Cùm verò ex illo ſciamus fundata ſancti Vvalberti tempore Monaſteria ex Regulâ SS. Benedicti & Columbani pullulaſſe; Quis inficiabitur Habendenſe S. Romarici Monaſterium ſub eâdem Regula ortum habuiſſe? eſt conſequentia quæ videtur neceſſaria; Quis negabit Cœnobia Luxovienſi poſteriora aut ipſimet æqualia ſub iiſdem inſtitutis viguiſſe, cùm certum ſit & evidens ex Jonâ ſanctos Amatum & Romaricum ſanam, illibatam, & integram S. Columbani Monaſticam inſtitutionem hauſiſſe, & eamdem ad annum uſque quinquageſimum tertium ſuprà ſexcenteſimum, toto ferè tempore, quo ſanctus Vvalbertus Regulam SS. Benedicti & Columbani propagaſſe dicitur, nullis aliis inſtitutis permixtam ſervaſſe?

Hæc cum ità ſint fruſtrà laborarem, ut opinor, ſi S. Romarici teſtamentum eâ parte ſincerum fuiſſe quâ dixit Monialium S. Romarici Aſceterium, ſub ſancti Benedicti Regulâ fundatum, probare vellem, cum Anonymus Salaberganus idipſum evincat, & prædictum teſtamentum cum S. Euſtaſii vitâ, à Jonâ deſcripta, concordare demonſtret: Nam cum habet Monaſteria Vvalberti tempore ædificata utramque ſancti Benedicti & S. Columbani Regulam habuiſſe, ea ſupplet quæ ab utroque omittuntur Auctore, à Jonâ ſcilicet & à ſancto Romarico teſtamenti ſcriptore & utrumque dilucidiùs explicat.

IX. Hic iterum ſiſto lectorem ut diverſorum Authorum ad invicem comparatione conſideret, quantùm eorum ſilentium audiendum, ſi quando audiendum videatur. Jonas enim nobis perſuadere conatur ſanctum Romaricum Monaſterium Habendenſe ex Regulâ S. Bene-

bani condidiſſe ; at Anonymus in ejus vitâ, quem Annales ad annum 653. n. 30. coætaneum dicunt & gravem Authorem, ſanctum Columbanum & ejus Regulam ubique tacet & ejuſdem Monaſterii conſtructionem aliter refert. *Nam*, inquit, *cum adhuc ad bonum opus profuturum unam tantummodo reſervaſſet villam, conſilio deinceps inito, B. Amatus cum eodem ad Monaſterium puellarum ædificandum pergit.* Et idem aut alter ejuſdem ætatis Anonymus in vitâ S. Amati n. 15. *His ritè edoctus per idem tempus, conſilio procul-dubio omnipotentis Dei agente, ſanctus magiſter Amatus, & diſcipulus ejus Romaricus ſub magnâ ſanctitate atque ſummæ perfectionis religioſiſſimâ intentione Monaſterium puellarum condunt.* Quæ verba Regulam S. Columbani nullo modo loquuntur, nec Habendenſe Monaſterium ex eâdem regula fundatum dicunt. Jonas iterum refert ſanctos Amatum & Romaricum ab Agreſtii partibus aliquando ſtetiſſe, S. Columbani Regulam ſpreviſſe immo & rejeciſſe refert. Nam poſt Agreſtii mortem pœnitentiâ ductos veniam errati commiſſi ab Euſtaſio petiiſſe & obtinuiſſe ; at uterque Anonymus qui utramque vitam delineavit æque tacet Agreſtinum cum ſancto Euſtaſio diſſidium, & eorumdem ſanctorum Amati & Romarici ab eodem Euſtaſio diſſenſionem; ſilet etiam uterque dimiſſam aliquando S. Columbani Regulam. Quamobrem ſi ab Auctorum ſilentio argumentari liceret, Jonam erraſſe diceremus, cùm vitarum SS. Amati & Romarici Authores coætanei graviſſimi id tacuerint quod Jonas enarrat.

N. 5. vit. S. Romarici.

Immò non tantùm eorumdem Authorum ſilentium à Jonâ loquente diſſidet, ſed eorum etiam ſcripta Jonæ ſcriptis videntur oppoſita. Hic enim totam S. Romarici converſionem ſancti Columbani exemplis & ſancti Euſtaſii prædicationibus, nihil verò ſancti Amati adhortationibus concedit.

At Anonymus in vitâ S. Amati, cui fuit aut æqualis aut ſuppar, rem aliter deſcribit ne nominatis quidem ſanctis Columbano & Euſtaſio. Sic enim loquitur ibid. n. 14. *Intuitus autem S. Romaricus virum Dei cùm multâ reve-*

rentiâ & honore ſuſcepit eum. Cumque jam menſa poſita eſſet, cœpit inter epulas flagitare, ut ſibimet deſideranti verba ſalutis nuntiaret. Mox ille cùm velox & cautus eſſet in verbo exorſus ait : Cernis hunc diſcum argenteum ; quantos iſte dudum ſervos habuit, quantoſque deinceps habiturus eſt. Et tu velis nolis nunc ſuus ſervus es, quoniam ad ſervandum eum poſſides. Sed nunc æquum ſuper ſe edentibus reddidit ſuffragium, de quo à te qui eum nunc ſervas ratio in futuro requirenda exigetur. Scriptum namque eſt: Aurum & argentum veſtrum æruginabit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit. Vnde Dominus ait : Væ vobis divitibus qui habetis conſolationem veſtram. His denique Romaricus ait : Obſecro ſanctitatem veſtram aliquantulum dierum mecum facite & narrate quid faciam quoniam id ſolùm quod olim angens geſtiebam modernis nunc, annuente Domino congratulor adfore temporibus. Tunc Amatus exorſus eſt. Audiens autem hoc vir Domini Romaricus deſiderio & amore Dei refertus, non multis poſtactis diebus ſpretis divitiis & rebus ſæcularibus detonſum ſervitio Domini ſui caput ſeſe Monaſticis imbuendum tradidit normis. Auctor verò vitæ S. Romarici hæc ait n. 4. ejuſdem vitæ. *Poſt hæc denique tempus evenit, ut in Lotharii Regis palatio inter cæteros electus haberetur. Sed ineffabilis Deus videns militem ſuum ſub tenebroſis hujus ſæculi bellis fortiter belligerantem, voluit illum ad lucidos producere campos : actumque eſt, ut ex eremi ſecretis beatus educeretur Amatus. Quid plura ? inveniens hominem hortatur, ut detonſo capite rebúſque in pauperes diſperſis tanquàm ſibi theſauro in cælis poſito jam ad perfectiora pergeret. Quibus ille auditis ut erat totus ſancto deſiderio repletus, cum multarum rerum ſubſtantiâ Monaſterium Luxovienſe petiit, &c.* Cuinam verò iſtorum ſcriptorum fides ſit adhibenda, id totum pendet ex circunſtantiis converſionis ſancti Romarici, ex oblatâ prædicatione, & ex enumeratione eorum omnium quæ contigêre cum Romaricus ſæculo ſpreto cucullam induit. Quæ cum clarè & ſigillatim ab Anonymo ſcripta fuerint, eum Jonæ præferendum eſſe omnes ut arbitror ultrò concedent, de quo pariter dicent, ut ar-

bitror, eum, non eâ ſinceritate præditum eſſe, quæ ejus ſilentium Chartis omnibus & aliorum ſcriptorum auctoritati anteponendum eſſe mereatur. Quæ cum ita ſint chartæ omnes quæ nomen ſancti Benedicti & ſancti Columbani conjunctum narrant & fundationes Monaſteriorum quæ ſanctum Benedictum aut ſolum cum ſancto Columbano conjunctum in Legiſlatorem agnoſcunt pro indubitatis habendæ quandiù ſolo Jonæ ſilentio poterunt impugnari.

CAPUT UNDECIMUM.

SEPTIMI SÆCULI PLURES AUTHORES ſcripsêre Beatorum Benedicti & Columbani Regulâ per eam quæ ſanctorum Patrum dicitur apertè deſignari.

I. Regula ſanctorum Patrum quæ ſeptimo ſæculo floruit ea eſt quæ Beatorum Patrum Benedicti & Columbani per eadem tempora dicebatur. II. Apud Fontanellenſes eadem ſanctorum Patrum Regula pro ſancti Benedicti Regulâ ſumitur. III. Et apud Altivillarenſes pro utrâque Beatorum Benedicti & Columbani. IV. Aut admittendum videtur Regulam Beatorum Patrum Benedicti & Columbani ante ſanctum Nivardum fuiſſe per omnes Gallias admiſſam; aut fatendum SS. Patrum Regulam nullibi ab iiſdem admiſſam V. SS. Patrum Regula quæ à Monialibus Sueſſionenſibus initio fundati Monaſterii fuit admiſſa, eadem eſſe quæ SS. Benedicti & Columbani multis probatur. VI. Corollarium id quatuor præcedentibus capitibus apponitur.

I. EAmdem Regularum unionem, de quâ ſuperiori capite, factam affirmant omnia Monaſteria, quæ ſæculo ſeptimo ſub ſanctorum Patrum Regulâ fundata narrantur. Nam cum plæraque ex his Monaſteriis Regulam ſancti Columbani receperint, & hæc Regula ſolitariè ſumpta; neque à Cointio, neque ab aliis quibuſvis Authoribus ſanctorum Patrum nomine fuerit appellata; dicendum videtur eadem Aſceteria Regulam SS. Patrum habuiſſe, quia ſecundùm Anonymum ſupra laudatum, ex SS. Patrum Benedicti & Columbani pullulavêre; quam appellationem ab antiquioribus Authoribus accepit, non adinvenit: Sic enim loquitur S. Eligius. Eâ tamen conditione interpoſitâ, ut.... *Tramitem, Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequamini, & Regulam Beatiſſimorum Patrum Benedicti & Columbani firmiter teneatis.* Sigebertus Rex in eo diplomate cujus meminit Cointius ad an. 645. n. 9. pro Caſægumdunenſi Monaſterio. *Ideoque ſub devotione animæ noſtræ in terrâ noſtrâ in loco qui dicitur Caſægonguidinus..... juxtà Patrum traditionem volumus construere.* Idem Sigebertus in alio diplomate à Cointio in Annalibus ad an. 653. n. 16. emendato. *Conceſſimus eis*, inquit, ſervis Dei, *ut ibi Monaſteria, Iuxtà Regulam Cœnobiorùm vel traditionem Patrum cognominata Stabulaüs, vel Malmundarium conſtruerentur, ubi Deo auſpice Remaclus venerandus Epiſcopus præeſſe dignoſcitur, &c.* Babolinus Monachus ſupra laudatus eamdem Regulam de quâ loquimur, ſanctorum Patrum Regulam atque etiam Regulam Monachorum vocatam eſſe ſancti Romani teſtimonio probat, cum refert eumdem ſanctum fratrem ſuum Numerianum ad Monaſterium S. Romarici duxiſſe. *Cupiens*, inquit, *eum de ſæculi actibus ad inſtituta ſanctorum Patrum vel Regulam Monachorum & ſanctam vitæ converſationem adducere*: Quæ verba *juxtà Regulam Cœnobiorum; juxtà Patrum traditionem; ad inſtituta SS. Patrum; vel Regulam Monachorum* palam oſtendunt ſub ſæculi ſeptimi medium, communem aliquam Regulam per Galliarum Monaſteria receptam, quæ plu-

rium Patrum legibus conſtabat. Quinam verò fuerint illi Patres tacent ; quorum legibus Monachi iiſdem temporibus degebant nulla diplomata, nulloſque ſæculi ſeptimi ſcriptores reperies qui alios indicent aut apertè loquantur præter SS. Benedictum & Columbanum, eos quoque ſolos ſub hac denominatione intelligendos eſſe, ſuperiora docuerunt, quæ dicunt *S. Vvalberti tempore per Galliarum Provincias agmina Monachorum, ac ſacrarum puellarum examina ex Regulâ dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cæpiſſe.* Accedit huc quod ſanctus Remaclus primus Solemniacenſium Abbas qui iis Monaſteriis præfuiſſe dicitur inter diſcipulos S. Benedicti à Notkero ponitur, & primus inter Stabulenſes Abbates nùmeratur, ubi *Regulam Beatiſſimorum Patrum Benedicti & Columbani tenuit*, & eamdem alios docuit :

II. Sanctus Vandregeſillus ad annum quadrageſimum ſupra ſexcenteſimum Fontanellenſe Cœnobium ſub Regulâ SS. Patrum condidit, *ſecundùm quam* etiam S. Lambertus ejuſdem S. ſucceſſor *ad conſulta S. Patris Ansberti* (ut ait Aigradus in ipſius Ansberti vitâ) in tractando grege Domini *ſtrenuè cuncta atque irreprehenſibiliter gerebat.* Hanc SS. Patrum Regulam Adverſarius noſter eam fuiſſe exiſtimat, *quæ ex multis SS. Patrum Regulis ac documentis collecta nec illorum Patrum, nec collectoris nomen gerit*, quam tamen nullibi ſe vidiſſe fatetur. Et quam inviſibilem poſſumus aſſerere ; ut potè quæ nullibi nulloque tempore extitiſſe vidimus. Cujus etiam S. Benedictus Indenſis nec in concordiâ, nec in codice Regularum meminit aliquando, nec alius quem viderim Author. Quid verò quamque Regulam eo textu Aigradus intellexerit ex ſancto Vulfranno dignoſcere poſſumus : Nam Jonas Fontanellenſis in ejus vitâ ab Authore Annalium emendata eumdem in extremis poſitum ſuos commilitones Fontanellenſes Aſcetas hortantem exhibet, *ut inſtituta diſciplinæ Regularis, quæ à ſanctæ recordationis Patre Vandregeſillo didicerant, vel in ipſo viderant, in Patrumque præcedentium factis ſive dictis invenerant, indefeſsâ inſtantiâ ſequerentur.* Cùm verò ex Benedictinorum

Adverſario omnes Fontanellenſes Monachi Benedictini fuerint ad annum ſexcenteſimum nonageſimum tertium quo S. Vulfrannus obiit: Dicendum quòd à S. Vandregeſillo Benedictinam Regulam acceperint. Non enim S. Vulfrannus ſuos ſodales hortabatur ut aliud inſtitutum ab eo quod profitebantur diverſum acciperent, & mores ſuos ſecundùm aliam quamcumque Regulam dirigerent. Quibus poſitis, fateamur neceſſe eſt: Eodem loci SS. Patrum Regulam pro Benedictinâ fuiſſe poſitam, non quidem ſolitariè ſumptam ſed ad modum Luxovienſium Patrum ſervatam.

III. Generalem illam conſuetudinem quâ ſæculo ſeptimo conſtruebantur Monaſteria ſecundùm Regulam SS. Patrum, ſeu SS. Benedicti, & Columbani mirum in modum confirmat S. Nivardus Epiſcopus Rhemenſis in privilegio Altivillarenſi, cujus hoc eſt initium. *In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*, inquit, *Ego Nivo, ſive Nivardus, etiamſi peccator, Epiſcopus. Dum omnes Epiſcopi Fratres mei, etiam & de Viris Chriſtianis, & de bonis hominibus Monaſteria ſecundùm Regulam ſanctorum Patrum ædificare non ceſſarent. Petiit nos Bercharius Abbas cum fratribus ſuis ut talem locellum eis perquirere deberemus in noſtrâ proprietate, ubi ipſe ſecundùm Regulam Patrum S. Benedicti & S. Columbani vivere deberent.* Hîc quidem interpolationem fingunt Annales, & Regulas S. Benedicti & ſancti Columbani eo tempore diſtinctas ~~non eſſe~~ fuiſſe,neque in uno eodemque Monaſterio cuſtoditas; Berchariumque S. Vvalberti diſcipulum ſolam ſuſcepiſſe ſancti Columbani Regulam dixêre, ſed tamdiù id inutiliter tentabunt quamdiù textus ex vitâ S. Salabergæ ſuprà laudatus integer perſeverabit: Nam in utroque idem ſenſus eſt, uterque loquitur de Monaſteriis quæ per Gallias omnes S. Vvalberti tempore pullulare cœperunt. Uterque dixit id factum eſſe ex Regulâ Beatorum Patrum Benedicti & Columbani; idque tantùm inter utrumque Auctorem diſtat quod S. Nivardus de Regulâ SS. Patrum abſolutè ſumptâ, nullâque poſitâ additione primò loquatur. Tum in ſupplicatione S. Bercharii, eamdem eſſe

ſuggerit quæ SS. Patrum Benedicti & Columbani dicebatur, quâ explicatione omnia dubia quæ de naturâ Regulæ Patrum, poſſent oriri, ſoluta manent.

IV. Inter ea tamen quæ noſter Adverſarius in oppugnatione Benedictinorum mira geſſit, id vel maximè mirandum, quòd Benedictini nominis eraſione contentus SS. Patrum Regulam nullibi ſuo moverit loco: hæc enim in privilegiis cæteriſque Monaſteriorum Chartis, aut in actis SS. integra nec etiam impugnata perſeverans, eraſam S. Benedicti Regulam reſtituit. Etenim ſi ſtatuta SS. Benedicti & Columbani ſæculo ſeptimo ab invicem ſeparaveris, neque ea in uno eodemque Monaſterio vigere permiſeris, neceſſe eſt ut SS. Patrum Regulam penitus auferas, eamque dicas nullibi Galliarum eodem tempore ſervatam eſſe, idque ex Adverſarii poſitionibus fit evidens. Nam ad annum 634. n. 102. textu ſuprà laudato: Admittit quidem *per Galliarum Provincias Vvalberti tempore agmina Monachorum ac ſacrarum puellarum examina non ſolùm per agros, villas, vicoſque atque Caſtella, verùm etiam per eremi vaſtitatem ex Regulâ dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœpiſſe; cùm ante illud tempus vix pauca illis reperirentur in locis.* Sed, cum velit eorum Monaſteriorum nulla, ſub utrâque Regulâ militaſſe, & eodem loci n. 40. dicat: *Quod ſpecialis Regula S. Benedicti nunquam appellatur Regula SS. Patrum, & quod idem aſſerendum eſt de peculiari Regulâ S. Columbani*, ſequitur ex eodem Authore ex illo immenſo Monaſteriorum numero quæ per Gallias omnes tempore S. Vvalberti, id eſt ab anno 614. ad annum 665. totum ſæculum ſeptimum pullulavêre, nullum omnino Monachum SS. Patrum Regulam ſequutum eſſe. At ex oppoſito S. Nivardus qui de eiſdem Monaſteriis quæ eâdem ætate pullulavêre loquitur (ſcribebat enim privilegium Altivillarenſe ut Annaliſta fatetur ad an. 662.) aſſerit eadem fuiſſe conſtructa ſub Regulâ SS. Patrum. Ergo neceſſe eſt ut ſecundùm S. Nivardum dicamus Regulam SS. Patrum eam eſſe quam Anonymus in actis ſanctæ Salabergæ vocat Regulam Beatorum Patrum Benedicti

nedicti & Columbani, quod etiam aſſerere videtur S. Audoënus qui habet eadem Aſceteria, quæ eâ tempeſtate fuerunt ædificata, ortum habuiſſe aut exemplum à Luxovienſibus aut Solemniacenſibus Monachis. Accedit eodem quod Epiſcopi *Fratres S. Nivardi, qui Monaſteria ſecundùm Regulam SS. Patrum ædificare non ceſſabant*, iidem ipſi ſunt intelligendi qui ab anno 614. ad annum 665. in fundandis, dotandis, approbandis privilegiis, ornandis Monaſteriis, & Monaſtico Ordine propagando laboravêre, nempè Abellenus, aliique Galliarum Epiſcopi è quibus conſtabat Matiſconenſis Synodus. Quibus adjungendi ſunt Eligius qui præter Solemniacenſe Monaſterium, plura apud Lemovicenſes, Pariſienſes, Noviomenſes, & Tornacenſes conſtruxit; Et S. Audoënus ſub quo, ut habet ipſius vitæ Author; *Nulla Diæceſis in cunctis Galliarum Provinciis ſuo tempore Diæceſim Rothomagenſem ſuperare, vel etiam æquare poterat; tantus enim erat numerus Cœnobiorum diverſi ſexûs, Monachorum ſcilicet & Monacharum qui ad ejus inſtitutionem quaſi ad Divinæ ſtationis, meſſis ſubito enituit, ut & numero ſimul & Religione, Cœnobia Ægyptiorum ab Antonio quondam exorſa æquare viderentur.* Quæ Monaſteria Regulam Beatorum Benedicti & Columbani habuiſſe ex Monaſteriis Gemeticenſi & Fontanellenſi, ex quibus cætera prodiêre, opinari debemus. His Epiſcopis adjungendi videntur ſancti, Emmo Senonenſis; Amandus Trajectenſis; Berteandus Ambianenſis; Drauſcio Sueſſionenſis; Leodegarius Auguſtodunenſis; Anſoaldus Pictavienſis; Arbogaſtus Argentoratenſis; Audebertus Pariſienſis; Donatus Veſontionenſis; Faro Meldenſis; Adeodatus Nivernenſis; Mommolenus Noviomenſis: Quorum nullus Regulam ullam intulit aut propagavit, quæ ex dictis aut exemplis variorum Patrum conſtaret, & aut à Regulis ſanctorum Patrum Benedicti & Columbani eſſet diſtincta: Immò iidem omnes, ſi Cointianis Annalibus fides, S. Columbani Regulam propagaverunt, eorumque multi eamdem fuerunt amplexi. At ſi verum eſt, ut S. Nivardus aſſerit, quod omnes fratres ejus Epiſcopi Monaſteria SS. Pa-

trum ædificare non ceſſabant ad annum *662*. neceſſariò quoque dicendum erit cuncta Monaſteria, quæ à ſuperiotibus Epiſcopis S. Columbani cultoribus antè annum *665*. fuerunt erecta, ex Regulâ SS. Patrum, id eſt, ex Regulâ Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaſſe.

V. Ex quibus videas quam vanum ſit iſtud Annaliſtæ effugium, qui cum videret in ſancti Drauſcionis privilegio Sueſſionenſibus Monialibus dato ſcriptum haberi ipſarum Cœnobium *ſub Regulâ Beatiſſimorum Patrum fuiſſe conſtructum* : Ne cogeretur fateri ſanctos Benedictum & Columbanum eos eſſe Patres ſub quorum Regulâ illud Aſceterium fuerat erectum, & ut faciliùs poſſet ſuo gladio ancipiti, ſancti Benedicti nomen ex eodem privilegio abradere, finxit illud ipſum Cœnobium primò ſub Regulâ & ſcriptis variorum Patrum collecta fuiſſe conditum ; tum paucis annis ab eâdem ædificatione, poſt habitâ ſanctorum Patrum Regulâ, S. Columbani norman accepiſſe, perindè quaſi Regulæ ad modum veſtimentorum ſeſe haberent, quibus eâdem facilitate exuimur, quâ poſſumus indui. Quo verò Authore id didicerit, tacet. Quia procul dubiò ipſe ſolus hujus opinionis inventor, propagator & vindex. Sed cum Sigeberti Regis diplomata ferant, *Cænobiorum Regulâ, & traditione Patrum*, Cœnobia ab ipſo fundata informata fuiſſe ; & Senonenſe privilegium doceat Monachos ſancti Petri vivi ſub Regulâ ſancti *Benedicti & modo Luxovienſi ſanctorum Patrum vitam ſectatos eſſe ;* Et tandem Corbeïenſe privilegium eo fine datum fuerit, *ut Monachi ibidem degentes ſub Regulâ ſanctorum Patrum quieti converſari poſſent :* Eademque Cœnobia ſub Regulâ ſancti Columbani ex contrariâ conceſſione vixerint ; neque unquam Regulam mutaſſe dicantur: Mirari ſubit cur vir doctiſſimus in Sueſſionenſi Monaſterio, Regulam SS. Patrum ab eâ quæ Beatorum Benedicti & Columbani dicebatur, diverſam fuiſſe, & S. Columbani Regulâ in eodem Monaſterio antiquiorem auſus fuerit ſcribere, cum hoc idem SS. Patrum inſtitutum in aliis præceptis & privilegiis laudatum ; nec antè conſuetudines Luxovienſes receptum, nec

ab eis diſtinctum dixerit unquam. Accedit huc quòd ſancta Ada, ſeu Adrehildis, ut inquit Author actorum ſancti Aldrici Cœnomanenſis Epiſcopi & ex ejus diſcipulis unus, *de Monaſterio ſanctæ Mariæ quod ſitum eſt in urbe Sueſſionis ad Cænomanicam urbem venit*, tempore ſanctæ Æteriæ primæ Sueſſionenſis Abbatiſſæ, *& ibi in ſuburbio Cænomanico in præfato Monaſterio ſanctæ Mariæ Regulam S. Benedicti docuit, & eam inibi decenter ordinavit*, ex quo textu evidenter colligitur ſanctam Adam ſub ſanctâ Æteriâ Benedictinam Regulam fuiſſe profeſſam, eamdemque ſanctam Æteriam Benedictinam. Sed quid mirum ſi viri etiam doctiſſimi, qui quos pepererunt errores indubitanter propugnandos ſuſcipiunt, non ſemper ſibi conſtare videantur?

Apud Baluz lib. 2. Miſcell.

VI. His ergo omnibus quatuor præcedentibus Capitulis de Columbani Monachatu tam latè diſputatis, jam, ut opinor, exploratiſſimum erit: Eumdem ſanctum Regulas condidiſſe ut ea definiret quæ ſanctus Benedictus à ſingulis Abbatibus ſtatuenda mandaverat; idque docent tum Præfatio Cœnobialis, tum utriuſque S. Columbani Regulæ natura, quæ nihil ſunt aliud quàm, aut exhortationes ad virtutem; aut conſuetudines quædam quibus Benedictina Regula novo modo ad praxim redigeretur. Conſtabit etiam Benedictinas leges non ſolùm à diſcipulis ſancti Columbani, ſed ab ipſo-met ſancto Columbano receptas, eorumque mores, actus, totamque Monaſticam diſciplinam inſtituiſſe: Adeò ut ex æquo omnes ex S. Benedicti inſtituto vixiſſe videantur: Quam veritatem aſtruunt Matiſconenſis Concilii Patres, qui Luxovienſium Regulæ ſervandæ modum, ab Agreſtio improbatum; communi generalique ſententiâ ſtatuêre, ſummoque ſtudio propagavêre ſub nomine etiam communi, Regulæ dumtaxat Beatorum Benedicti & Columbani, aut, ut alii volunt, ſub ſolâ ſancti Benedicti normâ ad modum & conſuetudinem Luxovienſium Patrum ſervandâ, aut tandem omiſſis SS. Benedicti & Columbani nominibus ſub ſanctorum Patrum Regulâ, quam Sigeber-

tus Rex ſæculo ſeptimo communem fuiſſe omnium Galliæ Cœnobiorum Regulam poſuit.

His de inſtituto S. Columbani delibatis, ab ulteriori inquiſitione de Regulis in Galliis ſæculo ſeptimo ſervatis abſtinere poteram : Cùm enim ea quæ ſuprà laudavimus variorum Authorum Chartarumque teſtimonia de omnibus ferè Cœnobiis intelligenda videantur. Nullum eſt Aſceterium quod aliis Legiſlatorum inſtitutis poſſit adſcribi, niſi id manifeſtis indiciis oſtendatur : Quæ nulla eſſe ſubſequenti capite manifeſtabo.

CAPUT XII.

DE REGULIS SEPARATIM SERVATIS tam in Occidente quàm in Oriente ante ſæculum ſeptimum.

I. Recentiores quidam Authores Regulam S. Benedicti ſolâ ſui cum aliis Regulis unione dilatatam, dixerunt. II. Hos inter Doctiſſimus Thomaſſin Oratorii Presbyter Monachos omnes æquè omnibus Regulis obligatos cenſet, ac Clericos omnibus Conciliorum canonibus. III. Hæc poſita Monachorum & Clericorum comparatio, rationibus à S. Gregorio & à S. Bernardo petitis rejicitur. IV. Idipſum per Monaſticam Benedictinorum profeſſionem confirmatur. V. Nullus enim in Benedictinum aſſumitur, niſi alienas Regulas à Benedictinâ diſtinctas dimiſerit. VI. S. Gregorius de ſancto Benedicto perinde quaſi unicus eſſet Latinorum Monachorum Pater, loquitur. VII. Ejuſdem Regula eâdem ratione ab eodem Papa Monachorum Re-

gula antonomaſticè vocatur, & Bonifacius Papa IV. omnia conceſſa Monachis cenſet quæ per Benedictinam Regulam nõ prohibentur VIII. Hoc Bonifacii decretum, Latinos Monachos ſoli Benedictinæ Regulæ adſtrictos declarat. IX. Anteriores S. Benedicto Legiſlatores ſuas ſolas Regulas ſuis Monachis impoſuêre. X. S. Pachomii Monachi alienos Monachos nec ad colloquium admiſiſſe dicuntur; & eorum vivendi ratio, ab aliorum moribus tota diſtabat. XI. Idipſum etiam probatur de S. Baſilii inſtituto. XII. Ipſorum ſanctorum aliorumque Ordines à ſe invicem diſtincti florebant duodecimo ſæculo. XIII. Impoſſibilis novus ille omnium Monachorum unicus Ordo quo quiſque Monachus Regulis omnibus ligatus tenetur.

I. ANtequam ad Regulæ Benedictinæ, & Ordinis progreſsûs ulteriùs enarrandos accedam; operæ prætium eſt ut clariſſimis quibuſdam occurram Authoribus, qui nuperrimè ſcripſerunt: Regulam S. Benedicti ſolitariè ſumptam ante ſæculum octavum ſervatam non eſſe, & ſolius unionis illius cum aliis principalibus Regulis beneficio propagatam. Neque ullum ordinem ſeparatum ab aliis conſtituiſſe, ſed ad uſque ſæculum octavum, aut ut alii volunt undecimum, unicum fuiſſe omnium Monachorum Ordinem, & infimum, ut ita dicam; neque in alios plures diviſum.

II. Ex his ſcriptoribus unus, videlicet Ludovicus Thomaſſim Oratorii Presbyter ipſo nomine celeberrimus, ſcripſit Monachos omnes antiquitùs Legiſlatorum omnium Regulis eo modo obligatos fuiſſe quo Clerici omnes ad Conciliorum omnium Canones ſervandos adſtricti tenebantur. *Vt enim*, inquit Gallicè loquens, *nulla fuit ſuperioribus ſæculis inter Monachos inſtitutorum diverſitas, omnes quoque Monaſticæ Regulæ iiſdem Monachis communes*

Tom. 1. de diſcipl. Eccliſ. parte 2. cap. 37. n. 15. edit. 2.

erant ; eo prorſus modo quo omnium Conciliorum canones Clericis omnibus communes exiſtunt. Et iterùm infrà: conſequens putat ex eodem principio ſanctos Gregorium ejuſque diſcipulos, Auguſtinum ejuſque ſocios, Bedam alioſque plures, Benedictinos nominandos non eſſe: *Quia eorum temporibus*, inquit, *nondum abierat in morem ut Monachi inter ſe Regulæ cujuſque amplexu ſtudioque diſtinguerentur*, cum omnes Regulas ex æquo colerent. Quo loci oblitus videtur eorum quæ ibidem n. 12. ſcripſerat. Scilicet ex Bonifacio Papâ quarto, evidens eſſe ſæculi ſexti primordiis ex omnibus Legiſlatoribus ſolum ſanctum Benedictum in Italiâ in omnium Monachorum Patrem agnitum eſſe. Quâ de re fuſiùs infrà. Hæc interim viri doctiſſimi principia firmis rationibus convellenda propono.

III. Primò namque laudata comparatio Clericorum & Monachorum quantùm ad leges quibus tenentur, nullâ ſui parte conſiſtit: Siquidem non omnium Synodorum canones Clericos omnes obligant, ſed Diœceſanæ Diœceſanos, & ſic de cæteris, ſolæ generales Synodi omnibus Clericis imperant, nec eos addictos tenent niſi eædem admittantur ab omnibus Regnis, Rebus-publicis, Provinciis, Populiſque. Quantùm verò ad Monachos, nullæ invitis imponuntur Regulæ, ſed eâ tantùm quiſque tenetur quam libens acceperit, nulla Concilia, nulli ſummi Pontifices, Epiſcopi nulli, Regulas ullas unquam approbarunt quas ab omnibus totius Orbis Monachis ſuſcipiendas juberent. Sanctus Gregorius Papa, primus omnium Summorum Pontificum, & Epiſcoporum, generali decreto Benedictinam Regulam approbavit, & cuſtodiendam ſancivit. Sed nunquid ab omnibus? aut ab iis qui ſe aliis Regulis addixerant? minimè gentium; ſed ab iis qui deinceps ad vitam Monaſticam accederent. *Scripſi vitam B. Benedicti*, inquit, *& legi Regulam quam ipſe ſanctus manu propriâ ſcripſit, laudavi eam & confirmavi in ſanctâ Synodo & per diverſas partes Italiæ, & ubicumque Latinæ litteræ legerentur præcepi ut diligentiſſimè obſervarent quicumque ad converſionis gratiam acceſſuri eſſent uſ-*

que in finem mundi. Nam liberum eſt Summis Pontificibus ut Regulas in futurum ſervandas præfiniant, eaſque dicant quas amplectantur futuri Monachi, ſed jugum Monaſticum in profeſſione promiſſum, novæ Regulæ acceſſione premere nulli tentarunt. Utrùm verò novas Regulas antiquis Monachis imponere; aliorum eſto judicium. *Quiſque profeſſus in quovis genere ſalutiferæ vitæ,* inquit S. Bernardus lib. de præcepto & diſp. c. 5. *nec ultrà obedientiæ legem cogendus nec citrà eſt inhibendus quàm ſua ipſius videtur complecti profeſſio..... Prælati juſſio vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec ultrà extendi poteſt nec contrahi citrà. Nihil me Prælatus prohibeat horum quæ promiſi, nec plus exigat quam promiſi; vota mea nec augeat ſine meâ voluntate: nec minuat ſine certâ neceſſitate,* quo verò modo S. Gregorii decretum mandatum fuerit, quove modo receptum à Monachis & per Provincias dilatatum, dictum eſt ſuperiùs.

IV. At Benedictina profeſſio ad ſolam Benedictinam Regulam Monachos adigit, eaque ſola eis legenda mandatur antequam profeſſionem emittant. *Legatur ei Regula,* inquit S. Benedictus, *ut ſciat ad quid ingreditur, & ſi adhuc ſtat poſt quatuor menſes iterùm legatur ei hæc eadem Regula, & ſi habitâ ſecum deliberatione promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſervare: tunc ſuſcipiatur in Congregatione, ſciens lege Regulæ conſtitutum, quòd ei ex illâ die non liceat de Monaſterio egredi nec collum excutere de ſub jugo Regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit recuſare aut ſuſcipere.* Quantùm verò ad Profeſſionis formam, omnium Benedictinorum tam antiquorum quàm recentiorum his verbis concipitur. *Promitto ſtabilitatem & converſionem morum meorum & obedientiam ſecundùm Regulam ſancti Benedicti:* Non aliorum quorum-libet Legiſlatorum. Hac ſolâ Regulâ vixit S. Benedictus, ut ait ſanctus Gregorius his verbis. *Cujus ſi quis velit ſubtilius mores vitamque cognoſcere poteſt in câdem inſtitutione Regulæ, omnes Magiſterii illius actûs invenire: Quia ſanctus vir nullo modo potuit aliter docere quàm vixit.* Sub eâdem etiam vitæ Monaſticæ formâ con-

Reg. cap. 58.

Lib. 2. dial. c. 36.

verſati fuêre SS. Placidus, Maurus, cæterique ipſius diſcipuli, qui in eo tantùm ejuſdem Alumni dicendi videntur, quòd eiſdem legibus, eiſque ſolis vixêre.

V. Neque dicant Caſſinenſes Monachos à Benedictinis inſtitutis ad aliena defeciſſe, aut alienis Regulis Benedictinam conjunxiſſe, cùm ex oppoſito conſtet alterius profeſſionis Monaſteria non, niſi abdicatis prioribus inſtitutis, Benedictinæ Regulæ nomina dediſſe. *Experientiâ compertum eſt*, inquit Fundenſis Abbas in Epiſtolâ ad Simplicium tertium Caſſinenſem Abbatem, qui circa annum quingenteſimum quinquageſimum Valentiniano ſucceſſit, *multorum Rectorum mores, varias vivendi normas in Monaſteriis peperiſſe: hinc factum eſt ut jam omnia Monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ & aliarum Provinciarum Italiæ, certam & rectam Regulam vivendi quam ſanctiſſimus & Deo acceptus Benedictus Magiſter tuus inſtituit ſervare decreverint ut juxtà illam viventes, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinare præſumant.* Omnia ergo Monaſteria earumdem Provinciarum abdicatis prioribus inſtitutis Benedictinæ Regulæ immobiliter adhæſerunt. Quod præſtiterunt eo modo eiſque de cauſis, de quibus egimus ultimo prioris Diſſertationis capite: Hæc enim verba, *ut juxtà illam viventes nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinare præſumant*, indicant apertè alias omnes Regulas ab eis relictas eſſe, ut uni Benedictinæ totos ſe darent.

Apud Angelum de nuce in Caſſin. Chron.

VI. Sanctus Gregorius ſummus Pontifex qui proximus ad ſancti Benedicti diſcipulos acceſſit & libros Regum ante annum nonageſimum ſupra quingenteſimum dum adhuc Monachus eſſet compoſuit, ut quidam viri docti credidêre, de eodem ſanctiſſimo Patriarchâ tanquam de communi ſoloque omnium Latinorum Monachorum Patre loquitur. *Qui arctiſſimam converſationis viam imperant*, inquit, *noviter accedentibus facilè aditum non impendant: Quare & ejuſdem arctiſſimæ vitæ Magiſter optimus, Summæ veritatis diſcipulus eruditus præcipit dicens, probate Spiritus ſi ex Deo ſunt, & item, nuncientur ei omnia dura & aſpera per quæ itur ad Deum, ut ſciat ad quid intrat.*

Lib. 4. cap. 4.

trat. Quæ verba ſumpta ſunt ex Benedictinæ Reg. cap. 58. & palàm oſtendunt eam eorum eſſe propriam Regulam quibus exequenda proponitur, aliàs numquam nullo adjecto nomine laudaretur: neque ejus Author *arctiſſimæ vitæ Magiſter optimus & ſummæ Veritatis diſcipulus eruditus*, nullo alio deſignatus ex nomine diceretur, niſi hæc eadem verba inter eos haberentur, qui & Regulam & Regulæ ſcriptorem notiſſimos haberent, & eorum eſſent alumni. Qui enim modò multiplicatis Regulis ſic loqueretur, ſurdis omninò loqueretur, cùm ea verba à ſolis Benedictinis percipi poſſint, & ab aliis pauciſſimis qui ſancti Benedicti legendæ Regulæ vacare poſſunt: Quos ſanctus Gregorius non alloquitur, ſed Monachos omnes, eoſque præcipuè qui Monachis ad Profeſſionem admittendis præficiuntur. Utrùm verò ſanctus Gregorius aut quivis alius hos libros ediderit, nihil meâ refert inquirere: modò ea quæ ex ipſo laudavi, ejuſdem ætatis Authorem ſapiant, Monachorum enim inſtituti rationem indagamus, quam ſive à ſummo Pontifice, ſive ab Abbate & Monacho qualis erat laudatus Author, didicerimus, ſententiæ noſtræ ſemper favebit.

VII. Sanctus Gregorius eamdem veritatem iterùm loquitur cum jam ſummus Pontifex, loco ſuprà laudato ex Regiſtro, Monachum in Præpoſitum eligendum vetat quòd in Regulam Benedictinam peccaſſet. *Quod ex quantâ cordis amaritudine deſcenderit*, inquit, *tua poterit dilectio ſcire ſi Regulam Monachorum noſſe voluiſſet. Ex diſcipulo autem tuo cognovimus quia tu qui Abbas diceris adhuc eſſe Monachus neſcis.* Quo loci ex viro clariſſimo ſanctus Gregorius de ſancti Benedicti Regulâ loquitur. Id verò præſtat ſanctus Doctor non tanquam de Regulâ quæ unà cum pluribus aliis, in Lucuſiano Monaſterio ſervabatur, (eo enim caſu numquam Monachorum Regula ad aliarum diſtinctionem dicta fuiſſet) ſed tanquam de Regulâ antonomaſticè dictâ, ſeu quâ ſolâ tenebantur non modò Aſcetæ Lucuſiani, ſed & cæteri omnes qui eâdem tempeſtate per Italiam vigebant, ſine cujus obſer-

vatione eorum nullus, Monachus dici poterat, ut ipſemet ſanctus Gregorius ſupponit. Bonifacius Papa quartus in Concilio Romano, quod anno ſexto poſt obitum ſancti Gregorii coegiſſe novimus ad ſedandam ſævam illam & turbulentiſſimam tempeſtatem in Monachos de Sacramentorum adminiſtratione commotam, eamdem opinionem noſtram adeò clarè tuetur, ut vir doctiſſimus ultrò concedat, iiſdem temporibus ſanctum Benedictum unicum fuiſſe apud Italos omnium Monachorum Legiſlatorem. Cum enim ſummus Pontifex in eodem Concilio ex omnium Patrum ſententiâ ſanciverit *à Sacerdotibus Monachis ligandi ſolvendique Officium Deo operante haud indignè adminiſtrari, modò eos dignè contigerit ad hoc Miniſterium ſublimari.* Idque definiſſe conſtat *quia ſanctus Benedictus Monachorum præceptor almificus hujuſce rei aliquo modo non fuit interdictor:* Conſequens eſt eodem tempore, Monachorum mores, officia, facultates ſolis Benedictinis legibus nullâ aliarum Regularum habitâ ratione fuiſſe metienda.

VIII. His addo quod ſi ejuſdem ſummi Pontificis ætate Monachi omnes Romani, Galli, Hiſpani, & Angli, omnibus Regulis dediti fuiſſent, neceſſariò eis inhibenda fuiſſet Sacramentorum adminiſtratio, nec ſancti Benedicti negativa conceſſio, ſeu non prohibitio, eam licuiſſe probaſſet: Cùm ex ſancti Pachomii vitâ diſcamus eum *paſſum non eſſe, inter ſuos diſcipulos eſſe quemquam qui Clericatûs officio fungeretur.* Quod enim poſitivè damnatur ab uno Legiſlatore, alterius ſilentio licitum non fit; Quantùm ad eos qui eorumdem Legiſlatorum placitis pariter obligantur. Quæ conſequentia pariter involvit Monachos Italos, Gallos, Hiſpanos & Anglos in quorum gratiam Bonifacianum decretum conditum fuit, ut dilucidè loqui videtur ipſius decreti conditor Bonifacius in Epiſtolâ quam ad Athelbertum Anglorum Regem ſecundùm Holſtenium ex eodem Concilio miſit: Hortatur enim eumdem Regem, ut Monachos primis Anglorum Apoſtolis in ſancti Salvatoris Monaſterio ve-

lit allegare. *Quapropter*, inquit. *glorioſe Fili quod ab Apoſtoli.â ſede per Coepiſcopum noſtrum Mellitum poſtulaſtis, libenti animo concedimus. Id eſt ut veſtra benignitas in Monaſterio in Dorobernenſi Civitate conſtituto, quod ſanctus Doctor veſter Auguſtinus beatæ memoriæ Gregorii diſcipulus ſancti Salvatoris nomini conſecravit, cui ad præſens præeſſe dignoſcitur dilectiſſimus Frater noſter Laurentius, licenter per omnia Monachorum regulariter viventium habitationem ſtatuat. Apoſtolicâ authoritate decernentes, ut ipſi veſtræ ſalutis Prædicatores Monachi Monachorum gregem ſibi aſſocient, & eorum vitam ſanctam, tum moribus exornent.* Quibus ultimis verbis decernit ſummus Pontifex juxta mentem Synodi Romanæ, ut Monachi Anglorum Apoſtoli Monachos alios ad reliquam Angliam ad fidem vocandam in ſuam ſocietatem admittant, non modò quantùm ad cohabitationem in ipſo Dorobernenſi Monaſterio ſeu Metropolitanâ Cantuarienſi Eccleſiâ, ſed etiam in prædicationis officio. Idipſum firmatur auctoritate Bedæ qui lib. 2. cap. 4. hiſtoriæ Angl. teſtatur Bonifacium Mellito Epiſcopo Lundinenſi, qui laudato Concilio interfuit, juſſiſſe ut hoc ipſum de quiete Monachorum decretum ſecum in Angliam deferret & obſervandum mandaret, ut potè quod pro ipſis potiſſimùm ſcriptum fuerat.

IX. Anteriores ſancto Benedicto Monachorum Legiſlatores ſuis quoque legibus vixêre non alienis, quas nunquam ſuis impoſuêre diſcipulis, à quibus ſuas tantùm Regulas legendas voluêre. Sancti Antonii diſcipuli ſui ſolius Magiſtri Decreta ſervabant, cum nullus ei ſuperior Legiſlator extaret: SS. Serapio, Macarius, &c. in ſuâ Regulâ jubent, *ut is qui præeſt Pater magno ſtudio Regulam teneat, eamque doceat cæteros. Cùm reſideremus in unum:* inquiunt Patres qui Regulam, Patrum vocatam, ſcripſerunt ſecundùm traditionem Patrum Sanctorum virorum, *viſum eſt nobis conſcribere vel Regulam ordinare quæ in Monaſterio teneatur.* Tertia Regula Patrum præcipit *ut ſi quis de ſæculo in Monaſterio converti voluerit Regula ei in-*

troeunti legatur, & omnes actûs Monaſterii illi pateſiant. Uno verbo nullum fuiſſe Legiſlatorem novimus qui alienas Regulas, ſuos diſcipulos docuerit, aut eas obſervari mandaverit.

X. Sanctus Pachomius ſanctorum Patrum Regulas adeò à ſuis alumnis ignorari voluit, ut aliorum Monachorum conſortium ab eis voluerit evitari. *Scriptum autem erat in tabulâ*, inquit Palladius, *ſi venerit hoſpes alterius Monaſterii quod habet aliam formam, cum eis nec comedat, nec bibat, & nec ingrediatur Monaſterium, niſi fuerit inventus in viâ.* Quo caſu in hoſpitio quidem admittebatur, ſed minimè ad colloquium cum ſancti Pachomii diſcipulis habendum. Adeóque diviſi erant & ab aliis omnibus Monachis diſtincti, ut ſpecialem ordinem Pachomius inſtituiſſe videatur, non ſolùm quantùm ad veſtimentorum formam, verùm etiam quantùm ad Monaſticam vivendi rationem propter quam habitum mutavit. *Fertur enim*, inquit Sozomenus, *eos* (Sancti Pachomii Monachos) *indumenta alia, quàm quibus Monachi Ægypti uti ſolebant, ſibi comparaſſe, quo ſpecimen darent ſeverioris cujuſdam vivendi diſciplinæ : Neque tamen temerè & inconſulto à cæterorum Monachorum habitu variaſſe*, quin immò iis qui vigent Ordinibus, eam communem vivendi formam quam modò tenent (meo quidem judicio) S. Pachomius tradidit communes ſcilicet omnium Monachorum leges, ſocietatem communem, & ſub uno ſummo omnium moderatore ſummiſſionem ; *Sunt autem hæc Monaſteria*, inquit Palladius loco ſuprà laudato, *quæ formam hanc obtinuerunt habentia virorum circiter ſeptem millia, eſt autem primum & magnum Monaſterium in quo ipſe habitat B. Pachomius, quod alia peperit Monaſteria continens numerum circiter mille quadringentorum virorum.* Id apertius enarrat Sozomenus. *His legibus vitam inſtituentes*, inquit Sozomenus, *ſunt maximam famæ celebritatem conſecuti, eorumque ita crevit multitudo ut viri ad ſeptem millia unà ætatem traducerent, nam Conventus eorum qui Inſulam Tabennam incolebant, quibuſcum vixit Pachomius circiter mille trecentos numero habebat : Cæteri autem in*

In Lauſiana cap. 35.

Lib. 3. cap. 13.

Thebaïde & Ægypto habitabant. Vna, inquit, *eſt vivendi ratio ac diſciplina omnibus, & omnia omnibus communia. Conventum autem qui eſt in Tabennâ Inſulâ, Matris loco ducunt, & qui illis præſunt, Patres & Principes arbitrantur.* Nullaque major mihi videtur Monaſteriorum quæ modò ſub variis Ordinibus degunt connexio, neque major inter eorumdem Ordinum leges communis convenientia: licèt quidam Ordines reperiantur qui multò minorem Monachorum numerum habeant.

XI. Sancti Baſilii inſtitutum quod totam Cappadociam occupavit magnum nobis Ordinem exhibet legibus ab omnibus aliis differentem. *Tui ſanè ſit officii*, inquit Ruffinus Urſeium Abbatem alloquens, *etiam aliis Monaſteriis, inſtitutorum ſancti Baſilii, exemplaria præbere ut ſecundum inſtar Capadociæ omnia Monaſteria eiſdem & non diverſis vel inſtitutis, vel obſervationibus vivant.* Hanc Monaſteriorum ſuorum communionem ſanctus Baſilius impensè foveri voluit, in eamque rem Monaſteriorum Præfectos pios juſſit celebrare conventûs in quibus de iis rebus quæ ſpectant ad diſciplinam Regularem fovendam aut promovendam ſeriò tractarent. *Operæ pretium eſt*, inquit, *ſi ſtatis interdum quibuſdam temporibus, certiſque locis conſeſſus celebretur, eorum qui Fratrum conventibus præſunt: in quibus videlicet cùm de rebus iis quæ ſibi præter rationem acciderint: tum de difficilibus etiam ad tractandum naturis aut moribus, & quomodo in ſingulis moderandis ſe geſſerint, viciſſim inter ſe communicent, & conferant*, &c. quibus nihil magis ad Capitulorum Generalium rationem & ſimilitudinem accedit.

XII. Hæc eadem antiquorum Monaſticorum Ordinum ab invicem totalis ſeparatio ad ſæculum duodecimum uſque ex Anſelmo Havekbergenſi perfecta duravit. *In Orientali Eccleſiâ*, inquit, *apud Græcos & Armenos & Syros diverſa ſunt genera Religioſorum, qui in unâ quidem fide Catholicâ concordant: ac tamen in moribus, in Ordine, in habitu, in victu, in officio pſallendi non parum ab invicem diſcrepant. Ego cum eſſem in urbe Regiâ Conſtantinopoli, Apocryſarius Lotharii magni & Chriſtianiſſimi* Tom. 13. Spicil. p. 113. & 114.

Romani Imperatoris ad Kalojoannem ..... & eſſem avidus explorator & diligens inquiſitor diverſarum Religionum, vidi multos Ordines Chriſtianæ Religionis, in Monaſterio quod vocatur Pantocraton, id eſt omnitenentes; Vidi ſeptingentos fermè Monachos ſub Regulâ S. Antonii militantes in Monaſterio quod dicitur Philoantropon, ideſt amantes hominum; Vidi non minus quingentos ſub Regulâ B. Pachomii militantes; Vidi & quamplures Congregationes ſub Regulâ B. Baſilii, &c. Tum ſubdit idem Auctor. *Porrò hæc omnia* (quæ nempè dicta ſunt de Ordinibus SS. Auguſtini, Ruffi, Norberti, Benedicti, Romualdi, Vallis umbroſæ, Ciſtercienſis, Militum Templi & Orientalium Monachorum) *tàm Divina, tàm ſancta, tàm bona in diverſis temporibus & in diverſis hominibus operatur unus atque idem ſpiritus dividens ſingulis proüt vult.* In his porrò omnibus Monachorum Ordinibus non idem vivendi modus, nulla diverſarum Regularum conjunctio, & quaſi nulla inter eorumdem Ordinum ſocietas & communicatio præter eam, quæ omnes Chriſtianos laïcos, Clericos, & Monachos in unum cogit. Eodem modo Acœmetas à cæteris Ordine diverſos fuiſſe, probatu mihi facillimum videtur.

XIII. Cæterùm inutilis prorſus videtur illa tantopere quæſita Monaſticorum Ordinum diſtinctio aut confuſio; cùm enim Regulas ſeparatim ſervatas fuiſſe certiſſimum ſit, variiſque formis, legibus, inſtitutis, Monachos à ſe invicem diviſos fuiſſe ex ſuperioribus conſtet: Quid quæſo illa nobis confert meditata de confundendis Ordinibus diſputatio, niſi fortè Legiſlatores honore ſibi debito privare velimus? Sed veritas ſuperiùs elucidata ſingulorumque Monachorum ad ſingulas Regulas addictio, ſuos tandem cuique Monachorum Patriarchæ diſcipulos reſtituit, & varios olim Ordines fuiſſe, ſeu Monachorum ſub variis Regulis ſocietates, manifeſtiſſimum facit. Dubito tamen an non ego ipſe fruſtrà ſuperiùs laboraverim cum ad tollendam illam Legiſlatorum & Ordinum omnium in unum quemdam generalem Ordinem, confuſionem, tot authoritates voluerim adducere: Cum hac ſolâ

ratione, difficultas omnis uno, ut ita dicam, verbo ſolvi potuerit, nempè quòd impoſſibilis ſit illa Regularum omnium excogitata communio. Aliæ namque Regulæ eſum Carnium prohibent, concedunt aliæ; Quædam jejunia multa Monachis imperant, pauca cæteræ; Iſtæ Monachos à Sacerdotio removent, illæ verò ad Sacerdotium admittendos rationi congruum putant; ex quibuſdam Regulis, uniformis, æqualiſque rationis & ponderis victus conceditur, iiſdem temporibus ſumendus præſcribitur; ex aliis verò juxtà vires ſuas edere licet & bibere; neque comedere modeſtè neque jejunare, neque ut diverſis veſcantur temporibus prohibetur. Quantùm verò ad Officia Divina pertinet, varia fuêre mandata, variiſque modis & temporibus celebranda, quorum diverſitas definiri non poteſt. Quis verò Monachorum omnium qui ſunt, qui fuerunt, quique futuri ſunt hæc omnia poterit obſervare, aut potuit?

Quamobrem alio longè diverſo ſenſu quàm multi putant, intelligendus eſt textus ex Gregorio Turonenſi in vitâ ſancti Aredii laudatus, qui ſic ſe habet. *Monaſterium fundavit S. Aredius in quo non modò Caſſiani, verùm Baſilii & reliquorum Abbatum qui Monaſterialem vitam inſtituerunt* Regulæ celebrantur. Quibus verbis id ſolùm voluit S. Gregorius quòd in Aredii Monaſterio Regulæ Patrum omnium in ſolitis Monaſterii *ſecum* Collationibus legerentur; aut ad ſummum quòd unam ex aliis omnibus compoſitam Regulam ſequerentur Aredii diſcipuli: Quod quia præter cæterorum Monachorum morem faciebant, idipſum annotandum Gregorius putavit. Cæterùm cum à veritate alienum videatur quod omnes ſimul Regulas Monachi ſervare poſſint, à veritate quoque longiùs recedet qui dixerit S. Aredium omnes SS. Patrum Regulas ſuis impoſuiſſe diſcipulis, cum ipſas ab iiſdem Monachis obſervari ſit impoſſibile. Utrùm verò à ſæculo ſeptimo in Galliis Regulæ SS. Macharii, Baſilii & Columbani, cum S. Benedicti Regulâ ſimul ſervatæ fuerint, infrà ſpeciali capite diſquiretur.

CAPUT XIII.

VARII FUERE MONACHORUM ORDINES ante ſæculum ſeptimum à quibus omnibus Benedictinus fuit ſeparatus.

I. Varios fuiſſe antiquorum Monachorum Ordines iterùm probatur. II. In quo conveniant & in quo diſconveniant ſeu differant Ordines omnes ex S Thoma oſtenditur. III. Ex principiis S. Thomæ ſequitur multos fuiſſe Monachorum Ordines ante Caſſiani tempora. IV. Iiſdem mediis Ordines antiquorum ſtatuuntur quibus recentiores potuiſſe conſtitui S. Thomas probavit. V. Monachi Clerici apud antiquos Monachos. VI. Regula ſancti Benedicti ſeparatim ſervata fuit VII. Peculiarem & ab alio quocumque diſtinctum Ordinem conſtituit: hoc ipſum diffuſius probatur. VIII. Ea veritas inductione probatur, eſt enim Cœnobiticus, & Anachoreticum ordinem complectitur, & inductione confirmatur. IX. Benedictinorum, alii verbi Dei præcones & plurium Nationum Apoſtoli. X. Alii inter Clericos Benedictinos Regulares ponuntur. XI. Plura Monaſteria ex inſtituto litteras docent. XII. Captivos redimunt. XIII. Profitentur hoſpitalitatem. XIV. *Nunquam tamen oſtiatim mendicavêre ſed prædiorum defectum labore manuum compenſaverunt* XV. *Plures Ordines militares ſecundùm Regulam S. Benedicti inſtituti fuerunt.* XVI. *Ordo tandem*

Benedictinus

Benedictinus ab aliis omnibus differt qui pluribus votis aſtringuntur. XVII. *Eo aſtringebantur etiam Monachi qui in Benedictinos Aſciſci volebant.* XVIII. *Ordo ſancti Benedicti eo nomine donatur à Deo apud Fauſtum, Zachariam Papam, & Leonem Oſtienſem.* XIX. *Is Ordo longè multò ante Zachariæ Pontificatum longè latéque invaluerat.* XX. *SS. Maurus & Placidus Ordinem S. Benedicti laudavêre.* XXI. *Idem præſtitêre Amalarius & Lupus Ferrarienſis.* XXII. *Tum etiam formulæ Baluzianæ.* XXIII. *Sæculo decimo & poſterioribus temporibus varii Ordines apud Benedictinos florere cæperunt. Ordo S. Benedicti in varios multiplicatur.* XXIV. *Quo ſenſu tres tantùm Ordines in Eccleſiâ ponuntur, ſcilicet Clericorum, Monachorum & Laïcorum.*

I. CUM ex dictis ſuperiori capite non uno eodemque vitæ genere Monachos omnes antiquitùs floruiſſe videamus, eoſdemque adeò inter ſe diſtinctos fuiſſe, ut qui inſtituta S. Baſilii coluêre à S. Pachomii aliorumque ſanctorum Patrum Regulis multùm abfuerint: Et iſtorum viciſſim diſcipuli S. Baſilii vivendi modum non fuerint amplexi, nullo modo neceſſarium eſt ut fuſiorem de Monaſticis Ordinibus diſputationem aggrediar, & inquiram iterùm utrùm unicus tantùm Monachorum omnium fuerit Ordo, an multiplex, cum ex Regulis diviſim ſervatis appareat non unam eamdemque omnium Monachorum fuiſſe vivendi rationem; & ex allatis authoritatibus pateat varia quoque fuiſſe Monachorum inſtituta; & conſequenter diverſos Ordines jam olim apud Monachos viguiſſe: Attamen ut cumulatiſſimè Adverſariis ſatisfaciam, plures fuiſſe Monaſticos Ordines iterum ex inſtituto probabo.

II. Certum apud omnes habetur Religiones omnes, ſeu omnium Religionum Ordines hoc habere commune quod ad vota obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis omnes Religioſi ſe ſe pariter aſtringant. *Hoc eſt commune in omni Religione*, inquit S. Thomas *quòd aliqui totaliter ſe debent præbere ad ſerviendum Deo* per tria ſcilicet ſubſtantialia vota. *Unde ex hac parte non eſt diverſitas inter Religiones.* Ubi ſumit ſanctiſſimus doctor Religionem pro quocumque Monachorum Ordine. Ab invicem verò differunt vel ratione finis per quem ad perfectionem Charitatis aſcendunt, vel ratione cujuſque Religionis exercitiorum, ut habetur apud eumdem Auctorem eodem loci. *Religiones diſtingui poſſunt dupliciter, uno modo ſecundùm diverſitatem eorum ad quæ ordinantur: Sicut ſi una Religio ordinetur ad peregrinos hoſpitio ſuſcipiendos, & alia ad viſitandos vel redimendos captivos: Alio modo poteſt eſſe diverſitas Religionum ſecundùm diverſitatem exercitiorum, puta quod in unâ Religione caſtigatur Corpus per abſtinentiam Ciborum, in aliâ per exercitium operum manualium, vel per nuditatem aut aliquid hujuſmodi.*

2. 2. q. 188. art. 1.

III. Ex his principiis à S. Thomâ laudatis negari non poteſt non modò à quingentis annis ſed etiam à primis Monachorum temporibus varias & à ſe invicem diverſas datas eſſe Religiones, ſeu Monachorum ſocietates, cum ex Caſſiano diſcamus primâ Monachorum ætate datos eſſe plures Aſcetas qui ex inſtituti ſui ratione peregrinis ſuſcipiendis vacarent; qui foverent ægrotos; qui captivos redimerent; qui Eremum incolerent, &c. *Quidam*, inquit laudatus Auctor, *ſummam intentionis ſuæ erga Eremi ſecreta, & cordis conſtituunt puritatem, ut in præteritis Heliam & Heliſæum: Noſtriſque temporibus B. Antonium alioſque ejuſdem propoſiti ſectatores familiariſſimè Deo per ſilentium ſolitudinis cohæſiſſe cognoſcimus: Quidam ergà inſtitutionem Fratrum & pervigilem Cœnobiorum curam, omnem ſtudii ſui ſollicitudinem ſuam dederunt, ut nuper Abbatem Ioannem qui in vicinia civitatis, cui nomen eſt Thivis, grandi Concilio præfuit, ac nonnullos ejuſdem meriti viros Apoſtolicos etiam ſignis claruiſſe meminimus: Quoſ-*

dam Xenodochii & ſuſceptionis pium delectat obſequium,per quod etiam in præteritis Abraham Patriarcham & Loth Domino placuiſſe ſcimus; & nuper B. Macharium ſingularis manſuetudinis & patientiæ virum qui Xenodochiis ita apud Alexandriam præfuit, ut nulli eorum qui ſolitudinis ſecreta ſectati ſunt inferior ſit credendus; Quidam eligentes ægrotantium curam; alii interceſſionem quæ pro miſeris atque oppreſſis impenditur, exequentes; aut doctrinæ inſtantes; aut eleemoſinam pauperibus largientes, inter magnos ac ſummos viros pro affectu ſuo ac pietate viguerunt. Quò loci varii enumerantur Monachorum tùm contemplativæ tùm activæ vitæ deditorum Ordines: Anachoritarum ſcilicet, Cœnobitarum ſeu in commune viventium, qui ſibi ſoli Deoque ſerviunt: Eorum etiam qui in proximorum ſublevandis infirmitatibus laborant, aut in iis inſtruendis verſantur, quique tandem in activæ vitæ laboribus variis, duriſque modis verſantur.

IV. Ex allatâ Caſſiani auctoritate varios veroſque Monachorum Ordines deſignatos eſſe S. Thomas loco ſuprà laudato cenſuit, & ex his antiquis Ordinibus ſeu Religionibus concludit: Quòd *ſicut ad ægrotantium curam aliqua Religio poteſt inſtitui, ità etiam ad docendum populum per prædicationem, & alia hujuſmodi opera. Sed contrà eſt*, inquit, *quod in collationibus Patrum Abbas Neſteros de diverſitate Religionum loquens ait. Quidam eligentes ægrotantium curam; alii interceſſionem quæ pro miſeris atque oppreſſis impenditur,* &c. ut ſuprà, quibus deſcriptis ſic infert. *Ergo ſicut ad ægrotantium curam aliqua Religio poteſt inſtitui, ita etiam ad docendum populum per prædicationem.* Cum ergo ex S. Thomâ Caſſianus viderit & agnoverit Religionum diverſitatem, neceſſe eſt ut fateamur ſecundùm utrumque Authorem, diverſarum Religionum, Ordinum & inſtitutorum Aſcetas Caſſiano ſuperiores repertos eſſe. *2. 2. q. 188. art. 4. ſed contrà.*

V. Præter iſtos à Caſſiano enumeratos Ordines, alterum etiam celeberrimum qui iiſdem temporibus floruerit reperire poſſumus, modò in conſtituendis Ordinibus recentiorum more velimus agere, & eos qui ex ſuæ Pro-

feſſionis ratione Clericorum exercitiis deputantur, inſtituto à veris Monachis poſſimus diſtinguere. Scribit enim Sozomenus lib. 8. hiſtoriæ ſuæ cap. 17. in ſuburbano Chalcedonis jam aliàs ædificatam fuiſſe Eccleſiam maximam. *Quam Ruffinus*, inquit, *in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſtruxerat, & Apoſtolæum ob id cognominarat, Monachos quoque juxta eam collocavit qui Clericorum in eâ Eccleſiâ munus explerent.* Cum verò iidem Monachi ad inſtituti ſui propagationem & continuanda in eodem Templo Clericorum officia alumnos ſuſceperint, eoſdem eorum diſcipulos ad Clericatum aſſumptos diffiteri non poſſumus; eâdemque ratione ſi Clerici Regulares Ordinem à Monachis diſtinctum, aut inter Monaſticos Ordines ab aliis diverſum conſtituiſſe videntur: Nullo modo negari poteſt plures antiquitùs Religioſorum Ordines extitiſſe.

Hanc verò Monachorum aut, ſi mavis, Clericorum Regularium cœtum latè diffuſum fuiſſe multi dixerunt quos inter nominatur Valeſius, qui in notis ad eumdem locum ſuprà laudatum hæc habet. *Nemo ut novum mirari debet quòd Monachi in Eccleſiâ Clericorum munus obiiſſe dicuntur: Id enim eo tempore uſitatum fuit, ut ex Ambroſio diſcimus in laudatione Euſebii Vercellenſis Epiſcopi, & ex Poſſidio in vitâ Beati Auguſtini, ubi dicit eum Monachos intrà Eccleſiam inſtituiſſe.* Idipſum pluribus aliis exemplis probari poſſet, ſed pro tempore ſatis, intereà ad S. Benedictum veniamus.

VI. Sanctum Benedictum peculiarem Regulam ſcripſiſſe, & ſecundùm eam vixiſſe ex S. Gregorio vidimus; ex Abbate verò Fundenſi, ex eodem S. Gregorio & ex Bonifacio quarto eamdem Regulam ſolitariè ſumptam ſervatam fuiſſe ab Italis, Gallis, Hiſpanis & Anglis Monachis didicimus, & conſequenter eumdem Benedictum Legiſlatorem alumnos ſibi ſpecialiter addictos habuiſſe ignorare non poſſumus. Nunc inquirendum ſupereſt utrùm hæc eadem Regula ab aliis ſejuncta ſpecialem conſtituerit Ordinem. Propoſitionem affirmativam amplector, eamque ſequenti ſyllogiſmo propugno.

VII. Illa Regula, illudque Monaſticum inſtitutum

quod aliorum omnium aut penè omnium Ordinum cùm antiquorum, tum recentiorum, ſigillatim & diſtributivè ſumptorum, ſingulares differentias complectitur; diverſum à ſingulis Ordinibus ſingulatim & diſtributivè ſumptis Ordinem conſtituit: Atqui Benedictinum inſtitutum, omnium aut penè omnium, cùm antiquorum tum recentiorum Ordinum ſigillatim & diſtributivè ſumptorum ſingulares differentias complectitur: Ergo diverſum ab alio quocumque conſtituit Ordinem. Major patet. Cum enim ſinguli Ordines ab invicem ponantur eſſentialiter diſtincti; is Ordo, qui eorum omnium aut penè omnium ſingulatim ac diſtributivè ſumptorum ſingulares differentias collectim continet, ab eorum ſingulis eſſentialibus differentiis diſtat. Nam cum nulla pars totum adæquet, omnem ſui partem diſtributivè, ut loquuntur, ſumptam, collectio per exceſſum ſuperat, & ab eâ recedit. Ad inſtar ferè rerum naturalium. Ut enim homo qui *habet eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis*, ut ait ſanctus Gregorius homiliâ 20. in Evangelia: ab his tamen omnibus diverſus manet ſic & generalis, ut ita dicam, Benedictinus Ordo ſub unâ eademque Regulâ, varios Ordines, ſeu ſpecialia & ab invicem diverſa vivendi inſtituta, ſub ſe complectitur & in unũ cogit & ab iis quoque diſtinguitur. Minor in quâ tota propoſitionis difficultas verſatur, probatur authoritate ſancti Gregorii Papæ, ſecundùm quem *ſanctus Benedictus omnium juſtorum* [Legiſlatorum ſcilicet] *ſpiritu plenus* dicitur. Quo poſito ſic arguo. Illud inſtitutum quod eodem ſpiritu conditum fuit quo ſinguli Legiſlatores ſuas Regulas ſcripſerunt, & ſua inſtituta condiderunt, omnium Ordinum, &c. continet differentias, at ſancti Benedicti inſtitutum eodem ſpiritu conditum fuit quo ſinguli Legiſlatores ſuas Regulas ſcripſerunt, & inſtituta condiderunt: Ergo inſtitutum Benedictinum omnium aliorum continet differentias. Minor eſt Urbani octavi, in Bullâ ad Moniales Xantonenſes, ubi ex eo quod ſanctus Benedictus omnium juſtorum ſpiritu plenus fuerit, manifeſtum exiſtimat ſpirituales gratias, quæ alios Ordines ſanctificant va-

rietate incomprehenſibili,unam partem conſtituêre *pleni-tudinis earum quæ Ordini* Benedictino *communicantur. Quidquid in vitâ ſanctorum mirabile eſt,* inquit, *quidquid altum ſub lumine fidei ad veſtram vocationem pertinet: Spirituales gratiæ quæ alios Ordines ſanctificant varietate incomprehenſibilis earum diviſionis, unam partem conſtituunt plenitudinis earum quæ Ordini veſtro communicantur: Quandoquidem illius Inſtitutor plenus erat ſpiritu omnium juſtorum:* Hoc enim habet Benedictina Regula ſingulare, quòd cum aliæ ſint ad ſpeciale quoddam inſtitutum determinatæ, ea omnium capax ex ſeipsâ eſſe videatur; non quidem eo modo quo S. Auguſtini Regula quæ cum tota ſit hortatoria tantùm Epiſtola ad ſororem,cæteraſque mulieres ad vitam communem inſtituendam, Monachis,Religioſis, Clericis,aut à S. Auguſtino, aut ab aliis in Regulam conceſſa fuit; immò & pluribus etiam, & à ſe-invicem diverſis inſtitutis eo magis multis viſa eſt congruere, quod ſuâ generalitate nullum excluſit, & ad eorum nullum vitæ genus præ aliis videatur impellere. At ſanctus Benedictus licèt vitam quamdam communem Cœnobiticam, contemplativam ſimul & activam complectentem conſtituiſſe dicatur: Attamen ita utramque vitæ rationem definit, ut cæteris omnibus inſtitutis ipſa,latâ lege communi,occaſionem dediſſe, aut quodammodo eadem peperiſſe dici potuerit. *Otioſitas inimica eſt animæ,* inquit, *& ideò certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione Divinâ: Ideoque hac diſpoſitione credimus utraque tempora ordinari.* Cum verò de genere laboris, aut de naturâ orationis nihil definiat: Indè factum videmus ut varii Legiſlatoris noſtri diſcipuli pro vario Sancti ſpiritûs impulſu, diverſa activæ aut contemplativæ vitæ genera fuerint amplexi: Spiritum ſancti Benedicti (ut ipſi exiſtimavêre) ſequuti; qui opus manuum, mixtum lectione Divinâ, eo tantùm fine voluit aſſumi, ut otioſitatem Animæ inimicam devitarent; ut Petrus venerabilis Epiſtola 28. lib. 1. authoritateRegulæ, & S. Mauri exemplo contra Ciſtercenſes diſputans, opinatur. Quapropter Camaldulenſes, Car-

Regul. cap. 48.

thuſiani, cæterique eorum imitatores, ſe ſancti Benedicti Regulam ſequutos dixere: Qui verò ſe totos vitæ activæ dedêre, eumdem Legiſlatorem etiam habuiſſe certâ ratione dixerunt: Eorum enim omnium ſe Patrem & Patriarcham exhibuit, tam lege Regulæ quàm actis ipſius, cum ſe ſolitarium geſſerit pluribus annis, & per reliquum vitæ, Cœnobiticum egerit, & vitam activam pariter & contemplativam duxerit, cum cæteroqui nullum vitæ genus à Benedictinis fuerit aſſumptum quod diurnam actionum Monaſticarum à S. Benedicto imperatam partitionem non habuerit: licèt id contigerit cum inæqualitate quadam pro cujuſque inſtituti ratione. Quæ ſi vellem per ſingula definire, Regulæ Benedictinæ interpretem agere neceſſe foret. His ergo omiſſis quæ longiorem ſermonem exigunt, exemplis propoſitionem firmemus.

VIII. Itaque ab authoritate ad rationem tranſeamus & Benedictinum Ordinem omnes aliorum differentias concludere exemplis probemus, eum enim Cœnobiticum eſſe inficiatur nemo; Monachos verò Anachoreſi deditos, immo & numeroſiſſimas Congregationes ſolitariam vitam ſectantes habuiſſe probant Camaldulenſes, quorum inſtitutum, eremiticum totum videtur, Monaſteria tamen habent bipartita, ut ità dicam, quorum pars una Cœnobitica eſt, conſtans Regularibus locis; cellulis altera pro ſolitariis, *qui poſtquam Monaſterii diuturnâ probatione didicerint contra Diabolum multorum ſolatio jam docti pugnare*, ut ait S. Benedictus, ad ſeparatas cellulas avolant, liberiùs Deò vacaturi. Eodem etiam modo ſe habet Monaſterium Montiſſerrati uti videre eſt apud Yepezium in Ordinis Benedictini Chronico. Voſagenſis eremi ſolitudo multos complexa eſt alios Benedictinos ſolitarios, ut habetur in vitâ S. Pauli Virdunenſis Epiſcopi tom. 2. actorum Bened. quo loco plura enumerantur Monaſteria in eâdem eremo fundata. S. Petrus Damianus, ejuſque diſcipuli Eremum coluêre, idque ſe ſuoſque ex inſtituto ſancti Benedicti agere multis probavit Epiſtola 12.

IX. Sanctus ipſe Benedictus Concionatoribus & Nationum Apoſtolis exemplum ſe, ſuoſque ſpeciales alumnos dedit, qui apud Caſſinum *commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ vocavit*, ut ait S. Gregorius; qui Anglorum Apoſtolus vocatus eſt; qui cum Pontificio munere impeditus non poſſet per ſeipſum eos adire, ſuos in Anglorum prædicatione & converſione diſcipulos ſubſtituit; qui & ipſi Benedictini Angliam totam Chriſtianam fecêre: quorum labores tanti fecit Bonifacius quartus ſummus Pontifex, ut in Epiſtolâ ad Athelbertum Anglorum Regem decreverit, *ut ipſi ſalutis Regiæ prædicatores Monachi, Monachorum gregem ſibi aſſociarent & eorum vitam ſanctam moribus exornarent, ut ſcilicet ad inſtar eorum Anglos inſtruerent ſolitis prædicationibus.* Taceo ſanctos Villebrodum, Bonifacium, alioſque innumeros Germanorum, Danorum, Suecorum, aliarumque Nationum Apoſtolos, de quibus Mabillonius in Præfationibus actorum ſæpius egit: Cum eæ ipſæ Nationes Benedictinos in ſuos Apoſtolos agnoſcant & plura apud ipſas Monaſteria & Epiſcopatûs in Prædicatorum ſeminaria conſtructa fuiſſe fateantur.

Lib. 2. Dialog. c. 8.

X. Habuit etiam is ipſe Ordo Canonicos Regulares qui varios Epiſcopatûs incoluêre, & Cathedrales Eccleſias occupavêre, videlicet in Angliâ Cantuarienſem, Eboracenſem, Lindisfarnenſem, Haguſtaldenſem, Dunemenſem, Vintonienſem, Norvicenſem, Roffenſem, & Elienſem. In Germaniâ verò, Frigiſenſem, Salzburgenſem, Trajectenſem ad Rhenum, Eiſtetenſem, Vvirziburgenſem, Bremenſem, Ratiſponenſem, Magadaburgenſem, & Mimigardefordenſem. De quibus conſulas velim ſæpè laudatum Mabillonium in Præfat. 1. partis Sæculi 3. Benedictini toto. §. Tertio.

XI. Quidam ordines habentur qui ad litteras docendas inſtituti fuêre, iique ab Ordine Benedictino exempla publicè privatimque docendi ſuſcepiſſe videntur. Nam S. Benedictus id feciſſe dicitur, & ejus diſcipuli ad ejus imitationem Scholas habuêre, internas & ſpeciales pro Monachis; & externas pro laïcis & Clericis ſæcularibus;

docuêre

docuêre prætereà publicè in urbibus & Epiſcopatibus uti videre eſt apud Mabillonium in eâdem Præfatione. §. Quarto.

XII. Reſtat ut de redemptione Captivorum, de pedum nuditate & de mendicitate loquamur. Et ut à Captivis incipiam. Primò nobis occurrit S. Philibertus Gemeticenſis Abbas, qui redimendis captivis omnes proventuum & oblationum decimas impendebat eâque de causâ ſingulis annis diſcipulos ſuos in exteras longéque diſſitas Nationes mittebat. *Cumque Regio munere*, inquit Auctor ipſius vitæ, *& Fidelium largitate copia ei ſuperveniret argenti, ſtudebat omnes ſpecies decimare, ſed cum hoc rotatu anni faceret ſemper plus inveniebat additum, quam anteà fuerat decimatum; ipſam igitur decimam in Captivorum redemptionem, & pauperum alimoniam deputabat, in tantùm ut Monachos ſuos propter hoc cum onuſtis Navibus, partibus tranſmarinis tranſmitteret, & greges Captivorum per ipſum redempti laudarent potentiam Chriſti.* Quid aliud quæſo præſtare videntur pii illi Religioſi, qui noſtrâ tempeſtate redimendis captivis dant operam? à quibus in eo ſolùm differunt Gemeticenſes quod de propriis non de alienis pretia captivorum pendebant.

Is ipſe ſanctus Philibertus ſublevandis egenis maximam quoque redituum partem impendebat, ut ex laudato textu conjicere poſſumus, & vix ullum videri poteſt alicujus nominis Cœnobium, quod Xenodochium non habuerit annexum, illudque non alienis opibus ſed propriis ditatum. Monachi namque aut bonorum decimam, aut aliam certam prædiorum partem in eum uſum deſtinatam habebant: Nec modò Monachi, ſed & Moniales pauperum curam propriis impenſis habuêre, pluraque ædificaverunt Noſocomïa. In Monaſterio ſancti Medardi duo erant, unum pro peregrinis, alterum verò in gratiam virorum nobilium: utrumque colligitur ex confirmatione Prædiorum ejuſdem Abbatiæ factâ in Duziacenſi Concilio anno 871. *Hoſpitalis Nobilium*, inquiunt Patres, *accipiat nonam ex villis ipſius Abbatiæ ſecundùm anti-*

quam conſuetudinem, & habeat Cauciacum ſimul cum lignariis: Et hoſpitalis peregrinorum accipiat decimam, &c. Et in recenſione Prædiorum Monaſterii ſanctæ Mariæ Monialium Sueſſionenſium per Carolum Calvum *his ordinatis ad portam Monaſterii contulimus* [ex ejuſdem Cœnobii bonis] *ut advenientes hoſpites divites & pauperes cum loci honore ſuſcipi poſſint & delegavimus decimas omnium rerum de totâ Abbatiâ, & earum ſcilicet rerum quæ in terrâ coluntur, vel quæ hominum ſtudio ad humanitatis uſum habenda nutriuntur, & per curam præpoſiti aptis vehiculis ad Monaſterium deducuntur.* In quem uſum juxtà utrumque Cœnobium adhuc vigent ædificata hoſpitalia. Hoc ipſum de multis aliis Monaſteriis probari poteſt.

Ex hiſtoriâ Gallicanâ ejuſdem Monaſterii.

Sanctus Gregorius Papa, *Probum Monaſterii ſui Præpoſitum cum multis pecuniis Hieroſolimam deſtinavit*, inquit Joannes Diaconus, *cujus inſtantia venerabile Xenodochium conſtituit & tam ibi quàm in Monte Synâ penès Arabiam Dei Famulis ſub regimine Palladii conſtitutis, quotidiani victûs & veſtimenti copiam quamdiù vivere potuit annualiter mittere curavit.*

XIII. Quædam quoque dantur Monaſteria quæ ejuſdem Pontificis tempore Xenodochii nomen habuerunt, aut Xenodochia quæ ad modum Monaſteriorum Regularibus locis ornata fuerunt, ut patet de Auguſtodunenſi Xenodochio, quod à Brunechilde & Theodorico Rege conſtructum ab Abbate & Monachis inhabitabatur, de quo idem Gregorius lib. 11. Epiſt. 10.

Nudis pedibus ambulant.

De nuditate pedum nihil mihi probandum incumbit cum noſtrâ ætate Fulienſis Congregatio ſanctum Benedictum nudis pedibus ambulaſſe contendat, ad cujus inſtar calceamenta aliaque pedum indumenta dimiſit.

XIV. Quærendum reſtat utrùm Benedictini oſtiatim aliquando ſtipem petierint. Et ut verum fatear nunquam me legiſſe memini Benedictinos ad eam mendicitatem ex inſtituto coactos, licèt legamus apud ſanctum Gregorium S. Benedictum ex Ruſticorum Paſtorumque eleëmoſinis vixiſſe: concedo tamen cum ſancto Thomâ S. Benedicti exemplo Mendicantes Religioſos inſtitui potuiſ-

ſe : Utrùm verò id fieri debeat oſtiatim petendo aut alio quovis modo parùm intereſt, cum rigidioris obſervantiæ PP. Franciſcani eleëmoſinis ultrò conceſſis æquè ac oſtiatim petitis ſibi conſulant : Verùm ſanctus Benedictus. Prædiorum defectum manuum labore, mendicitate rejectâ, ſupplendum conſuluit, qui diſcipulos ſuos tunc verè Monachos futuros dixit ſi labore manuum ſuarum viverent : Quamobrem Fuldenſes Monachi à ſancto Bonifacio eâ lege fuerunt inſtituti ut labore manuum ſuarum victum ſibi compararent, ut ipſe-met ait in epiſtolâ ad Zachariam ſummum Pontificem : Id etiam præſtitêre alii per Germaniam Monachi qui Germanicum ſolum coluêre, ut habet Mabillonius. §. quinto Præfationis ſæpè laudatæ. Hos quoque imitati fuerunt Ciſtercienſes Monachi, qui exemptionem novalium ſuorum eâ de causâ à ſummis Pontificibus obtinuêre. *Reg. Cap. 48.*

XV. Ordines militantes prætereo, quorum multi ſub Regulâ B. Benedicti militare noſcuntur, & quos ab omnibus Monachis novis & antiquis Ordine diverſos nemo negabit.

XVI. Quæ cum ita ſint, manifeſtum exiſtimo Benedictinum Ordinem omnium aliorum Ordinum, generalitate differentiarum ab ipſis diverſum evaſiſſe, diverſum manſiſſe, & diverſum in æternum manſurum.

Altera quæ inter Benedictinos & alios antiquorum Ordinum Monachos intercedit differentia, à viſceribus rei, ut dicunt, petitur, id eſt ab eſſentialibus votis quorum numerum S. Benedictus augeri voluit, cum ſancivit ut omnes qui Regulam ejus profitentur, novum & hactenus inauditum ſtabilitatis votum emittant. *Suſcipiendus autem,* [in Monachum] inquit, *in Oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſuâ & converſione morum ſuorum & obedientiâ.* Ubi ſtabilitas in votorum promiſſione prima nominatur. Et ibid. *tunc ſuſcipiatur in Congregatione ſciens lege Regulæ conſtitutum quod ei ex illâ die non liceat de Monaſterio egredi, nec collum excutere de ſub jugo Regulæ, quam ſub tam morosâ deliberatione licuit recuſare aut ſuſcipere.* Hoc verò ſtabilitatis votum ex mox allato textu *Reg. Cap. 58.*

eò tendit ut Monachus totâ vitâ ſuâ in Monaſterio manere teneatur, & tanquam verum ejuſdem Monaſterii membrum habeatur, & inſuper Regulæ Benedictinæ perpetuo voto addictus ſit, & ab omnibus aliis ſervandis liber maneat. Aliàs ſi alteram ſervandam acciperet collum excuteret de ſub jugo Benedictinæ Regulæ, ſaltem ex aliquâ parte: Qui enim ſe totum uni Domino dedit promiſſam fidem violat ſi poſtea ſe alteri ſubdit Domino, Principi, Legiſlatori, maximè cum nullæ Regulæ eaſdem aut ſimiles leges in omnibus habeant. Quâ de causâ Dominus generaliter dixit: *Non poteſtis duobus Dominis ſervire.*

XVII. Hoc ipſum ſtabilitatis votum non modò à Laïcis in Monachos ſuſcipiendis ſanctus Benedictus exigit, ſed etiam à Clericis, Sacerdotibus, & peregrinis Monachis: Vult enim, ſi id petant, admittantur in Monaſteria *ſi tamen promiſerint de obſervatione Regulæ vel propriâ ſtabilitate.* Quantùm verò ad Monachos alterius Ordinis attinet, eadem decernit. *Si voluerit ſtabilitatem firmare*, inquit, *non renuatur talis voluntas, quia tempore hoſpitalitatis potuit ejus vita dignoſci:* Ex quâ poſitâ peregrinis Monachis conditione, liquet etiam ſolos Benedictinos per eadem tempora ſtabilitatis voto fuiſſe detentos: Aliàs S. Benedictus, de cujus pietate dubitari non poteſt, alienos Monachos ad votum ſtabilitatis edendum hortatus non eſſet. Id enim ſalvâ conſcientiâ præſtare non potuiſſent, ſi anteà in altero loco & ſub alterâ Regulâ eamdem ſtabilitatem voviſſent; neque etiam videre eſt apud ullos antiquos Auctores, quemquam Monachum ad alium Legiſlatorem, aut ad aliud inſtitutum tranſeuntem, pro Apoſtatâ habitum, aut crimini ei datum quòd aliis Regulis, etiam melioribus, ſe dederit: Perinde quaſi ex vi votorum, Monaſtico tantùm vivendi propoſito addicti viderentur Aſcetæ, liberamque ſemper Regularum & Monaſteriorum mutandorum licentiam haberent. At non video quâ ratione negari poſſit eos qui votis editis, inſtituto, legibus, ab invicem differunt, non Ordine quoque differre.

XVIII. His ita diſputatis indubitanter poſſumus aſſerere Benedictinum Ordinem ab aliis quibuſlibet inſtitutis fuiſſe diverſum: Cum eſſentialiter & ſubſtantialiter, ut ita dicam, ab iis omnibus differre videatur. Id quoque ſuadent plerique Auctores, qui Benedictinorum cœtum, Ordinem appellare non dubitarunt, idque nominis, cœleſti oraculo, datum vulgavêre. Nam ſancto Benedicto in eâ viſione quam de Caſſinenſi clade cœlitus habuit dictum legimus. *Noli probatiſſime ac dilectiſſime Benedicte pro his quæ huic eventura didiciſti loco mæſtum ullo modo gerere animum, quoniam ..... Et aliis Nationibus hujus lumen Religioſitatis de hoc eodem irradiabit loco.* Quæ verba plures Auctores qui hanc prophetiam impletam viderunt, interpretati ſunt de Ordine ſancti Benedicti per univerſum poſteà diffuſo. Ità Zacharias ſummus Pontifex ad annum 741. in Bullâ Caſſinenſi Monaſterio conceſſa. *Inter quæ*, inquit, *dum ei revelatum fuiſſet quòd ſupradictus locus eſſet deſtruendus, & ob id inconſolabiter fleret, Omnipotentis Dei ad ſe vocem audivit dicentem: Noli probatiſſime ac dilectiſſime Benedicte pro iis quæ didiciſti mæſtum gerere animum, quoniam ..... Et hujus Ordinis doctrina de hoc iterum per totum Orbem radiabit loco, quod poſt ejuſdem Patris obitum conſummatum eſt.* Leo verò Oſtienſis. *Cum die quadam Divinitùs ſibi revelatum fuiſſet idem Monaſterium*, &c. ut ſuprà, *cæleſti protinus Oraculo conſolatus audivit eumdem locum*, &c. *& in multas exindè Orbis Romani partes Regularis normæ ac diſciplinæ Ordinem profecturum.*

Fauſtus in vitâ ſancti Mauri.

Bullarium Caſſine. p. 3.

Ex his duobus Auctoribus duo nobis poſſunt innoteſcere. Primum, his verbis: *Hujus lumen Religioſitatis, de hoc eodem irradiabit loco*, nihil aliud ſignificari ſecundùm Zachariam Papam, niſi quod Benedictinus Ordo in Caſſinenſi Monaſterio à S. Benedicto fundatus univerſum Orbem occupaturus eſſet. Neque à vero diſtat ea verborum illorum explicatio, cùm etiam S. Thomas, verbum Religionis uſurpet pro quovis Monachorum Ordine: Quapropter 2. 2. q. 188. diſputat *de Religionum varietate, utrùm ſit una tantùm Religio; utrùm aliqua*

Religio inſtitui debeat ad opera vitæ activæ ; utrùm aliqua Religio ordinari poſſit ad militandum, ad prædicandum, ad confeſſiones audiendum, ad ſtudendum, &c. Quo loci Religiones illæ diverſæ ſumuntur, pro diverſis Monachorum Ordinibus.

XIX. Secundò obſervare debemus multò antequam Zacharias Papa in ſummum Pontificem eligeretur, laudatam prophetiam impletam eſſe ; & eam ipſam Religionem quam S. Benedictus Caſſinenſis docuerat, non aliam quamvis, ab ipsâ diverſam, aut cum ipsâ conjunctam, in univerſum Orbem diffuſam. *Hujus Ordinis doctrina*, inquit, *de hôc iterùm per totum Orbem radiabit loco, quod poſt ejuſdem Patris obitum conſummatum eſt.* Quæ veritas, tenebras illas ex ementitâ unione variarum Regularum nobis offuſas, prorsùs diſſipat & extinguit : Nullus enim dixit unquam, aut, ut arbitror, dicturus eſt imposterùm, ſanctum Benedictum ſuam & plures alias unà ſimul ſervaſſe aut imperaſſe Regulas ; neque etiam id de Caſſinenſibus dicant. Cum verò ad eorum inſtar propagatus fuerit Ordo, eadem variarum Regularum ex æquo conjunctio ex Benedictinis Cœnobiis eliminandam non eſſe quis dicet ?

XX. Hanc eamdem Religionem, quam SS. Placidus & Maurus à B. Benedicto didicerunt, & Ordinem nominavêre. *B. Placidus Meſſalinum evocans*, inquit Gordianus in ejus vitâ, *dixit ad eum, non decet Monachum in Domibus Laïcorum ſtationem habere : quia contrarium eſt omnibus modis Ordini noſtro.* Qui videlicet Ordo vult ut Monachus *à ſæculi actibus ſe faciat alienum ; Ut omnia neceſſaria intra Monaſterii ſepta conſtruantur, ut non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras.* Quique tantùm abhorret à ſæcularium confabulationibus, ut neminem in viam dirigendum velit, niſi prius *ſe omnium Fratrum vel Abbatis orationi commendaverit.* Et de viâ reverſus, *per omnes Canonicas horas dum expletur opus Dei proſtratus ſolo Oratorii ab omnibus petat orationem, ne quid fortè ſubripuerit in viâ viſus aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis:* Qui tandem vetat *ne Fratres qui pro quovis reſponſo pro-*

N. 46. Reg. Cap. 4. cap. 66.

ficiſcuntur , & eà die ſperant reverti ad Monaſterium foras manducare præſumant, niſi fortè ab Abbate ſuo præcipiatur, &c jubet ut *ſi aliter fecerint excommunicentur*. Sanctus verò Maurus apud Fauſtum n. 41. *obſervatio*, inquit, *noſtri Ordinis ſummam depoſcit quietem & ſecuritatem*. Quod eodem ſenſu quo ſuperiora accipiendum eſt.

XXI. Amalarius qui ineunte ſæculo nono floruit, ſcribit *Sanctiſſimum doctorem Benedictum omnis generis virtute claruiſſe tantùm ut ſublimioris propoſiti Ordinis inſtitutor extiterit*. Lupus Ferrarienſis epiſtolâ 29. contrà eos ſcribens, qui ſolos homines criminibus implicitos in Monachos admitti volebant, hæc habet. *Sanctus Benedictus Sacerdotes ſuſcipi in Monaſteria & poſſe & debere oſtendit ....Cum autem B. Gregorius Regulam ſancti Benedicti approbat ; eadem autem Regula Sacerdotes cum officio ſuſcipiendos docet, niſi quis contentioſo ſpiritu laboret, ſuſceptos jam inde ab initio noſtri Ordinis & eſſe integræ vitæ Sacerdotes in Monaſterio minimè dubitat*. Ubi cum pius iſte & doctus Abbas Sacerdotes ab Ordinis noſtri primordiis ſuſceptos ex Benedictinâ Regulâ probare contendat, pariter probare convincitur ſpecialem ſanctum Benedictum Ordinem condidiſſe, ſi enim de alio quovis generali aut ſpeciali ordine loqueretur, falſa videretur ejus argumentatio, non enim ex admiſſis à Benedictinâ Regulâ Sacerdotibus ſequitur ab alterius cujuſque Ordinis initio ſuſceptos eſſe Sacerdotes : Præterea ſola, ex omnibus antiquis Regulis, Benedictina ſpeciali capite Sacerdotes ad Monachatum admittendos concedit, ſolaque altero capite *Capitib. 60. & 62.* Abbati permiſit, ut quos vellet ex ſuis Monachis ad Sacerdotium eveheret, quæ nullâ lege in Monaſtici ſtatûs initio conceſſa leguntur.

Ethelredus Anglorum Rex ad annum milleſimum ſextum in Eccleſiæ Cantuarienſis privilegio de reſtitutione Monachorum Ordinis ſancti Benedicti ſic ait. *Hoc ideo feci , & Monachos ejuſdem Ordinis quem huc attulit S. Auguſtinus in Eccleſiâ poſui, Ordinis ſcilicet quem ille ex præcepto S. Gregorii & ex magni Regis Ethelberti conſtitutione & auxilio in terram hanc intulit.*

XXII. Demùm eamdem veritatem generali probatione ſtatuimus, formulâ ſcilicet 33. inter Baluzianas, tom. 2. capit. quâ ſuperioribus ſæculo nono temporibus, Monachi ad probationem admiſſi utebantur, ut profeſſionem expoſcerent. *Petimus ergo*, inquiunt, *Beatitudinem charitatis veſtræ ut ibidem diebus vitæ noſtræ ſub Regulâ B. Benedicti* [non aliorum] *vivere & converſari debeamus..... Stabilitatem converſationis veſtræ, in converſatione veſtrâ, Teſte Domino, devoto animo cum obſervatione Regulæ uſque in finem profitemur ſervare..... & ſub ſancto Ordine perſeveremus.* In eo ſcilicet Ordine in quo ſola Benedictina Regula ſervabatur, quemque voto edito ſe ſervaturos ſpondebant. Formulâ vero 38. Monachis conceditur *ut ipſi ſibi Paſtorem inſtituant, qui eorum ſacrum Ordinem inſtanter attendat.* Videantur etiam formulæ 37. & 38. quæ de eodem Ordine ſæpiùs loquuntur.

XXIII. Teſtimonia ex Authoribus ſæculo nono poſterioribus nulla deinceps in eam rem laudabo, cum enim Cluniacenſis Ordo tunc incepiſſe dicatur, nullus vocare poteſt in dubium quin eâdem tempeſtate docti pariter & indocti maximam Monaſticorum Ordinum diverſitatem agnoverint, cum Cœnobia Cluniacenſia, licèt Benedictina, novum Ordinem conſtituiſſe dicantur, & ad eumdem morem Ciſtercienſia, Camaldulenſia, & alios effecerint Ordines veros, non dubios aut ementitos, cum à ſancto Thomâ, ut ſuprà vidimus, *poſſit eſſe diverſitas Religionum ſecundùm diverſitatem exercitiorum*, quæ Cluniacenſes habuêre à Ciſtercienſibus, Camaldulenſibus, aut ſingularibus aliis Benedictinis Cœnobiis diverſa, ut experientiâ conſtat; at ſi laudata exercitiorum diverſitas, veros & diverſos produxit Ordines, quis negabit Benedictinos ab aliarum Regularum profeſſoribus, tam ante ſæculum nonum, quàm poſterioribus ſæculis, Ordine fuiſſe diverſos ?

XXIV. Unum eſt, & illud unicum quod nobis opponi, & quod aliquam veri ſpeciem habere multi crediderunt; id eſt quod tres tantùm hominum Ordines agnoſcant aliqui, ſcilicet Clericorum unum; Monachorum alterum,

terum; tertium Laïcorum: Unde factum putant, ut multi Auctores de Monachorum Ordine ita loquantur, perinde quaſi eſſet unicus omnium omninò Monachorum; neque ego ab iiſdem Auctoribus ullo modo diſſentio, modò de Ordine, ut ita dicam, generaliſſimo loquantur. Omnes enim Monachi & Religioſi genere conveniunt eo modo quo animalia; & Angeli: ſed pro ratione diverſorum finium, & exercitiorum ab invicem differunt, ut ſuprà vidimus, & ad diverſa ſubalterna genera, ſeu ad diverſos ſubalternos Ordines rediguntur; & ut exemplis agam, rem manifeſtam facio eâdem ipsâ conſideratione quæ modò nobis opponitur: ut enim licèt Clericatus ſub uno generali Ordine, aut ſub uno genere conſideratus, omnes complectitur Clericos, & tamen ipſe in diverſos inferiores Ordines dividitur, Epiſcopatûs, Preſbiteratûs, Diaconatûs, &c. qui ab invicem diſtant quàm plurimum: Et ut Laïcorum Ordo omnes homines concludit, qui ad Clericos aut Monachos non reducuntur, & tamen in plures Ordines, Regum, Principum, Nobilium, & Plebeïorum diviſus apparet: Quos iterùm in multos alios partitos videmus: Ita Monaſticus Ordo generaliter ſumptus unus eſt, non multiplex; ſed ſi ad Monachorum ſpecies devenerimus, multa videbimus eorum genera, multos Ordines, qui ratione eſſentialium aut accidentalium differentiarum, multos habent inferiores Ordines, ut in Benedictino, aut Auguſtiniano Ordine contigiſſe certiſſimè ſcimus.

Quod ſi hæc ſolutio & noſtræ opinionis expoſitio Adverſariis non placet, aliâ ratione eorum dubia diſſoluam: Ut enim noſtrâ tempeſtate duo ſolùm enumerantur Ordines qui generalibus adſunt proceſſionibus; aliiſque Eccleſiaſticæ, aut civilis Reipublicæ comitiis, Laïcorum ſcilicet & Clericorum, quorum iſte Regularem ſimul & ſæcularem Clerum complectitur; quorum uterque plures etiam comprehendit Ordines: Clerus enim ſæcularis dividitur in Canonicos Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum; Parrochorum; nullique addictorum Eccleſiæ. Clerus verò Regularis in duos dividitur quorum unus con-

tinet Auguſtinianos Clericos; diverſas etiam ſocietates, puta ſocietatem Jeſu; Oratorii Jeſu, ut aiunt, Barnabitarum, variorumque aliorum Clericorum qui ad miſſiones Evangelicas aliaſque multas conſtituti videntur: alter verò potior & numeroſior multò Clerus eſt, ut ita dicam, Monaſticus; qui plures quoque conſtringit Ordines totos à ſe invicem diverſos ratione finis aut exercitiorum, ut ſuprà vidimus. Neque dicant hanc ultimam Clericorum diviſionem, in tam diſſimilia genera, in Monachos ſcilicet & Clericos ſæculares recentiorem eſſe quam ut Adverſariis poſſit opponi: Eam enim antiquiſſimam eſſe contendo; ſiquidem ponitur in Concilio Carthaginenſi quarto, ſeu quinto anno 398. can. 44. Quo vetatur *ne Clericus comam aut barbam nutriat.* Et Can. 51. 52. 53. Quibus imperatur, ut *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificio victum quærat.* Hæc enim capitula Monachorum causâ poſita ſunt: Cujus rei gratiâ S. Auguſtinus unus ex præcipuis horum Canonum Auctor librum de opere Monachorum edidit. *Vt de opere Monachorum,* inquit, *librum conſcriberem, illa me neceſſitas compulit, quod cum apud Carthaginem Monaſteria eſſe cœpiſſent, alii ſe ſuis manibus tranſigebant; alii verò ità ex oblationibus Religioſorum vivere volebant, ut nihil operantes unde neceſſaria vel haberent, vel ſupplerent, &c...... Propter hoc venerabilis ſenex Aurelius Eccleſiæ ipſius civitatis Epiſcopus ut hinc aliquid ſcriberem juſſit, & feci.* Quæ verò in eodem Librô damnat S. Auguſtinus, de opere Monachorum, & de prolixâ eorum barbâ, eadem ipſe cum aliis Epiſcopis in eodem Concilio damnavit, Monachos ibi ſub nomine Clericorum, & Clericos alibi ſub nomine Monachorum indigitans. Hæc fuit mens Binii & Baronii in eoſdem Canones. *Sed dicet aliquis,* inquit Baronius ad an. 398. n. 74. *Cur in Synodo de Clericis & non de Monachis mentio habetur? Quòd ſcilicet in Eccleſiâ Affricanâ Monachiſmus etiam aſcitus in Clerum, ſimulque conjunctus eſſet, & in eâdem Eccleſiâ Affricanâ Clericorum nomine etiam Monachi continerentur, ut potè Dei ſervitio arctioribus vinculis mancipati, cum alioqui vel Clerici Monachorum amplexi*

Lib. II. Retract. cap. 21.

fuerint inſtitutum, vel ex eis ſolùm plurimi cooptarentur in clerum. Eſt de his reſcriptum honorii & ..... Hinc ſanctus Auguſtinus ſuos Clericos interdum Monachos appellat. Unus eſt ergo generaliſſimus Clericorum Ordo, Monachos ſimul & Clericos complectens; rurſus unus eſt quoque Clericorum ſæcularium Ordo; unus etiam Monachorum Ordo latiſſimè ſumptus, qui in plures etiam dividitur, ſi de iis Monachorum Societatibus loquamur quæ fines habent eſſentialiter differentes, aut exercitia quæ videntur, aut oppoſita, aut multùm ab invicem diſcrepantia, aut quæ tandem votis ipſis diſtinctæ manent: Quamobrem *illud gloriosè prædicare licet* [de Ordine S. Benedicti] ut ait Cardinalis Baronius, *coaleſcente nobili plantâ majoribus incrementis in dies magis magiſque dilatatum eumdem Ordinem Monachorum S. Benedicti, progreſſuque temporis complures alios extitiſſe in Occidente Monachorum Ordines ſub ejuſdem ſancti Regulis militantes.* Et ad an. 529. n. 11. *Nec facile ſit recenſere quot ex hoc uno verè dicendo ſui humilitate fonticulo immenſa flumina ſint derivata: Quot, inquam, ex Benedicto diverſorum Ordinum ſint progreſſa agmina Monachorum: Qui licèt diverſo nomine in Eccleſiâ Dei circum-amictâ varietate cenſeantur, inſtituti tamen eſſe S. Benedicti, & ab ipſo progredi gloriantur.* Quo ex capite & ex aliis ſuprà ſatiſfusè deductis compreſſam quoque patet eorum opinionem qui ſeptimo Octavoque ſæculo unicum fuiſſe omnium Monachorum Ordinem dixêre. Sed præſtat iterum audire Cointium, qui iiſdem, ſexto, ſeptimo, octavoque ſæculis plures floruiſſe intrà Gallias Ordines à Benedictino diverſos, eamdemque ejus opinionem præſtat rejicere.

CAPUT XIV.

DOCTISSIMI VIRI COINTII OPINIO de quatuor Regulis ſeptimo Sæculo in Galliâ receptis, aliæque ejuſdem poſitiones referuntur & rejiciuntur.

I. II. III. Cointii opinio de quatuor Regulis in Galliis ſeptimo Sæculo receptis exponitur. IV. Conſecutiones ex textu vitæ S. Philiberti per Ermentarium ſcriptæ à Cointio & ab aliis deductæ referuntur. V. Ermentarius longè alio ſenſu quàm in Cointiano explicandus. VI. Sancta Aldegundis, S. Sturmio, & S. Benedictus Indenſis ad inſtar S. Philiberti multa Monaſteria luſtrarunt, ut diſciplinam Monaſticam ediſcerent. VII. Sed nullas ſuis Monaſteriis addidêre Regulas. VIII. Ex Ermentarii textu ſequitur omnia Burgundiæ, Italiæ, & Galliæ Monaſteria unius ejuſdemque inſtituti fuiſſe, puta Benedictini. IX. Textus Ermentarii nullatenus dicit quæ ei tribuuntur. X. Verum inſuper non eſt ex Cointio Ordinem S. Baſilii fuiſſe florentiſſimum, cum unicum illi Monaſterium tribuant Annales. XI. Idem quoque dicendum de S. Macharii Ordine. XII. Neque dicendum fuit plures ſeptimo Sæculo extitiſſe in Galliis florentiſſimos Ordines niſi id ex enumeratione Monaſteriorum probetur. XIII. S. Philibertus de cujus inſtituto agitur Benedictinus probatur. XIV. Et Benedictinus ſemper permanſit, &

ex ſancto Audoëno unicum Monachorum inſtitutum ſeptimo Sæculo per Gallias vigebat. XV. Omnia Sæculi ſeptimi Monaſteria ſub ſanctâ Regulâ, ideſt ſub Benedictinâ fuerunt excitata. XVI. Argumenta huic opinioni contraria eruuntur & diſſipantur. XVII. Textus ex ~~Regulâ~~ vita ſancti Deſiderii totus rejicitur. XVIII. Corollarium ex toto capite & ex iis quæ in eo dicta ſunt, additur.

I. MULTA ſcripſit Francorum Annaliſta Cointius in Ordinem ſancti Benedicti, eumque ut anguſtis, exiguiſque finibus circum-ſcriberet, varios, novos ſimul & antiquos, currentis calami flatu, Ordines excitavit : Qui, ut fert ejus opinio, ex variis Galliarum Aſceteriis conflati immensâ mole Benedictinum Ordinem adeò deprimunt, ut vix apparere videatur. Ipſum audiamus Cointium, & expendamus primarium, immo unicum ipſius fundamentum, quo nixus tot Ordines fundavit. *Quia perfecti viri perfectiora ſectantur,* inquit Coſchinus Abbas Gemeticenſis ab Annaliſtâ laudatus, *cæpit Sacerdos Domini Philibertus ſanctorum Cænobia circum-ire ut aliquid emolumenti ex ſuſceptione ſanctitatis valeret accipere, luſtrans Luxobium, vel Bobium vel cætera Cænobia ſub normâ ſancti Columbani degentia ; atque omnia Monaſteria quæ intrà ſuum gremium Francia & Italia & tota concludit Burgundia, aſtutâ intentione providens ut prudentiſſima Apis, quidquid melioribus vidit florere ſtudiis, hoc ſuis traxit exemplis : Baſilii ſancti Chariſmata, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani inſtituta frequentabat aſſiduè, ſicque onuſtus virtute aromatum ſequacibus ſanctum monſtrabat exemplum.* Ex hoc textu ſic argumentantur Annales. *In hoc textu duo ſunt potiſſimùm obſervanda, ætate S. Phi-* Ad.an.734.
liberti ſivè poſt annum Chriſti 660 Monachi cùm Luxovien- n. 42.
ſes tum Bobienſes ſub normâ ſancti Columbani degunt, & in Franciâ præ cæteris quatuor diſtinguebantur Regulæ Monachorum, eæque adeò diſtinctæ ut una in uno Monaſterio

ſervetur, alia in alio cuſtodiatur, nec duæ ſimul in uno Monaſterio coaleſcant. Et ad an. 751. n. 132. ſuperiore textu ex vitâ S. Philiberti laudato, in Benedictinos vehementiùs inſultans, ait. *Hunc textum ſuperiore tomo jam allegavimus nec adhuc quis è ſcriptoribus Benedictinis reſponſum fecit, ut ſancti Columbani Regulam poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum quo S. Philibertus adminiſtrationem Resbacenſis Monaſterii ſuſcepit, in Cœnobiis Luxovienſi, Bobienſi multiſque aliis obſervatam probent nihil magis appoſitè poteſt excogitari. Sed præter ſancti Columbani Regulam, treſque de quibus ſupra, complures in Galliâ per illud tempus viguiſſe certum eſt, ſeu Monaſteria ſancto Benedicto vetuſtiora fuerint, ſeu recentiora.*

II. Ex eodem etiam textu colligit Adverſarius noſter ad annum 734. n. 42. quòd *in Monaſteriis quæ ſequebantur inſtituta ſancti Columbani, Regula S. Benedicti ſeriùs ſuſcepta eſt.* Id repetit n. 43. ubi effusè & inaniter exultans in hæc verba prorumpit. *Quapropter nemini mirum debet eſſe ſi quas illo tomo tertio* uſque ad annum octogeſimum ſuprà ſexcenteſimum *Colonias Monachorum Luxovio eductas commemoravimus eas omnes addiximus Regulæ S. Columbani, nullumque Monaſterium utrique Regulæ S. Benedicti & S. Columbani ſubjecimus, poſthabitis ac reſciſſis interpolationibus, quæ pleriſque præceptis ac privilegiis illorum temporum inſertæ ſunt, nec non correctis atque emendatis recentioribus Auctoribus qui de rebus ſæculo ſeptimo geſtis perperam ſcripſerunt.*

III. Tandem ex verbis vitæ S. Philiberti ſupra laudatis, iterum eruit ad. an. 677. n. 8. *Monachos Resbacenſes ab initio Regulam S. Columbani ſub Agilo primo Abbate fuiſſe profeſſos, poſteà ſub Abbate Philiberto Agili proximo ſucceſſore multa mutuatos ex Regulis SS. Macharii, Baſilii & Benedicti.*

IV. Ut verum fatear hocce Cointianum argumentum animo ſpreveram, minimique, ſeu nullius momenti eſſe putaveram, ſed cum illud diſcutiendum velit Annalium ſcriptor, & alii qui ejuſdem textûs Authoritate freti dixerunt ex his quatuor Regulis (facilè enim eſt inventis

addere) alteram conflatam quam S. Philibertus ſuis diſcipulis ſequendam tradiderit: Aut ſaltem eaſdem quatuor Regulas per complexum unitas, cum à S. Philiberto tum à Diſcipulis voto promiſſas eſſe: Rem totam ſuis ponderibus examinabo: Primòque dicam me multa legiſſe, multorumque libros percurriſſe, ſed nullibi tam inſolitam differendi rationē offendiſſe; Sic enim argumētari videtur Cointius S. Philibertus ad annnum ſexageſimum ſuprà ſexcenteſimum Regulas SS. Baſilii, Macharii, Benedicti & Columbani frequentabat aſſiduè, (id eſt, legebat:) Ergo eædem Regulæ pluribus in locis intra Gallias ad eumdem annum obſervabantur: Ergo adeò diſtinctæ erant, ut una in uno Monaſterio ſervetur, alia in alio cuſtodiatur, nec duæ ſimul in uno eodemque Monaſterio coaleſcant: Ergo omnes Monachorum Coloniæ quæ ante annum octuageſimum ſuprà ſexcenteſimum ex Monaſterio Luxovienſi fuerunt eductæ, ſoli Columbani Regulæ, ſecluſis penitùs legibus Benedictinis, debent adſcribi: Ergo omnes Chartæ, omniaque privilegia quæ eadem Monaſteria utrique addicunt Regulæ, abradenda & tanquam interpolata rejicienda ſunt: Ergo Monachi Reſbacenſes ab initio Regulam S. Columbani ſub Agilo primo Abbate profitebantur; Poſteà ſub Abbate Philiberto Agili proximo ſucceſſore multa mutuati ſunt ex Regulis ſanctorum Macharii, Baſilii, & Benedicti: Ergo ſanctus Philibertus ex his quatuor Regulis quintam novam Regulam condidit, quam Reſbacenſibus & Gemeticenſibus præſcriberet: Ergo has omnes Regulas per complexum unitas S. Philibertus ſibi ſuiſque diſcipulis ſervandas impoſuit. Deus bone! Quanti errores ex uno eodemque principio! Dixi in textu laudato ex vitâ S. Philiberti, frequentare Regulas idem importare ac Regulas legere; ſic enim hoc verbum *frequentare* interpretantur Annales. *Hoc anno*, inquiunt, *Philibertus Abbas Resbacenſis ut Monaſterio ſuo melius proſpiceret adiit varia quæ conſpicua erant in Franciâ ſeu Neuſtriâ, in Burgundiâ & in Italiâ Regulaſque SS. Baſilii, Macharii, Benedicti & Columbani ſtudiosè perlegit, utrumque Ermentarius in ejus vitâ ſic* *Ad. an. 661. n. 17.*

docet, quâ perfecti viri, &c. ut ſupra n. 1.

V. Fateor equidem cum Cointio loco proximè citato, *S. Philibertum ut ſuo Monaſterio proſiceret varia adiiſſe Monaſteria:* Sed cum, in textu ex vitâ S. Philiberti laudato, Ermentarius, qui Ludovico pio Syncronus vixit, ut volunt Annales, quique ſancto Philiberto nec æqualis, nec ſuppar, ſed poſterioribus vixit temporibus, non dicat S. Benedicti Regulam tempore S. Philiberti in Monaſteriis S. Columbani receptam non fuiſſe; & Authores omni exceptione majores, quique Sæculo ſeptimo ſcripsêre, utramque Regulam conjunctam eodem ſæculo dicunt, ut ſuprà vidimus, omnes conſecutiones ex eodem textu contrà Benedictinam Regulam aut ejuſdem Propagâtionem illatas à Cointio, falſæ prorsùs & à veritate alienæ cenſendæ videntur: Eâdem ratione falſa quoque & ſuppoſititia dicenda eſt quinta illa norma quæ ex quatuor aliis compoſita dicitur: falſum tandem ex eodem Ermentarii textu conſtare cenſemus eaſdem quatuor Regulas per complexum apud Reſbacenſes & Gemeticenſes ſervatas, cum neutrum Ermentarius dicat: Adde quod tam varia conſecutionum diverſitas ſatis clarè arguit nullam earum, clarè ex eodem textu colligi poſſe, eaſque omnes, hominum contrariis opinionibus imbutorum fœtus & adinventiones eſſe: Quamobrem eumdem textum qui ſimpliciter pro tenore verborum explicandus eſt ad inſtar aliorum ſimilium nullâ ambiguitate aut immutatione verborum, ſed eorum vulgari popularique ſenſu exponendum cenſemus, nihilque aliud importare dicimus niſi quòd S. Philibertus, Regulas SS. Benedicti & aliorum aſſiduè apud Gemeticum legerit, ut ſuo Monaſterio proſpiceret.

VI. Sanctum Philibertum imitati ſunt plures Monaſteriorum conditores, aut Benedictini Ordinis reformatores qui ejuſdem Ordinis Cœnobia luſtrarunt, ut Monaſticam eorum exercitationem addiſcerent & ſe ſuoſque legitimâ Regulæ praxi poſſent imbuere. S. Aldegundis S. Philiberto coætanea eodem ducta ſervandæ Regulæ deſiderio, circunquaque poſita Monaſteria luſtrabat, moreſque

que Monachorum inſpiciebat, *nanciſcens undequaque ſanctitatis ſibi aſſumere normam nec-non Religioſæ habitationis formam*, inquit Monachus Geſleïanus apud Bollandum in ipſius ſanctæ vitâ, *inviſebat ſervorum Dei habitacula circumquaque poſita: Adiit itaque egregium virum Hambertum qui in ſuâ commanebat viciniâ quoniam rumor ſanctitatis ejus ad eam pervenerat.* S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, & Fuldenſes Monachi circa an. 745. Sanctum Sturmionem Fuldenſem Abbatem Romam & ad cæteras Italiæ, Tuſciæque partes miſêre, ut *Patrum ibi concordiam*, inquit Ægil & ipſe Fuldenſis Abbas vitæ S. Sturmionis coætaneus ſcriptor, *Et converſationem Regularem perfectè diſceret.... qui Romam profectus atque in illâ terrâ cunctis luſtratis Monaſteriis & omnium mores ibi Fratrum conſiſtentium, traditioneſque Monaſteriorum ad plenum diſcens, integrum annum apud illa Monaſteria perſeverans, ſecũdo anno repletus quibus viderat virtutibus reverſus eſt*, & alibi, *Romam profectus eſt atque in illâ terrâ cunctis Monaſteriis luſtratis & omnium mores ibi Fratrum conſiſtentium, traditioneſque Monaſteriorum ad plenum didicit, & ad inſtar Monaſteriorum quorum ibi vitam contemplatus erat Fuldam inſtituit.* Sanctus Benedictus Indenſis eodem incenſus deſiderio ſub Ludovico pio dedit *cor ſuum ad inveſtigandam S. Benedicti Regulam, eamque ut intelligere poſſet circumivit Monaſteria, peritos quoſque interrogans quæ ignorabat & omnium ſanctorum quaſcumque invenire potuit Regulas congregavit, normamque utilem & Monaſteriorum ſalubres conſuetudines didicit, ſuiſque eas tradidit Monachis obſervandas.*

ſacul. 3. actorum SS. B. parte 2. pag. 276. n. 14.

Vita S. Benedict. in concordia Regul.

VII. In eumdem igitur finem ſancti Philibertus, Sturmio, & Benedictus per univerſa Italiæ, Tuſciæ, Burgundiæ & Franciæ Monaſteria peregrinati fuêre; S. Benedictus, *ut Regulam Benedictinam inveſtigaret*; S. Sturmio, *quia Fuldenſes Regulam S. Patris Benedicti inhianter obſervare deſiderabant.* Quam ob cauſam idem ſanctus exteras nationes peragravit, *ut Fratrum concordiam & converſationem Regularem perfectè diſceret.* Neque aliquid aliud exquiſivit S. Philibertus cum *cæpit Cænobia circum-ire,*

ut aliquid emolumenti ex ſuſceptione ſanctitatis valeret percipere. Utque nullus auſus eſt dicere aut S. Sturmionem ex illis omnibus Tuſciæ & Italiæ Monaſteriis, aut S. Benedictum ex Gallicanis Aſceteriis novam aliquam Regulam aut multas ad invicem unitas à ſuis Monachis promittendas tuliſſe, aut tandem eas omnes diviſim in diverſis Monaſteriis ſervatas eſſe, eo ſaltem tempore quo S. Benedictus Anianenſis omnes, quæ in Codice Regularum habentur, Regulas invenit, collegit, & in unum Codicem deſcripſit: ita neminem dicturum arbitror S. Philibertum novam condidiſſe Regulam, aut multas ad invicem conjunxiſſe, aut ſingulas in ſingulis Monaſteriis ſervatas vidiſſe, cum id nullatenus habeat textus vitæ S. Philiberti; & ex oppoſito Ardo vitæ S. Benedicti ſcriptor videatur de eodem ſancto dicere his verbis; *omnium ſanctorum quaſcumque invenire potuit Regulas congregavit, normamque utilem & Monaſteriorum ſalubres conſuetudines didicit, ſuiſque eas tradidit Monachis obſervandas.* Quæ verba ſi ab Ermentario de ſancto Philiberto ſcripta fuiſſent, quid inde conſequens fieri non dicerent viri Doctiſſimi contra quos ago? qui etiam quæ dicta non ſunt, comminiſcuntur.

VIII. Immò cùm S. Philibertus, Italiæ, Burgundiæ, Galliæque Monaſteria eo fine luſtraverit, *ut ſuis traheret exemplis quidquid melioribus ſtudiis videret florere*; eadem omnia Monaſteria inſtitutum habuiſſe commune credendum eſt: Nulli enim Benedictini, ut exemplis agam, Capucinorum Domûs unquam inviſent ut inſtituta Benedictina meliùs calleant, & ſuum Auctorem S. Benedictum perfectiùs imitentur; neque id etiam agent Minimi, aut Carmelitæ diſcalceati. Tanta eſt enim eorum varietas, tanta diſſimilitudo, ut à ſui-ipſorum inſtitutô, Benedictini, Minimi, aut Carmelitæ diſcedere neceſſe ſit, qui Franciſcanorum, Jeſuitarum, cæterorumque his ſimilium mores velint effingere. Quæ illorum gratiâ dicta ſint, qui tantam fuiſſe varietatem dixerunt inter Monachos ſancti Benedicti & S. Columbani diſcipulos, quanta intercedit Benedictinos inter & mendicantes. Illa ergo

Cœnobia S. Philibertus inviſit, quæ ſub eodem Legiſlatore vivebant; Cœnobia, ſcilicet S. Columbani, quæ ad ſimilitudinem Luxovienſium efformata, Benedictinis legibus parebant.

IX. Prætereà nullatenus video quibus oculis in textu laudato videre potuerint ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum primum quatuor Regulas fuiſſe florentiſſimas: etenim id tantùm aſſerit Ermentarius S. Philibertum, *Baſilii S. Chariſmata; Macharii Regulam; Benedicti decreta, Columbani inſtituta ſanctiſſima lectione aſſiduè frequentaſſe.* De earum verò praxi apud Monachos, utrùm ſimul aut diviſim, utrùm per complexum aut in novam Regulam compactæ ſervatæ fuerint, nihil omminò loquitur. Nos quoque hac tempeſtate ad an. 1682. omnes antiquorum Patrum Regulas in earum Codice ab annis quibuſdam editas, novorumque Legiſlatorum leges frequentamus aſſiduè licèt, ſolam Benedictinam ſervemus Regulam. Cur verò ex quarumdam Regularum lectione earumdem florentiſſimam praxim arguant; ex omnium verò, non idem colligant, pergratum facient viri eruditiſſimi ſi nos tantum myſterium docere velint.

X. Hoc ipſum dicendum de multitudine Monaſteriorum quæ unicuique Regulæ fuerunt addicta: Nam ſi unaquæque florentiſſima fuit, eamdem in quamplurimis Monaſteriis floruiſſe neceſſe eſt, Ordinemque Monaſticum longè latéque diffuſum conſtituiſſe. At ſi Annalibus Cointianis fides habetur, Solum ſancti Giſleni Monaſterium, S. Baſilii celeberrimum Ordinem conſtituet. Nullum enim aliud ſub ſancto Baſilio militaſſe narravit, nec ſanctus Aredius inter ſancti Baſilii diſcipulos potiùs numerari debet quàm inter aliorum Patriarcharum alumnos *Cœnobium enim fundavit Aredius ad an. 564. in quo non modò Caſſiani, verùm etiam Baſilii & Reliquorum Abbatum qui Monaſterialem vitam inſtituerunt Regulæ celebrantur*, ut habet Gregorius Turonenſis: quo textu abuti non poſſunt contrariæ opinionis Aſſertores, ut dicant apud Gallos, plures Monachorum Regulas in eodem Monaſterio uniti conſueviſſe. Non enim illam genera-

lem Regularum unionem S. Gregorius refert tanquam ſolitam, ſed quaſi inſolitam & quæ præter communem Monachorum morem contigerat. Id enim obſervare licet in eodem Turonenſi Epiſcopo, ipſum hac ſolâ vice, totâ Francorum hiſtoriâ de cujuſlibet Abbatis inſtitutô locutum eſſe ; ſolamque ſancti Aredii converſationem Monaſticam memoraſſe, nempe quia totaliter ab inſtitutione diſcebat cæterorum Abbatum, quorum una eademque videbatur converſatio toto Gallorum Imperio.

XI. Quæ de Regulâ S. Baſilii diximus, eadem etiam de Macarianâ dicere poſſumus cujus Ordo uno, ex Cointio, ſolummodò conſtabit Monaſterio, ſancti ſcilicet Joannis Reomaënſis, ante annum quinquageſimum octavum ſupra ſexcenteſimum, nullo verò poſt eumdem annum, quo, ex annalibus ad an. 658. n. 22. poſtpoſitâ S. Macarii Regulâ, ad S. Columbani leges acceſſit. Si verò Benedictinos audiamus, & ex eorum opinione S. Giſlenum Benedictinum dicamus, & S. Joannis Reomaënſis Monaſterium jam multò ante annum ſexcenteſimum ſexageſimum ad Benedictinum Ordinem acceſſiſſe cum Benedictinis ſcriptoribus aſſeramus, nulli erunt Ordines in Galliis quos ſancto Baſilio aut ſancto Macario Sæculo ſeptimo aſſignare poſſimus.

XII. Cæterùm, ut Adverſarii noſtri Sæculo ſeptimo ad annum ſexageſimum ſupra ſexcenteſimum, aut ſub medium Sæculum ſeptimum, Regulas SS. Baſilii, Macharii, Benedicti, & Columbani florentiſſimas aſſererent ; non ſolùm afferendus erat textus ambiguus unius Authoris noni Sæculi, dubiæque authoritatis, ſed Coætanei ſcriptores citandi, totaque propoſitio ab enumeratione Monaſteriorum, unumquemque Ordinem conſtituentium, probanda videbatur ; cujus argumenti defectu penitùs decidunt omnes illæ conſecutiones, quas initio præſentis capitis ex inſtituto recenſui: Verùm cum id fieri non potuerit, cumque Anonymus vitæ ſanctæ Salabergæ ſcriptor, omnia aut penè omnia Monaſteria quæ ab anno decimo quinto ad an. ſexageſimum quintum ſupra ſexcenteſimum fuerunt erecta normam ſancti Vvalberti ſeu

Regulam BB. Patrum Benedicti & Columbani ſervaſſe referat ; Et S. Audoënus in vitâ S. Eligii ſcribat innumera fuiſſe Monaſteria iiſdem temporibus, quæ ex Solemniacenſi & Luxovienſi Aſceteriis originem aut exemplum acceperant ; & S. Nivardus omnes Epiſcopos bonoſque viros iiſdem temporibus ex Regulâ SS. Patrum Benedicti & Columbani Monaſteria ædificaſſe contendat, & in aliis ejuſdem inſtituti condendis perſeveraſſe poſt annum ſexcenteſimum ſexageſimum: Multùm ſibi conſuluiſſent viri doctiſſimi ſi ab explanando Ermentarii textu tam ſæpè laudato, tamque apud ipſos Adverſarios ambiguo, prorſus abſtinuiſſent.

XIII. Quantùm ad eos qui dicunt S. Philibertum in Gemeticenſi aliiſque Monaſteriis ab ipſo ædificatis, ſcilicet in Pauliacenſi, Villarenſi, S. Sydonii, crucis S. Leufredi & pluribus aliis *Monaſteriis, quæ per ejus exemplum ſunt conſtructa in Neuſtriâ, quatuor* Regulas ex æquo & per complexum unitas, ex iis omnibus quæ hactenus dicta fuerunt manifeſtiſſimi erroris arguuntur; nam S. Philibertus iis temporibus *Re*bacenſi Monaſterio præfuit, & Gemeticum ædificavit, quibus ſanctus Vvalbertus regebat Monaſterium Luxovienſe, & ſola Regula Beatorum Benedicti & Columbani ejuſdem S. Vvalberti ſtudio vigebat. Præthereà certum etiam videtur ex S. Audoëno in vitâ S. Eligii unam eamdemque Regulam ætate SS. Vvalberti & Philiberti Monachis omnibus Gallis impoſitam, eamque ex Luxovienſi Monaſterio acceptam fuiſſe: Quæ nullatenus dixiſſet vir ſinceræ fidei, ſi eodem tempore in Epiſcopatu Rothomagenſi, quem regendum acceperat, S. Philibertus novum aliquod inſtitutum ab aliis omnibus diverſum, multùmque per eamdem Diœceſim dilatatum intuliſſe noviſſet. Præthereà ſcimus ex Auctore vitæ ejuſdem S. Audoëni Monachos omnes Provinciæ Rothomagenſis, ſub iiſdem legibus à Beato Audoëno acceptis, vitam Monaſticam duxiſſe. *Nullaque Diœceſis,* inquit, *in cunctis Galliarum Provinciis ſuo tempore Diœceſim Rothomagenſem in devotione Chriſtianæ Religionis ſuperare, vel etiam æquare potuit. Tantus enim ibi erat nu-*

merus Cœnobiorum diverſi ſexûs, Monachorum ſcilicet & Monacharum, qui ad ejus inſtitutionem quaſi Divinæ ſattonis meſſis ſubitò enituit ut & numero ſimul & Religione Cœnobia Ægyptiorum ab Antonio quondam exorſa æquare viderentur. At ſi de S. Audoëni Monaſticâ inſtitutione, quam Monachis Diœceſis Rothomagenſis impoſuit, judicare velimus, eam eſſe dicemus quam ipſe-met apud Reſbacenſes Monachos quos inſtituerat profiteri volebat, Regulam ſcilicet Beatorum Benedicti & Columbani, quam S. Vvalbertus Luxovienſis Abbas S. Audoëni precibus in Reſbacenſe Monaſterium æquè ac in cætera Galliarum Cœnobia per Luxovienſes Monachos ſanctum ſcilicet Agilum & innumeros alios Luxovienſes Monachos, intulerat. Eamdem etiam Regulam docuiſſe ac promoviſſe ſanctus ille Rothomagenſis Pontifex dicendus videtur, quam profitebatur S. Vvandregeſilus, quem ab initio Pontificatus *ſacris Ordinibus decoraverat, cuique ad Monaſterium conſtruendum locum qui dicitur Fontanella à Rege Clodovæo impetraverat ;* quem etiam Monialibus Fiſcanenſibus præfecerat, ut ejuſdem acta teſtantur. At S. Vvandregeſilum Benedictinum ſuprà probavimus : Unde fit conſequens Columbani diſcipulos, Vvalbertum & alios, Benedictinis legibus etiam addictos fuiſſe, & S. Audoënum eamdem S. Benedicti Regulam Monachis Rothomagenſibus impoſuiſſe.

XIV. Sanctum verò Philibertum Monachum & Reſbacenſem Abbatem;ad mortem uſque Benedictinum perſeveraſſe,nos docet Anonymus vitæ S. Aicadri ſcriptor Monachus Gemeticenſis, qui refert quòd, cum ipſe ſanctus dimiſsâ Monachorum Gemeticenſium curâ ad fundandum Herienſe Monaſterium proficiſceretur, apparuerit in visû ſancto Aicadro quem in ſuum ſucceſſorem apud Gemeticenſes deſignaverat, eique dediſſe Regulam ſancti Benedicti, ut ſecundùm eam Aſcetas Gemeticenſes regeret. *Eâdem namque nocte per viſum apparuerunt Beato Abbati*, Coinciacenſi, *Aicadro illi duo viri ſanctiſſimi, Anſoaldus ſcilicet Epiſcopus, & Philibertus Abbas egregius; unus ferens illi ſub nomine Epiſcopi virgam Paſtoralem, al-*

ter verò Regulam B. Benedicti uno ore dicentes illi : Surge Frater noſter à Deo electe & accipe hoc munus quod tibi à Deo per ſervos ſuos dirigitur, virgam ſcilicet ut per eam errata corrigas . . . . . librum etiam ut ea quæ inibi ſcripta ſunt Regulari inſtitutione cuſtodias, & ſubditis tibi ut in ipſis intentiſſimè experiantur ſuo omni continuatione piè inſtituendo præcipias. Quæ Regula ſi Gemeticenſibus Monachis impoſita non eſſet à Philiberto, nec ab eo ſervata, numquam ſancto Aicadro Divino admonitu ſuaſiſſet ut ad ejuſdem præſcriptum, ſe, ſuos, & Gemeticenſium mores effingeret; quo ſolo argumento omnes Adverſariorum de ſancto Philiberto & Ermentarii textu poſitiones diluuntur. Ex his omnibus quæ ex S. Audoëni vitâ ad probandum verum S. Philiberti inſtitutum protuli maniſeſtiſſimum evadit, Luxovienſes ſeu ſancti Columbani diſcipulos ſemper Benedictinis inſtitutis paruiſſe, communemque omnibus Monachis vivendi normam non ſolùm in Rothomagenſi, ſed in cæteris Galliarum Provinciis S. Audoëni temporibus viguiſſe: Nulla enim S. Audoënus Aſceteria Monachorum agnovit quæ diverſis inſtitutis viverent. Quapropter, cum ſancti Vvandregeſilus & Philibertus præcipuì fuerint ſub ſancto Audoëno vitæ Monaſticæ Propagatores, iique Benedictini, conſequens eſt Monachos omnes eâdem S. Audoëni tempeſtate Ordini Benedictino adſcribi debere.

XV. Cumque idem ſanctus in vitâ S. Eligii de Monachorum propagatione per Sæculum ſeptimum diſſerens nullum nominaverit peculiare cujuſque ſancti inſtitutum, ſed tantùm dixerit omnia ejuſdem ſæculi Cœnobia ſub unâ eâdemque Regulâ vixiſſe, quam ſacram appellavit: Inferendum etiam videtur Benedictinam vivendi normam eodem Sæculo ſeptimo ſacræ Regulæ nomine deſignatam: Hoc ipſum confirmat Aigradus in vitâ S. Anſberti, ubi habet ſanctum *Vvandregeſilum Fontanellam ædificaſſe, atque cum magnâ Monachorum cohorte ſub ſanctæ Regulæ jugo laudabilem duxiſſe vitam.* Quo loci ſancta Regula pro Benedictinâ ſumitur, ut patet ex textu vitæ S. Vvulfranni ſuprà capite nono laudato, eodem ſenſu

debet accipi Regula ſancta, de quâ fit mentio in fundatione Corbeïenſis Monaſterii per Clotharium Regem ad an. 657. & in privilegio eidem Monaſterio dato per Bertefridum Ambianenſem Epiſcopum ad an. 662. Id apertè colligitur ſeu potiùs explicatur per diploma Theodorici Tertii Regis pro confirmatione electionis Eremberti in Corbeïenſem Abbatem. In quo Diplomate dato ad an. 691. Bertefridi privilegium & Clotharii Diploma laudantur. Sic enim loquitur Theodoricus Rex: *Ideo noſtra Clementia ei* [Eremberto] *indulſit ut habeat poteſtatem de totâ Congregatione ipſius Monaſterii, vel de eorum hominibus & poſſeſſionibus mobilibus & immobilibus, ſicut ſancta Regula docet.* (Benedictina ſcilicet) quæ cap. 65. vult, *in Abbatis pendere arbitrio Ordinationem Monaſterii ſui:* Et cap. 3. jubet ut *Cellerarius curam gerat de omnibus;* eâ tamen conditione poſitâ, ut *ſine juſſione Abbatis nihil faciat:* Et cap. 32. decernit, ut *ſubſtantiæ Monaſterii in ferramentis, vel veſtibus ſeu quibuſlibet rebus provideat Abbas Fratres de quorum vitâ & moribus ſecurus ſit.* Quæ dicta ſint in confirmationem capitis ſeptimi impugnatæ Diſſertationis, quo probatur Regulæ ſanctæ nomine generaliter & indefinitè poſito, Benedictinam Sæculis ſeptimo octavoque intelligi, & in gratiam eorum qui oppoſitæ ſententiæ hactenus hærent, quorum etiam fundamenta hîc iterùm funditùs evertenda cupio.

XVI. Horum primum ex vitâ S. Præjecti ſumitur, ubi Regula Camelarienſis Aſceterii ſancta vocatur; ea verò Regula non ſancti Benedicti ſed ſancti Donati Regula dicitur, & ex tribus aliis ſanctorum ſcilicet Benedicti, Cæſarii & Columbani compacta eſt. Argumentum facilè ſolvitur, modò obſervaveris hanc Regulam à ſancto Donato tanquam ejuſdem collectore nomen habuiſſe; ſanctam verò dici debuiſſe, non ſolùm quia omnes Regulæ ſanctæ ſunt, ut aliàs dixi, ſed vel maximè quia quadraginta ſeptem, eaque præcipua ejuſdem Regulæ capita, quibus Profeſſionis Monaſticæ forma, cæteraque præſcribuntur, quibus ſtare videtur vita Monaſtica, de verbo ad verbum ex eâdem S. Benedicti Regulâ deſumpta fuerunt;

ſunt : Quamobrem jure merito, eadem Sancti Donati Regula, ſanctæ denominationem à nobiliori parte mutuari potuit. Quantùm ad aliud Adverſariorum argumentum quo dicunt Regulam S. Columbani ſolitariè ſumptam, ſanctam à Jonâ vitæ ejuſdem ſancti Scriptore fuiſſe vocatam. Reſpondeo, quòd cum eodem loci ſancti Columbani Regula improbaretur ab Agreſtio tanquàm inutilis, & Ritibus Romanis contraria, ſanctus Euſtaſius eamdem non modò potuit, ſed etiam debuit ſanctam appellare. Cæterùm faſſus ſum aliàs & iterùm fateor nullam eſſe Regulam, ex his quæ ſummorum Pontificum approbationem quocumque modo meruêre, quæ ſancta dici non poſſit aut debeat : Et de his aſſertio mea nullatenùs eſt intelligenda : Sed tota quæſtio in eo verſatur quòd cum aliquis Auctor, Privilegium, Diploma, Chartæ quælibet Sæculis ſeptimo & octavo Regulam ſanctam ſimpliciter nominant, nullâ Auctoris mentione factâ, nulloque inſtituto cujuſque Legiſlatoris nominato ; tunc, meo quidem ſenſu, opinari debemus illum Auctorem, Privilegium, Diploma de ſola S. Benedicti Regula ſcripſiſſe, eamque ſolam eo caſu ſanctæ Regulæ nomine intelligendam eſſe : Et conſequenter dicendum S. Audoënum, in vitâ S. Eligii ; Aigradum in vitâ ſancti Anſberti ; Clotharium tertium in Diplomate pro Corbeïenſi fundatione, alioſque Auctores, aliaſque Chartas quæ de Monaſteriorum inſtitutione loquuntur, & ea ſub Regulâ ſanctâ, fundata referunt, eadem ſacræ ſanctæque Regulæ appellatione, Benedictinam indicare voluiſſe.

XVII. Neque potiori jure ad annum 751. n. 132. Cointius Ermentarii textum, alterô ex vitâ ſancti Deſiderii depromptô fulcit, & eadem, ut putat, dicentem nobis oppoſuit. *Sancto Philiberto*, inquit, *antiquior extitit ſanctus Deſiderius, qui Cadurcenſem Epiſcopatum eodem Sæculo ſeptimo gubernavit ab anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo unde-triceſimo ..... in hujus vitâ Regulæ ſancti Benedicti & S. Columbani reliquis ſic anteponuntur.* Nullus quidem eo tempore. (Verba ſunt Auctoris vitæ " ſancti Deſiderii) in urbe Cadurcâ propoſitum Mona- "

„ chi, neque habitum Religionis aut Regulæ Cœnobialis „ iter intraverat, ſecreta Columbani procul aberant, „ inſtituta Benedicti longiùs diſtabant. *Nec aliò abiit Coſchinus in vitâ ſancti Philiberti.* Quibus verbis Adverſarius noſter inſtitutum S. Columbani à Benedictino diverſum haberi cupit: Sed huic authoritati nullam fidem habendam jam olim ſcripſit Dagobertus Rex, & abſolutè prædamnaſſe videtur, cum eumdem ſanctum in Epiſcopum electum & confirmatum declarat his verbis. *Dum civium Abbatumque Cadurcorum hoc omnimodis expoſcit ut eum Epiſcopum habeant, & noſtra devotio ſimiliter conſentit, abſque dubio credimus Dei nutu id fieri.* Cum ergo Abbates Cadurcenſes in ſuum Epiſcopum ſanctum Deſiderium popoſcerint, certè ex toto fallitur Auctor laudatus; neceſſe eſt enim, ut qui eodem tempore, immò ut qui ante eadem tempora in urbe Cadurcâ Abbates floruiſſe fatetur, fateatur quoque neceſſe eſt, Cœnobialem Regulam in urbem Cadurcam intraſſe antequam S. Deſiderius in Epiſcopum aſſumeretur: Cum eâdem tempeſtate, Abbates, ſine Monachis non eſſent. Quam conſecutionem, ſi quis negaverit; nihil mirum, quòd affirmare potuerit, quòd antè tempora ſancti Deſiderii, decreta S. Columbani procul aberant; inſtituta verò S. Benedicti longiùs diſtabant, magiſque mirandum quòd Cointius vir oculatus Auctores toties mentientes nobis ſubminiſtraverit.

Præceptum Dagoberti tom. I. Capitul. ad an. 636. p. 142.

XVIII. Quæ cum ità ſint, & nulla in Cointianis Annalibus toto Sæculo ſeptimo Monaſteria Gallicana fuiſſe legamus quæ eo numero fuerint quo Baſilianum, aut Macarianum Ordines, aut alios quoſvis conſtituiſſe probentur; & aliundè conſtet per ſancti Columbani leges Benedictinis additas eumdem Benedictinorum Ordinem in infinitum dilatatum fuiſſe; cum & denuò certò ſciamus ſanctum Philibertum, ex cujus actis tota quæ jam ventilatur quæſtio pendet, Diſcipulum fuiſſe S. Vvalberti Benedictinæ ſimul & Columbanicæ Regulæ ab anno 614. ad 665. Propagatoris, & ab eodem Vvalberto Reſbacenſi Monaſterio per ſanctum Audoënum ædifica-

to, fuiſſe præfectum, eumdemque ſanctum Philibertum ejuſdem etiam S. Audoëni beneficio, Gemeticenſe Cœnobium ſub eâdem inſtitutione quâ cætera Rothomagenſis Diœceſis Monaſteria condidiſſe, & circa annum 670. illud ipſum Gemeticenſe Monaſterium ſancto Aicadro ſub Regulâ Benedictinâ regendum commiſiſſe, quis ſibi inducat in animum, Ermentarii textum ab Adverſariis toties laudatum eo ſenſu intelligendum fuiſſe, ut multiplices & florentiſſimos Ordines ipſis ſanctorum Vvalberti, Audoëni, & Philiberti temporibus in Galliis toto Sæculo ſeptimo extitiſſe, aut eorumdem Patrum ætate quatuor Regulas per complexum unitas ab eodem ſancto Philiberto ſervatas credamus? Quæ omnia, ut potè apertiſſime falſa ab omnibus cordatis hominibus penitus reijcienda, & ad fabulas amandanda videntur.

CAPUT XV.

VARIÆ RATIONES REFERUNTUR QUAS inutiliter ad limitandum Benedictinum Ordinem Cointius adhibuit.

I. II. Nullam Sæculo ſeptimo Glannafolio eductam Coloniam Cointius ponit, ut Benedictina Monaſteria pauciſſima fuiſſe iiſdem temporibus fingat. Rursùs, ne S. Columbani Monaſteria Ordini Benedictino conjungat iterùm fingit omnia Benedictina Monaſteria educta Glannafolio fuiſſe. III. Silentium Jonæ quandò favet Cointio, firmiſſimi argumenti loco haberi debet; quandò verò nocet, leviſſimum eſt & nullum. IV. Vt Monaſteria dicantur inſtitutum ſervaſſe, ſatis eſt quod in Provinciis non longè à Luxovio conſtituta dicantur: Sed par non eſt ratio cum de Benedictinis agitur.

I. Hic tantiſper lectorem moror, ut ſummam Benedictinorum Adverſarii ſolertiam attentiùs conſideret. Hic enim Auctor, ut Ordinem noſtrum ſexto ſeptimoque Sæculo intrà Glannafolienſia clauſtra totum, aut penè totum concluderet, finxit nullum Glannafolio Monaſticum cætum ad fundanda nova Cœnobia fuiſſe deductum. *Illis verò temporibus*, inquit, *& quamdiù vixit B. Maurus, qui poſt prædicti Pontificis* [Ægidii Remenſis] *ſuperſtes adhuc fuit in vivis annos quatuordecim*, id eſt uſque ad annum ſexcenteſimum quartum, *nulla Monachorum Glanafolienſium Colonia ex Territorio Andegavenſi in Campaniam Remenſem perhibetur deducta..... Ergo ſanctus Baſolus Regulam S. Benedicti non eſt edoctus in Monaſterio Viriziaco.* Et ad an. 734. n. 76. *S. Maurus qui Regulam ſancti Benedicti primus in Gallias intulit, obiit anno Chriſti 604. Eo in vivis ſuperſtite nullam Glannafolio legimus eductam Monachorum Coloniam.* Unde etiam concludit ad annum 667. n. 20. quòd in Galliis *plurima Monaſteria Regulam ſancti Columbani, & perpauca Regulam ſancti Benedicti ſequebantur.*

Ad. an. 625. n. 80.

II. Ut verò eumdem Ordinem longiùs protenſum, Regulamque ſancti Benedicti eodem Sæculo ſeptimo florentiſſimam, coarctaret, novas adinvenit Glannafolienſes Colonias quibus plurima implerentur Benedictinorum Aſceteria, ne eadem ex Luxovienſi Monaſterio pullulaſſe dicerentur. *Acta ſanctæ Salabergæ præcitata*, inquit, *ſic interpretare: Ut agmina Monachorum per Gallias ex Regulâ dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaſſe credas, quoniam ut Glannafolienſe Monaſterium aliaque, Regulam S. Benedicti; ſic Luxovienſe aliaque, Regulam S. Columbani ſequebantur.* Et n. 69. *è Cœnobio Glannafolienſi prodierunt obſervatores Regulæ Benedictinæ; è Luxovienſi, prodierunt alumni S. Columbani.* A quibus autem Auctoribus didicerit nullos Glannafolio ſexto Sæculo ſeu *quamdiù vixit B. Maurus* ad informanda Monaſteria emiſſos eſſe Monachos, multos verò Sæculo ſeptimo, adhuc eſt incompertum, idque fortaſſe nos docebit in futu-

Ad. an. 734. n. 102.

ris Annalium tomis, niſi fortè ſatis eſſe putet ad utramque ſtabiliendam opinionem, quod ipſe dixerit. Ut ut ſit: Non video quomodo inter ſe-ſe conveniant, quòd Sæculo ſeptimo cum variæ cuſtodirentur Regulæ perpauca Monaſteria Regulam S. Benedicti ſecuta fuerint, ut ferunt Annales ad an. 667. n. 20. & eodem Sæculo, eâdemque SS. Philiberti & Vvalberti ætate, per omnes Galliarum Provincias innumera utriuſque ſexûs Monaſteria ex Regulâ S. Benedicti pullulaverint, ut iidem fatentur Annales ad an. 734. Item non video quâ ratione Regula SS. Patrum introducta fuerit à Cointio in Viriziacenſe Monaſterium cum nulla ab eo commemoretur SS. Patrum Colonia quæ Viriziacum inhabitaverit: Si enim Viriziacenſes Monachi inter Benedictinos non numerantur, quia nulli dantur Auctores qui referant ſanctum Maurum in agrum Remenſem colonias miſiſſe; eâdem ratione nunquam Regulam SS. Patrum ſuſcepiſſe dicendi videntur, cum nulli memorentur Monachi, qui eamdem Regulam Viriziacenſes Aſcetas docuiſſe dicantur. *NN. 69. & 102.*

III. Jonæ ſilentium contrà Benedictinos laudatum ſupremæ eſt authoritatis; ejus verò ſententiæ quantumlibet claræ & apertæ, ſi Cointianis ſunt oppoſitæ, nullius ſunt ponderis, ut ſuprà vidimus cap. 8. nn. 5. 6. & 7. Ipſum etiam Jonæ ſilentium, quo ſolo Cointius probat ſanctum Columbanum non fuiſſe Benedictinum, nihil omninò prodeſt Benedictinis Monachis ad aſſerendum inter eos ſanctum Leobardum, & multos alios, licet ſilentio Jonæ juventur & Chartas proferant quæ eos Benedictinis aſſignent. *Coccius*, inquit Annaliſta ad an. 586. n. 42. *veteres Chartas in quas incidit malè interpretatus Leobardum finxit ſancti Benedicti diſcipulum....... Sanè Leobardus, ut hac temporum ratio docet, in Monaſticis diſciplinis uſus eſt Magiſtro, non quidem ſancto Benedicto, qui pridem in Italiâ deceſſerat, ſed ſancto Columbano, qui cum ſociis in loco cui nomen Anagrates in Voſago monte à multis annis degebat.* Mira certè ratio! Quâ à proximitate Monaſteriorum de eorum inſtitutis judicandum cenſent Annales, licèt nullo Jonæ ſilentio aut teſtimonio juventur; & ipſe

S. Leobardus Monaſterium Cellenſe condiderit ex Coccio anno Chriſti 551. antequam S. Columbanus in Gallias veniret, & quadraginta fermè annis antequam Regulam, & Monaſterium Luxovienſe conderet: Immò ex Cointio Cœnobium Cellenſe à S. Leobardo conditum, Regulam S. Columbani antecedit ætate.

IV. Cæterùm ſi laudata ratio à proximitate locorum petita ſufficit, ut abraſis Chartis antiquis Monaſteria S. Columbani Regulæ concedamus: Cur vir doctiſſimus Vertavenſe Cœnobium à Benedictinis ſeparandum exiſtimat, & ſeparat ab inſtituto quod ſanctus Ebrulfus in Monaſterio Uticenſe Cœnobiis à B. Martino in inferiori Normanniâ conditis, proximum induxit? *Sed, inquit, S. Ebrulfo nihil commercii fuit cum ſancto Martino Abbate Vertavenſi ...... Et nulla familiaritas inter Beatos Maurum & Martinum legitur interceſſiſſe, quamvis Glannafolienſe Monaſterium cui Maurus S. Benedicti quondam diſcipulus præerat à Vertavenſi quod Martinus Abbas adminiſtrabat, bidui tantùm itinere diſtaret.* At ſi locorum approximatio ſufficit ad diſcernendam Monaſticam Aſceteriorum diſciplinam; Cur quæſo S. Martinus & ſanctus Ebrulfus qui in inferiori Normanniâ Monaſteria condiderunt, inſtitutis ſeparantur, & Vertavenſe aliam habet à Glannafolienſi Regulam, à quo bidui tantùm itinere diſtabat? Si verò hæc ratio flocci eſt habenda, niſi familiaritas inter illos ſanctos interceſſiſſe probetur: Cur cella ſancti Leobardi, ſancti Columbani Regulam accepiſſe dicitur, cum ſancto Leobardo nihil commercii fuerit cum ſancto Columbano? Sed fortè hæc eſt doctiſſimi viri differendi conſuetudo, ut iis rationibus rem ſuam agat, quæ in aliorum gratiam adhiberi non poſſint.

Eadem dicenda ſunt de Veiſſemburgenſe; Clingenſe; Sancti Germani, aliiſque à Dagoberto fundatis Monaſteriis, de quibus hæc habet Adverſarius noſter, ad. an. 642. n. 84. *Primi illorum Cœnobiorum Aſcetæ Regulam à S. Columbano præſcriptam obſervarunt, licèt Coccius ſuprà citatus Monaſterium Clingenſe Religionis è Divi Benedicti alumnis à Dagoberto Rege conceſſum ſcribat. Certè Luxovii*

Cellaque Leobardinæ viciñitas nos adegit, ut apud antiquiſſimos Monaſteriorum habitatores, quæ Dagobertus primus in Diæceſi Nemetenſi conſtruxit, Regulam ſancti Columbani viguiſſe pronunciemus. Et ad an. 673. *In illo Monaſterio* [Suburgenſi] *viguit primùm Regula ſancti Columbani, cui poſteà ſucceſſit Benedictina : Nec aliter ſentiendum de Regio-Pontano, Scuterano, aliiſque vicinis Monaſteriis, licèt aliter ſentiant Recentiores Auctores, qui Benedictinum inſtitutum à primo Monaſteriorum conditu, receptum ſcribunt.* Item Monaſteria Vallis Galileæ & S. Hidulfi ex albo Benedictinorum eraſit, ad an. 673. n. 14. & 676. n. 22. *Quia non procul diſtabant Luxovio.* Quod argumentum à vicinitate petitum ſi ſemel admiſerimus, timeo ne tandem etiam Glannafolienſe Cœnobium à Benedictinis inſtitutis ad Columbanicum defeciſſe videamus. Cæterùm ſi huic rationi adjunxerimus ſilentium Jonæ de Benedictinâ Regulâ, aliorumque ſcriptorum reticentiam, quâ ſempiternâ oblivione omnes è Glannafolio eductas Colonias obruerunt : Non modò nobis concedendum erit Regulam B. Benedicti in Columbani Monaſteria inductam non eſſe antè annum octuageſimum ſuprà ſexcenteſimum: Sed nullibi ad noſtra tempora per Gallias propagatam eſſe, cum nullos Monachos è Glannafolienſi Monaſterio ad nova fundanda Monaſteria immiſſos videamus. Quæ cum ſint ab omni ſpecie veri prorsùs aliena ; videat quæſo lector, quanti facienda ſunt ipſa principia, ex quibus tam falſæ poſitiones eruuntur.

Aliis quoque rationibus, ſed pariter infirmis Benedictinum Ordinem imminuit. Sanctum Junianum excluſit ab Ordine ad an. 559. n. 12. Quia ſancta Radegundis, quæ filia ſpiritualis ipſius erat, ſancti Cæſarii Regulam ſervabat. Monaſterium Theologienſe, ſeu Tabuleïenſe, Agaunenſium ſtatuta ſervaſſe voluit, quia in honorem S. Mauricii fundatum erat, ut habet ad an. 631. n. 13. Eodemque fundamento Bellilocenſe Cœnobium à Benedictinis abſtulit, eraſô prius nomine ſancti Benedicti à membranis antiquiſſimis, ut videre eſt ad an. 642. n. 65. Quibus ratiocinationibus nihil non potuit probare vir doctiſ-

ſimus. Sed ne videar Cointianis conatibus ſolus opponi, varios proferam Auctores, quorum authoritate Annalium moles immenſa prematur, & opinio mea firmetur.

CAPUT XVI.

AUTHORES REFERUNTUR QUI REGULAM S. Columbani Benedictinæ conjunctam, & Columbanum Benedictinum dixerunt.

I. Sanctus Columbanus ſe Benedictinum fatetur. II. Eum Benedictinum indigitant Patres Concilii Gallicani incerti loci, ad an. 615. III. Vnionem Regulæ S. Columbani cum Benedictinâ diplomata & privilegia ab anno 600. ad annum 725. confirmant: Et proinde ſanctum Columbanum inter Benedictinos collocant Babolenus Beſuenſis Abbas, ſanctus Romaricus, Jonas, ſanctus Eligius, ſanctus Bledegeſillus, ſanctus Emmo, S. Amandus, S. Bercharius, S. Nivardus, Berthefridus, Leodebodus, ſanctus Drauſcio, Deodatus, Bertoëndus, & Theodoricus Rex. IV. Ejuſdem opinionis fuerunt Dagobertus Rex, & ſancti Nivardus, & Audoënus; Clotharius, Carolus magnus & alii, &c. V. Paſchaſius Radbertus Vvalam Corbeïenſem Abbatem ejuſdem inſtituti cum ſancto Columbano fuiſſe aſſerit, & eumdem ſanctum Columbanum Benedictinum fatetur. VI. VII. Patres Concilii Pariſienſis anni 846. Regulam Benedictinam apud Luxovium ab initio floruiſſe dixerunt cum ſcripsêre Religionem quam S. Columbani diſcipuli apud Luxovium hauſerant, apud

Corbeïenſes inviolatam ad eadem tempora perſeveraſſe. VIII. IX. X. Idem præſtant Patres Concilii Sueſſionenſis anni 866. cum Chartam ſeu Privilegium ſancti Eligii iiſdem verbis quibus conditum fuerat, innovant. XI. Frodoardus Remenſis hiſtoriæ fideliſſimus ſcriptor hanc veritatem ab omnibus receptam ſupponit, cum refert fundationem Altivillarenſis Cœnobii ſub utrâque SS. Benedicti & Columbani Regulâ factam, nullâ in oppoſitum allatâ ratione quâ Privilegium Altivillarenſe Nivardi propugnet. XII. Arnulfus magnus Flandriæ Comes ad an. 937. Sanctum Amandum, & conſequenter ſanctum Columbanum Benedictinos ſcribit. XIII. Silveſter 2. ſanctum Columbanum Patrem ſuum agnoſcit. Idem faciunt Moliſmenſes Monachi. XIV. Idem poſitivè aſſerunt Trithemius & alii, ſed maximè Genebrardus. XV. Stengelius, contrariâ opinione dimiſsâ, Columbanum inter Benedictinos numerat. XVI. Carolus du Freſne Dominus du Cange, per Regulam ſanctam, Benedictinam; & per Regulam SS. Patrum, ſanctorum Benedicti & Columbani intelligit, & utrâque ratione ſanctum Columbanum Benedictinis adjungit. XVII. Huic opinioni etiam favent, Vſſerius Armachanus, Patricius Flemmingus. XVIII. Vir doctiſſimus Ludovicus Thomaſſin. XIX. *Opinio noſtra tandem firmatur veneratione, quâ Benedictina Monaſteria, ſive ſuperiora, ſive æqualia, ſive poſteriora Luxovienſi fuerint, feſtum ſancti Columbani coluêre.* XX. *Ex quibus omnibus, Auctores ſancto*

X

Columbano æquales, ſuppares, & poſteriores, ad noſtra tempora opinionem noſtram auxiſſe, & ad veritatis perſpicuæ rationem duxiſſe conſtat. XXI. *Totius capitis concluſio formatur.*

I. SANCTUS Columbanus primus omnium occurrit, qui ſe-ipſum Benedictinum fateatur. Id aſſerere comperitur in ſuæ Regulæ Præfatione, quam in Benedictinæ ſupplementum ſe condidiſſe commemorat : Idque toties teſtatur, quoties ſecundùm leges Benedictinas, Pueros, modô à ſancto Benedicto præſcripto, recepit; Cæteraque præſtitit quæ ſuprà cap. 6. commemoravimus.

II. Patres Concilii Gallicani incerti loci ad an. 615. Sanctum Columbanum inter Benedictinos etiam numeravêre, cùm ejuſdem ſancti diſcipulos, ab ejuſdem peculiaribus inſtitutis, quibus ſeparatis cellulis vivere licebat, ad Benedictinæ Regulæ in communi Dormitorio cubandi morem revocaverunt.

III. Regulam S Columbani S. Benedicti Regulæ, à Luxovienſis Monaſterii primordiis additam, probant Cœnobii Beſuenſis initia, quæ ad annum ſexcenteſimum vivente ſancto Columbano, poſita cenſet vir toto Orbe clariſſimus D. Lucas Dacherius: aut ſaltem ad annum decimum ſextum poſt ſexcenteſimum, biennio aut triennio à S. Columbani morte, ut Adverſarius noſter opinatur: Nam Valdalenus primus Beſuenſis Abbas, ſancti Columbani diſcipulus, & omnium primus qui Monaſterium ex ejuſdem diſciplinâ condidit, ſcripſiſſe fertur Parentes ſuos Beſuam ædificaſſe ut Monachos ibidem ſecundùm SS. Benedicti & Columbani Regulam adunarent, ut ſuprà diximus cap. 8. n. 2. Sanctus Romaricus Habendenſe Monaſterium conſtruxit ex Regulâ S. Columbani, ut Jonas ſcribit in vitâ S. Euſtaſii. Ipſe verò S. Romaricus habet in ejuſdem Monaſterii dotatione, ſancti Benedicti Regulam ibidem impoſitam fuiſſe : quæ duo pariter veritate niti poſſumus affirmare : Et Habendenſe ad inſtar Beſuenſis ſub utrâque conditum nullo erroris

periculo dicere poſſumus, quod pluribus ſuprà cap. 10. n. 8. explanavimus. Jonas Actorum SS. Euſtaſiii, Attalæ, & Bertulfi ſcriptor, in S. Euſtaſii vitâ plura Monaſteria poſt Concilium Matiſconenſe, ex Regulâ ſancti Columbani ædificata poſuit, eodem ſenſu procul-dubio loquutus quo Vvaldalenus & S. Romaricus: Quam-obrem ejus ſilentium rumpere licet, ſi velis, ſeu potius interpretari potes actorum ſanctæ Salabergæ ſubſidio, & aliorum ſanctorum, quos continuò recenſere debemus: Qui omnes eadem conſtructa poſt Matiſconenſe Concilium Cœnobia SS. Benedicti & Columbani Regulæ addicta dixêre. Sanctus Eligius in ſuo teſtamento ad annum 631. aut 32. Solemniacenſe Monaſterium ditat eâ conditione interpoſitâ, ut *Regulam Beatiſſimorum Patrum Benedicti & Columbani firmiter teneant.* Blidegeſillus Monaſterii Foſſatenſis conditor anno Chriſti 642. decernit, ut ſanctus Babolenus primus Foſſatenſis Abbas, & omnes ſucceſſores ejus, *ſub Regulâ SS. Benedicti, àd modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii Domino Chriſto valeant devotiſſimè famulari.* Monachi ſancti Petri vivi ad annum 658. teſte ſancto Emmone in Privilegio eidem Monaſterio iiſdem temporibus dato *ſub Regulâ ſancti Benedicti & modô Luxovienſi, devotâ mente deſiderabant conſiſtere.* Bariſiacenſe Monaſterium anno Chriſti 661. inchoatum, ut volunt Annales, à S. Amando Privilegium, prædiaque multa recepit; *ut ſub Regulâ Domni Benedicti, ſeu Domni Columbani converſaretur.* Sanctus Bercharius ad an. 662. à ſancto Nivardo Remenſi Præſule petiit & obtinuit *locellum*, ubi tam ipſe quàm ipſius diſcipuli, *ſecundùm Regulam Patrum ſancti Benedicti, & ſancti Columbani vivere deberent.* Eodem anno Berthefridus Ambianenſis Antiſtes, ſcripto Privilegio Corbeïenſibus Monachis concedit: *Vt Monachi ibidem degentes, ſub Regulâ SS. Patrum quieti converſari poſſint ..... Vt quieti ſub Regulâ ſanctâ ipſi Monachi vivere debeant, ad ipſum Monaſterium deſervientes .... Illud etiam addi placuit, ut ipſi Monachi ſub Regulâ ſancti Benedicti, vel ſancti Columbani converſari & vivere debeant.* Hoc ipſum

X ij

Privilegium memorat Drogo Epiſcopus Tarvanenſis apud Miræum in codice donationum cap. 56. Leodebodus Abbas ſancti Aniani ad muros Aurelianenſes in ſuo teſtamento ad an. 667. in Annalibus poſito. *Monaſterium*, inquit, *in honore ſancti Petri ædificare delibero, ubi jam dictus vir Dei, ſanctus videlicet Præſul Anianus, condignè jacet tumulatus, in quo Monachi juxtà Regulam ſanctiſſimi Benedicti & Domni Columbani conſiſtere debeant.* Sanctus Drauſcio Sueſſionenſis Epiſcopus, ſanctæ Mariæ ejuſdem urbis Monialibus Privilegium indulſit. *Vt infra ſepta Monaſterii Virgines debeant Domino militare, ſecundùm votum ſæpè dictorum Deum timentium, qui conſtruxerunt Regulam & curſum ſancti Benedicti ...... ad modum Luxovienſis Monaſterii, quem Beatus Columbanus tenuit.* Quod Privilegium habetur in hiſtoriâ Gallicanâ Parthenonis Sueſſionenſis per R. Patrem Domnum Michaëlem Germain, Studiorum doctiſſimi D. Joannis Mabillonij fidum & doctum adjutorem compoſitâ. Sanctus Deodatus Epiſcopus Nivernenſis, ut habetur in ejuſdem vitâ ad an. 673. Apud Cointium. *Sancti deſiderii ardore ſuccenſus, Reverendus Deodatus Epiſcopus in valle Galileæ, Cœnobia apud juncturas conſtruxit primus, ubi Monachos vel peregrinos ſub ſanctiſſimorum Patrum Benedicti & Columbani Regulâ victuros deliberabat collocare devotus.* Bertoëndus Catalaunenſis Epiſcopus in Privilegio Dervenſi Monaſterio ad an. 694. dato, decernit, *ut ſi Congregationes dictorum Monaſteriorum Dervenſium tepidè egerint, ſecundùm Regulam S. Benedicti, vel Domni Columbani ab eorum Abbate, Abbatiſsâvè corrigantur.* Theodericus Rex, ad an. 725. n. 26. apud Cointium. *Liceat ei*, Mauro Leobardinæ Cellæ Abbati, *ſuiſque omnibus ſub immunitatis titulo....cum omnibus rebus ſuis, & Monaſterii ſui ſecundùm normam Patrum Domini Benedicti & Columbani quietos reſidere atque ſecuros.*

Spicil. tom. 10.

Quos omnes Auctores percurrendos volui, ut eorum cumulo preſſi lectores, aut oppreſſi, vel tandem ſentiant, quàm verè vitæ ſanctæ Salabergæ Anonymus Auctor ſcripſerit olim; Quòd ætate ſancti Vvalberti, *per*

Galliarum Provincias agmina Monachorum ac ſacrarum Virginum examina ..... Ex Regulâ dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperunt. Licèt enim Luxovienſia Monaſteria, aut etiam Beſuenſe ſancto Vvalberto antiquiora fuiſſe fateamur: Verum eſt tamen, inſtitutum ſancti Columbani Benedictinâ Regulâ corroboratum, à ſolo ſancti Vvalberti tempore ſurculos edidiſſe, qui totum Orbem Gallicum obumbrarent. Quâ Anonymi authoritate adeò quoque decidunt omnes oppoſitæ nobis opiniones, ut iterùm ſuſtentari non poſſe videantur: Maximè cum ſilentium Jonæ clarâ & apertâ Anonymi ſententiâ illuſtratum fuerit ſuprà cap. 10. ejuſdem Anonymi fides aſſerta; Jonæ Authori ſaltem æquata fuerit cap. 9. n. 13. hîc iterùm n. 11. hoc ipſum Jonæ ſilentium Frodoardi teſtimonio colluſtratum, & novo lumine undique perfuſum debeamus exponere, meminerit etiam Lector eorum quæ diximus cap. 9. nn. 3. & 4.

IV. Ejuſdem opinionis fuerunt Dagobertus Rex & iterum SS. Nivardus & Audoënus, Clotharius tertius, cæterique omnes, qui ſanctæ Regulæ, ſeu ſanctorum Patrum Regulæ vocabulo Benedictinam, aut ſolitariè ſumptam, aut cum Columbanicâ conjunctam intellexerunt, ut fuſiùs ſuprà cap. undecimo: Quod vocari non poteſt in dubium. Sequenti capite, Caroli magni & Conciliorum Sæculo octavo, & ſub initium noni coactorum authoritate, eamdem concluſionem probabo. Interea ad Auctores Sæculi noni venio.

V. Paſchaſius Radbertus, in Elogio Vvalæ Corbeïenſis Abbatis, ſanctum Columbanum inter Benedictinos recenſet: Vvalam enim apud Bobienſes commorantem aut quaſi exulantem, cum ſancto Columbano confert his verbis. *Nec igitur,* inquit, *abs re factum crediderim, ut pariter una domus ambiret, unaque vicinitas ſepulturæ commendaret, quos una Religio tenuit; æqua pene tentatio à ſuis quaſi peregrinos expulit ſedibus, & Italiam fugavit. Fuerunt enim duæ Reginæ non diſpari nequitiâ quæ hoc fecerunt, non uno in tempore, ſed ſub uno impietatis ſcelere* *Lib. 2. cap. 23. Sæc. 4. Bened. parte 1.*

conjunctæ & conſociatæ : Quæ pro conſimili zelo non ferentes ſanctos viros earum conſimilem reprehendere nequitiam neſandam ſatis ; neque in aliquo contraïre : Idcirco coëgerunt dolo & fraudibus eos inſidiando, ut relictis, in quibus præerant, propriis Cænobiis, Auxoniam peterent. Quâ demum quorum una fuit converſatio & ſi parùm diſpar cauſa, una Religio, unaque fuga inſidiarum duarum mulierum, una eſſet quies laboris, & ſepultura funeris. Una ergo eademque Religio, utrumque, Vvalam ſcilicet & Columbanum tenuit ; una eademque fuit utriuſque converſatio Monaſtica: Ergo una eademque Regula, ratioque vivendi : Cùm verò Vvala Benedictinus fuerit ; ita quoque & Columbanus, qui eamdem tenuit Religionem.

VI. Patres Concilii Pariſienſis ad an. 846. teſtantur (ut aliàs dixi) Corbeïenſes Monachos, *ſacræ Religionis normam, quam primo tempore ſuſceperant, inviolatam deinceps retinuiſſe : In tantum ut eos qui ſe fundaverunt, non modò æquaverint Religione, ſed etiam pene ſuperaverint.* Ex quo fit conſequens eoſdem Benedictinam quam anno 846. ſervabant, à Luxovienſibus ſuſcepiſſe, cum à S. Vvalberto primum Abbatem acceperint. Quam inductionem eluſit vir doctiſſimus, dicendo quòd *Patres Concilii per ſacræ Religionis normam, non peculiarem quamdam ſeu ſancti Benedicti, ſeu ſancti Columbani Regulam, ſed generaliter Monaſticam vitam intelligunt.* Quibus verbis innuere videtur Corbeïenſes Alumnos ante annum 646. à ſancti Columbani inſtitutis ad Benedictina tranſiiſſe : Aliàs concluſio à me elicita, eadem ſemper maneret : ſed Pergratum faceret Annalium Auctor, ſi hujuſce mutationis tempora notaret, & aliquem daret Auctorem qui diceret, Corbeïenſe Monaſterium non eodem ſemper inſtituto vixiſſe ante annum 846. Accedit eodem quòd ex hac interpretatione maneat, Monaſticam vitam ſaltem generaliter ſumptam inviolabiliter à Corbeïenſibus Monachis ad annum 846. conſervatam fuiſſe. Eâdem etiam ratione manere debet Corbeïenſes Monachos ſpecialem Regulam quâ ab initio fuerunt adſtricti inviolatam retinuiſſe eo omni tempore quo ad eamdem

ſervandam fuerunt obligati. Quâ enim ratione fieri poteſt ut quadringenti Monachi (tot enim ſemper fuerant Corbeïenſes Aſcetæ ad tempora ſancti Paſchaſii, ut ex ſancto Adalhardo diſcimus) unâ parique voluntate à Regulâ quam ſemper inviolatam ſervaverunt, cujuſque votis tenebantur aſtricti deficere potuerint, ut novam, & Columbanicæ oppoſitam, ut volunt Annales, amplecterentur. Certè hoc non eſt, moraliter loquendo, poſſibile: Neque moris eſt Eccleſiæ, ut reſciſſis prioribus votis ritè ſervatis ad nova promittenda Monachos adigat. Dicendum eſt ergo quòd cum Corbeïenſes Monachi Benedictini fuerint ad an. 846. nec unquam à primâ Corbeïenſi Conſtitutione aberraverint à perfectione Monaſticâ, aut à Regulâ cui primò nomina dederunt: Dicendum, inquam, eos ſemper inter Benedictinos fuiſſe numerandos.

Spicil. Tom. 4.

Id confirmatur ex alterâ doctiſſimi viri poſitione, quâ tenet, nullam Monachos novam Regulam amplecti ſolere, quamdiù primam quam acceperunt, integram & inviolatam diligentiſſimè colunt. Id enim ſupponit ad an. 559. n. 2. ubi dicit: *Benedictinos Religioſæ vigore diſciplinæ ferventes, in variis variorum Ordinum Cænobiis, collapſam ſanctimoniam reſtauraſſe.* Et ad an. 667. n. 20. ubi vult, inſtitutum ſancti Benedicti, in ſancti Columbani Monaſteria inductum, eò ſolum tempore quô eorumdem Monaſteriorum Sodales *remiſſo Religionis fervore torpeſcerent.* Perinde quaſi cenſeret eſſe impoſſibile ut Aſcetæ, qui eam quam promiſerunt Regulam ſtudioſiſſimè ſervant, ab eâdem ſolo voluntatis arbitrio moti deficiant, & aliam quam non promiſerunt velint amplecti. Quæ cum ità ſint, & Corbeïenſes Monachi *ſacræ Religionis normam, quam primo tempore ſuſceperant, inviolatam deinceps retinuerint.* Dicendum eſt eos ante annum 846. Religionis fervorem non remiſiſſe, nec torpuiſſe, & conſequenter nullam novam accepiſſe Regulam, quam converſionis initio non promiſerant: Quamobrem, cum certò ſciamus Benedictinum inſtitutum ad an. 846. apud Corbeïam ſervatum eſſe: Dicendum, hoc ipſum etiam

inſtitutum ab initio Corbeïenſis Aſceterii ibidem imperatum.

VII. Tandem Benedictinas leges Corbeïenſibus Aſcetis, à primo Monaſterii principio datas, teſtantur verba quibus ſanctus Paſchaſius à Patribus Concilii privilegium expetiit. *Venerabilis Frater noſter Radbertus Abbas Corbeïenſis Monaſterii*, inquiunt Patres, *obtulit nobis ſacras litteras piiſſimorum Principum .... Quibus cautum eſt, ut ipſum Monaſterium ſecundùm antiquum morem jam inde à principio cuſtoditum electionis gratiam, & rerum ſuarum diſpenſationis libertatem haberet.* Quis verò fuerit ille mos Abbatis eligendi, & diſponendi de rebus Monaſterii: Ex Theodorici Regis diplomate, ad an. 691. dati, novimus, quo conceſſum eſt *Eremberto Corbeïenſium Abbati ut haberet poteſtatem de totâ Congregatione Monaſterii....... Vel de eorum rebus & poſſeſſionibus ſicut ſancta Regula* [Benedictina ſcilicet] *docet.* Quapropter ipſum Concilium decernit, *Ut ſit in illo Monaſterio ſemper privilegium electionis. Sicut antiquitùs in Eccleſiis electio conſervata fuit, non ſuppoſita, aut ſuffecta: Sed libera juxtà authoritatem Canonicam, & Regulam ſancti Benedicti.* Ergo ex Theoderico tertio Rege, & ex Concilii Patribus, mos ille antiquus à principio cuſtoditus, is ipſe eſt quo juxtà authoritatem canonicam & Regulam S. Benedicti, Abbatum fiebat electio, eiſque libera rerum ſuarum diſpoſitio tribuebatur.

VIII. Patres Concilii Sueſſionenſis anni 866. in innovatione Privilegiorum Solemniacenſis Monaſterii, quæ *Normannorum crudelitate graſſante fuerant concremata*, ſic loquuntur. *Innotuit Regiæ dignitati, noſtræque Synodo reſidenti qualiter vir venerabilis atque Beatiſſimus Eligius Viromandenſis Eccleſiæ Epiſcopus, amore ſupernæ hæreditatis accenſus Cœnobium ipſum quod Solemniacus vocatur.... Suo opere ædificare ſategit.... Eo videlicet tenore: Quatenus ſub tuitione..... Dagoberti Regis.... viverent. Et normam ſancti Benedicti inviolabiliter tenerent.* Quæ verba iis quæ in teſtamento ſancti Eligii leguntur, conſona ſunt. Nam ſanctus Eligius Solemniacum dotat. *Eâ tamen*

men conditione interpoſitâ, ut vos, vel ſucceſſores veſtri, inquit..... *Regulam Beatiſſimorum Patrum Benedicti & Columbani firmiter teneatis, & nullam poteſtatem, nullumque jus Epiſcopus, vel qualibet alia perſona in præfato Monaſterio, neque in rebus, neque in perſonis, niſi tantùm glorioſiſſimus Princeps penitus ſit habiturus.* Quæ ſatis declarant, verba Patrum ex Apographo S. Eligii teſtamenti fuiſſe deſumpta.

IX. Huic Privilegio reponunt Annales ad an. 734. n. 40. quòd *Bernardus Abbas*, ſolus, *expoſuit iſtud Cœnobium eâ conditione fundatum fuiſſe ſub Dagoberto magno, ut Aſcetæ normam ſancti Benedicti inviolabiliter tenerent.* Unde ſubinfert: *Lis igitur non ipſius Bernardi judicio, qui Chartam fundationis Solemniacenſis præ manibus non habuit, Sed judicio dirimenda vetuſtiorum Auctorum. Cæteros autem antecellit, qui potiſſimùm conſulendus, Ionas in vitâ S. Euſtaſii*.. In quâ reſponſione multa notanda videntur. Primò, vir doctiſſimus pro ſummâ quâ valet auctoritate fidem Bernardi Abbatis rejiciendam putat: Perinde quaſi decepiſſet Carolum Regem, & omnes Concilii Patres induxiſſet in fraudem: Quâ ratione Bernardum falſi arguit, & Regem & Pontifices nimiæ credulitatis incuſat. Quod objectum in Bernardum, & in Pontifices probrum, falſum, temerariumque judicabis, ſi cogitaveris inter triginta tres Epiſcopos, ex quibus Synodus compoſita fuit, numerari Hincmarum utrumque, Remenſem & Laudunenſem, Remigium Lugdunenſem, Æneam Pariſienſem, Odonem Belvacenſem, Iſaac Lingonenſem, Actardum Nannetenſem, & alios viginti ſex Galliarum doctiſſimos quos in rebus Monaſticis æquè ac politicis peritiſſimos habuêre Majores noſtri, quos nec decipi à Bernardo, nec poſteritatem decipere potuiſſe, debemus credere. Secundò nos remittunt Annales ad Auctores Bernardo antiquiores, quorum omnium loco nobis obtrudunt mutum Jonæ, dubiæ fidei Auctoris, teſtimonium, ut ſuprà cap. 9. nn. 5. 6. 7. ex ipſo Cointio demonſtravimus.

X. Tertiò, Cointius ex Chartarum Solemniacenſium

conflagratione nobis perſuadere nititur, nullum Eligiani teſtamenti ſincerum exemplar, ignes Normannicos evaſiſſe: Sed cum illud ipſum Apographum poſt octo à Normannorum perſecutione ſæcula adhuc integrum nobis Solemniacenſes Aſcetæ ſuppeditaverint; eademque in ipſo reperiantur, quæ in Privilegio Sueſſionico legimus; Quid dicendum reſtat niſi quòd ſancti Eligii teſtamentum, Bernardum Abbatem à falſi ſuſpicione vendicet; Et quòd Privilegium ſeu teſtamentum quô de agitur, jam ab octingentis annis à Synodo triginta trium celeberrimorum Antiſtitum approbatum fuiſſe tandem videamus? Accedit huc quod nemo vocare poteſt in dubium, quin Bernardus Abbas Solemniacenſis, & triginta tres Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui eidem fidem habuêre, quibuſque innotuit normam ſancti Benedicti ſancto Eligio Solemniacenſibus impoſitam, haberi debeant pro Auctoribûs graviſſimis, qui Solemniacenſe Monaſterium ab initio Benedictinum, & conſequenter ſanctum Columbanum ejuſdem inſtituti cultorem fuiſſe jam ab octingentis annis dixerunt.

XI. Frodoardus lib. 2. cap. 7. de ſancto Nivardo loquens; *conſtruxit*, inquit, *Monaſterium quod dicitur Altum villare petente Berchario Abbate, qui ab eo petierat locum ſibi dari, ubi cum fratribus ſuis Monachis ſub Regulâ Patrum ſancti Benedicti & ſancti Columbani vivere poſſet.* Cui tantò majorem fidem habere debemus, quantò certiùs ſcimus ipſum hiſtoriam Remenſem ex Archivis Remenſibus, quorum erat ordinarius cuſtos, hauſiſſe, & ex iis Altivillarenſe privilegium deprompſiſſe antequam expilatum eſſet Remenſe tabularium: Neque dici poteſt, ut ab Adverſariis fingi conſuevit, cùm variorum Authorum teſtimonia volunt effringere, dici non poteſt, inquam, Frodoardum, aut opera Jonæ, vitam ſcilicet S. Columbani, & diſcipulorum ejus, Euſtaſii, Attalæ & Bertulfi ignoraſſe, aut majori ſtudio ſanctum Benedictum quàm ſanctum Columbanum coluiſſe: Nam Jonæ lucubrationes omnes non modò legit, ſed & metricè reddidit; idque tantâ fide, ut omiſſum à Jonâ ſancti

Benedicti ejuſque Regulæ nomen, ipſe pariter omiſerit: Quò fit ut pro certò habere debeamus, eumdem Frodoardum in laudatione Altivillarenſis Privilegii numquam ſancti Benedicti ejuſque Regulæ vocabulum cum ſancti Columbani nomine copulaturum fuiſſe niſi eadem in Archetypo privilegii, conjuncta reperiſſet: Neque etiam dixiſſet ſanctum Bercharium ſub Regulâ Patrum S. Benedicti & S. Columbani vixiſſe, niſi eâ de re in ipſo privilegio aut in actis ejuſdem ſancti Bercharii certior fuiſſet effectus. Neque dicendus eſt Frodoardus in Benedictinos propenſior; tantùm enim abfuit ab Ordinis ſui nimiâ laudatione, ut nullibi ſe ſancti Benedicti diſcipulum dixerit: quin immo ſancti Columbani diſcipulos in eô, ſancti Benedicti propriis alumnis prætuliſſe videtur, quod iſtorum acta penitùs omiſerit; Illorum verò vitas à Jona ſolutâ oratione compoſitas, ſtrictâ reddiderit. Quæ cum ità ſint, nullius Auctoris teſtimonium, in re quâ de agitur, Frodoardi ſententiæ præferendum exiſtimo; Neque capio quibus oculis in Jonæ lucubrationibus, ſeu potiùs in Jonæ ſilentio Annalium conditor, aliique pauci numero, videre potuerint inſtitutum ſancti Columbani à Benedictino diſtinctum, cum vir tantus, Frodoardus ſcilicet, Cointio octingentis ferè annis antiquior, qui tot annis propiùs ad Jonam, & ad tempora de quibus loquitur, accedit; nihil in Jonâ ſive loquente, ſive tacente viderit, quòd utriuſque ſancti Regularum unionem, aut excluderet, aut impediret, aut quod eum ab eâdem admittendâ conjunctione deterrere videretur:

XII. Arnulfus magnus Flandriæ Comes ad an. 937. Monaſterio Blandinienſi à B. Amando fundato, quædam prædia reſtituit ſpeciali Chartâ, quæ eſt 53. apud Miræum in notitiâ Eccleſiarum Belgii, in quâ hæc habentur. *Hæc cuncta obtineat perpetualiter cum ſuo Abbate Monachorum Caterva: Cupio namque omni tempore ævi ſæpèfato Monaſterio Monachos Chriſto ancillari, ut actum eſt tempore ſancti Amandi, ſecundùm normam ſancti Benedicti viventes.* Quæ proinde norma ſancti Benedicti in Monaſteriis à ſancto Amando ſecundùm Luxovienſium

morem conditis, vigebat,eo tempore quo ſanctus Amandus eadem inhabitabat.

XIII. Gerbertus Monachus Benedictinus, qui Silveſter ſecundus inter ſummos Pontifices fuit appellatus, ſanctum Columbanum Patrem ſuum fuiſſe dixit. *Crebris itineribus*, inquit epiſtolâ 130. *Patris mei Columbani pro viribus executus ſum*, quo nomine eum appellavit, non ratione dignitatis Abbatialis ſed profeſſionis, quæ utrique communis fuerat. Hîc commemorare poteram ſententiam Moliſmenſium Monachorum, & Orderici Vitalis de ſancti Columbani Regulâ quam Benedictinæ conjunctam videbant: Sed cum de eâdem priùs cap. 5. nn. 9. 10. 11. dixerim, hîc prætereundam ſilentio duxi; meminerit tantùm lector, ſancti Columbani leges tunc temporis solùm Monaſticarum conſuetudinum nomen habuiſſe, nec ex æquo Monachis impoſitas.

XIV. Eamdem quam propugno veritatem admittunt Trithemius, Arnoldus Vvion, Menardus, Renerius in Benedictinorum Apoſtolatu in Angliâ, Symphorianus Guyonius in Gallicâ Aurelianenſi hiſtoriâ, editâ anno 1647. ſub Leodegario Aurelianenſi Præſule. His autem omnibus longè præferendus Genebrardus, his verbis mentem ſuam aperit ad annum 628. *Præcipui Columbani ſocii & diſcipuli extitère, Gallus qui in Helvetiâ conſedit, Ionas, Romanus, Romaricus, Leodegarius, quos conſecuti ſunt Arbogaſtus, Amandus & alii innumerabiles, qui ſequentibus ſæculis è Monaſteriis ad Epiſcopatus extracti ſunt, & Reliquum Septentrionem converterunt. Erant autem omnes Benedictinæ formæ: Nam occidens vix ullos alios agnovit ante annum milleſimum quinquageſimum, ut Oriens in hunc uſque diem nonniſi Baſilii ſectatores.*

XV. Inter ſuperiores Authores numerandus eſt Stengelius Anhuſanus, cum aliis plurimis,quos laudat,qui lectione Præfationis in Regulam ſancti Columbani ab opinione Adverſariorum noſtrorum deducti, eam quam tuemur amplexati fuerunt,ut diximus.

XVI. His omnibus adjungendus eſt vir doctiſſimus Carolus Dufreſne, Dominus du Cange in ſuo Gloſſario

ad ſcriptores mediæ & infimæ latinitatis, ubi ſanctæ Regulæ nomine, ſexto ſeptimoque Sæculo, Benedictinam intelligi cenſet, & per Regulam ſanctorum Patrum, eamdem S. Benedicti Regulam cum ſancti Columbani normâ conjunctam iiſdem ſæculis deſignari confirmat, laudatâ in eam rem Diſſertatione quam Cointius toties impugnavit. *Regula ſancta*, inquit, *eadem quæ ſancti Benedicti*. Tum diverſis authoritatibus laudatis; *id multis vir doctiſſimus laudavit D. Philippus Baſtide Benedictinus, in Diſſertatione de antiquâ Ordinis S. Benedicti Propagatione cap. 7. Et ante eum Sandovallius*, &c. Item : *Regula SS. Patrum ſanctorum Benedicti ſcilicet & Columbani, vide eumdem Baſtidum cap. 8. & Ioannem Mabillonum, in præf. ad 4. tomum vitarum Sanctorum Ordinis ſancti Benedicti n. 37.* At nemo Regulam ſanctam, & Regulam ſanctorum Patrum eo modo, meoque ſenſu, poteſt interpretari, quin Regulam ſancti Columbani iiſdem ſæculis, Benedictinæ ſupplementum, eidemque conjunctam fateatur : Cum id unum iiſdem ſeptimo octavoque Diſſertationis capite conſequi voluerim.

XVII. In opinionis meæ defenſionem hîc etiam adduco doctiſſimos viros Uſſerium Armachanum, Patricium Flemmingum, & R. Patrem Ludovicum Thomaſſin Oratorii Jeſu Preſbiterum ; qui, licèt teneant ſanctum Columbanum numquam inter Benedictinos Monachos fuiſſe numeratum, Nobis plurimùm favent, dum aſſerunt utriuſque Legiſlatoris Regulas ſeptimo Sæculo ad invicem in eiſdem Aſceteriis unitas. Quâ poſitione doctiſſimi viri Cointii conatibus plurimùm adverſantur; Si quidem ipſa Regularum unio ab ipſis admiſſa, erroris arguit eos, qui tantam inter utramque Regulam oppoſitionem ineſſe ſomniant, ut communiter obſervari non poſſint. Secundò, fundamentum Cointianum à ſilentio Jonæ petitum totum evertunt ; & hac everſione omnes ejuſdem de ſancti Columbani Monachatu opiniones funditùs delent: Nam ſi Monachi Luxovienſes ſub ſancto Euſtaſio, Moniales ſub ſancto Romarico, Malmundarienſes, & Stabulenſes ſub ſancto Remaclo, Ge-

meticenſes ſub ſancto Philiberto, aliique plures ſub inſtituto communi ſancti ſcilicet Benedicti & S. Columbani vixerunt, ut vult Patricius Flemmingus; Et ſi omnia Monaſteria à ſancto Euſtaſio, aliiſque ſancti Columbani diſcipulis, ſub utriuſque Regulæ legibus fuerunt ædificata, ut idem ipſe fatetur: Certè ſilentium Jonæ mutum prorsùs remanebit: Nec eorumdem Patrum inſtituta dicet unquam fuiſſe ſeparata, & ab invicem disjuncta; immò expuncta ab Annaliſtâ Francorum diplomata, reſtituenda erunt in integrum, & S. Benedicti nomine iterùm replenda.

Diſſertatione de S. Columb. Profeſſ. 69.

XVIII. Eadem inferenda videntur ex opinione clariſſimi viri Thomaſſin Annaliſtæ contubernalis, & ejuſdem Congregationis cum ipſo Cointio, qui omnia diplomata, quæ de utriuſque Regulæ conjunctione loquuntur, aut eamdem ſupponunt, pro veris habet; & Benedictinam Regulam à diſcipulis ſancti Columbani admiſſam tenet, laudatque Frodoardum de fundatione Altivillarenſis Cœnobii loquentem, Privilegiumque S. Nivardi referentem. Ex quo Privilegio, plura opinionis meæ fundamenta deſumpſi, ut videre eſt ſuprà, eaque adeò clara & ſolida, ut mihi quidem videtur, ut admiſſo ſemel Privilegio, nullâ vi, nulliſque cavillationibus dejici poſſint: Iiſque admiſſis, non modò patet ſancti Columbani diſcipulos inter Benedictinos reponendos, ſed ipſum eorumdem Magiſtrum Benedictinum fuiſſe concedendum; maximè cum nulla dari poſſit ratio quâ conſtet ſanctum Columbanum ipſiuſque Diſcipulos non iiſdem Regularibus inſtitutis vixiſſe: Et aliunde conſtet vivente ſancto Columbano, aut ſaltem altero ab ipſius obitu anno, ſancti Benedicti inſtitutum unà cum ſancti Columbani Regulâ Beſuenſibus Monachis impoſitum, ut probatum eſt ſuprà. Cumque Valdalenus Monachus Luxovienſis, & ex præcipuis ſancti Columbani diſcipulis unus, idem inſtitutum in Beſuenſe Monaſterium ex Luxovienſi tranſtulerit: Neceſſariò dicendum videtur eumdem ipſum ſanctum Columbanum, hanc ipſam ſancti Benedicti Regulam Valdalenum docuiſſe, eamdemque ſervaſſe, &

Lib. 1. pag. 2. cap. 37. de diſcip. Eccleſ. 2. edit.

Cap. 7.

nonniſi conſuetudinibus in ſui ipſius Regulis contentis cumulaſſe. Quæ omnia ex principiis ab iſtis tribus Auctoribus, Euſſerio ſcilicet, Flemmingo, & Thomaſſino laudatis, illatione neceſſariâ, meo quidem judicio, conſequuntur.

XIX. Tandem Auctoritate generali, quæ Auctores habet infinito penè numero, ſanctum Columbanum in Benedictinorum album reſtituo: hujuſce enim rei omnes propè Monachos Gallicanos qui ab ejus temporibus ad noſtra vixêre teſtes adduco. Nam perlectis quantâ potui curâ Monaſteriorum Kalendariis, nulla ferè reperi, quæ ſanctum Columbanum non eodem ritu quo ſanctum Maurum colendum referat. Omiſſis enim Monaſteriis quæ ab eodem ſancto aut ab ejus diſcipulis Sæculo ſeptimo ortum habuêre: Cætera quantùm mihi licuit, ut modò dicebam, ſummâ curâ percurri, & reperi in Kalendariis Benignianis Divionenſibus, Moloſmenſibus, Sangermanenſibus Autiſiodorenſibus, S. Petri vivi, & ſanctæ Columbæ Senonenſibus, Majoris Monaſterii Turonenſibus, ſancti Theodorici juxtà Remos, ſanctique Baſoli: Feſtum S. Columbani his omnibus Aſceteriis, Luxovienſi antiquioribus imperatum fuiſſe. Eodem etiam cultu ſanctiſſimum virum coluêre Monaſteria Luxovio recentiora, licèt ſancti Columbani inſtitutionibus non fuerint addita: Ex quorum numero fuêre Cœnobia S. Dyoniſii in Franciâ, ſancti Remigii, ſanctique Nicaſii Remenſium, S. Remigii Senonenſis, ſancti Albini, SS. Sergii & Bacchi, S. Nicolai & Beatæ Mariæ de Aquariâ Andegavenſium, ſanctiſſimæ Trinitatis de Vindocino, ſanctique Michaëlis Tornodorenſis; quibus adjungenda cuncta Ordinum Cluniacenſis & Ciſtercienſis Cœnobia, quæ ſingulis annis feſtum ſancti Columbani celebravêre; qui cultus apud Benedictinos perſeveraſſe videtur ad uſque tempus quo Procuratores generales quarumdam Congregationum, & Monaſteriorum Benedictinorum, juſſu Clementis octavi ſummi Pontificis Romæ novo conſcribendo Breviario Monaſtico deſudarunt: Quorum unus San-gallenſis Abbatis Procurator ab aliis, ut fertur, tan-

dem obtinuit, ut ſancti Columbani feſto ſuppreſſo, ejuſdem loco ſancti Galli feſtum in novo Breviario poneretur. Quam injuriam ſanctiſſimo viro illatam, nullâ S. Galli injuriâ, propulſarunt Majores Congregationis ſancti Mauri Superiores, cum iterùm S. Columbani diem Feſtum die 24. Novembris coli mandavêre; idque fecêre in grati animi teſtimonium, quô cum in primum Ordinis Benedictini Reformatorem, ſummumque Propagatorem agnoſcerent.

XX. Ex eo decreto, & ex omnibus aliis variorum Monaſteriorum, & diverſorum Ordinum Kalendariis videtur innui in omnium Benedictinorum animis, ad noſtra tempora inſitum fuiſſe, & traditione perpetuâ probatum, ſanctum Columbanum Benedictinis legibus vixiſſe: Nullum enim ex omnibus ſanctis quorum nomina in Breviarii Romani Kalendario poſita fuêre, reperies, cujus feſtum Benedictini generaliter agant, niſi fuerit ipſe, non ſolùm Benedictinus, ſed inter Benedictinos inſignis multùm & commendandus: Qualis v. gr. S. Maurus, ſanctuſque Bernardus. Neque nobis opponant ſanctum Martinum Turonenſem Epiſcopum: Nam utraque Eccleſia, Latina ſcilicet & Græca, communi decreto, eumdem ſpeciali feſto colendum mandavit; ad inſtar S. Benedicti, qui ſpeciali cultu S. Martinum veneratus, alumnos ſuos ad ſimilem venerationem hortari videtur: aut ſaltem id præſtant ad imitationem S. Odonis Abbatis Cluniacenſis: Quâ de re ſic loquitur Uldaricus Cluniacenſium conſuetudinum ſcriptor. *Quod feſtivitatem B. Martini,* inquit cap. 43. *Hoc proceſſit à primo loci noſtri Abbate proprio, Domno ſcilicet Odone, qui Turonis Oriundus, ſancti Martini alumnus & Canonicus erat ibidem: Vnde Antiphonas non antiquas, ſed novas, quas modò cantamus in depoſitione ſancti Confeſſoris & Epiſcopi, ſuper nocturnos, ipſe fecit; ipſe hymnum; ipſe quoque, ut præmiſſum eſt, octavas ſuas indixit.* At prodigii loco habendum eſſet, ſi Benedictini tam longè diſſiti, per varias Galliarum Provincias disjuncti; nec ullo ſocietatis aut communionis vinculo ligati, proprio motu, nulliuſque

nulliuſque generali imperio aut conſideratione, per omnes ætates quæ à ſancti Columbani temporibus fluxerunt, eumdem ſanctum, ſi Benedictinus, aut inter Benedictinos ſingularis non eſſet, tam generali cultu venerarentur.

XXI. Dicamus ergo ſanctum Columbanum inter Benedictinos ſemper numeratum; rumpamus altum illud ſilentium, illaſque tenebras diſſipemus, quibus eumdem volunt involvere, ne agnoſcatur à nobis; Et ſi errandum eſt, cum Patribus noſtris Benedictinis erremus: Immò, quia non eſt errandum, fidem habeamus ipſimet ſancto Columbano, & ſociis ejus, qui ſe actîs, vitâ, ſcriptîſque Benedictinos dixêre. Neque diſſentiamus ab iis, quos recenſuimus omnium ætatum ſcriptoribus, Monaſteriorum Fundatoribus, Epiſcopis cùm ſolitariè ſumptis, tùm in Concilia coactis: qui omnes quaſi una voce conclamant, S. Columbani Regulam in ſupplementum Benedictinæ, ipſi ſemper unitam fuiſſe; & à Luxovienſis Monaſterii conditu, eidem ſubjectam: adeò ut ipſa Benedictina mandata, ſexto, ſeptimo, octavoque Sæculis, ubique Galliarum, ad modum & ſimilitudinem Luxovienſium Monachorum ſervanda, propagata fuerint, ut toties ſuprà totâ Diſſertatione notum fecimus.

CAPUT XVII.

SOLA BENEDICTINA REGULA APUD Monachos Gallos octavo Sæculo ſervata.

I. Nulla inſtituti Regularis mutatio Sæculo octavo. II. III. IV. Omnia Monaſteria ab adventu S. Mauri in Gallias ſecundùm Carolum magnum Benedictina fuêre. V. VI. Concilia ſub Carlomanno & Pipino celebrata explicantur, quantùm ad Regulæ Benedictinæ leges attinet. VII. VIII.

Explicatio Cointiana rejicitur. IX. Quidam textus Conciliorum, annorum 755. 779. 789. & 802. referuntur, qui de Benedictinâ Regulâ ſunt intelligendi. IX. Id probatur, ex Chronico Moiſſiacenſi.

I. MULTOS Auctores ſuperiori capite laudavi, qui omnes toto Sæculo ſeptimo, Galliarum Cœnobia Benedictina dixêre. Cumque ineunte Sæculo octavo apud Monachos Gallos nulla facta fuerit inſtituti Regularis mutatio: Certum videtur ſub initium ejuſdem Sæculi, eadem S. Benedicti decreta in Galliis apud Monachos omnes viguiſſe. Quo ſemel poſito: Cum nulla Monaſteria ab initio ad ejuſdem ſæculi finem, à Benedictinis legibus ad alterius cujuſque Legiſlatoris Regulam defeciſſe videamus; neque Adverſariorum ullus hanc veritatem impugnare tentaverit: perſpicuum eſt, & evidens, toto Sæculo octavo ab initio ad finem, nullam Monaſticam Regulam, à Benedîctinâ dictinctam, à Monachis Gallis receptam aut ſervatam fuiſſe.

II. Hæc generalis aſſertio firmari poteſt auctoritate Caroli magni Imperatoris, quem in rem eamdem laudavi in priori Diſſertatione cap. 2. Cum enim inquirit; *Quâ Regulâ Monachi vixerint in Galliâ priuſquàm Regula ſancti Benedicti in eâ tradita fuiſſet.* Et capitul. interrogationis n. 12. *Vtrum Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam ſancti Benedicti obſervant?* Se pro certo habere fatetur, nullum, à Propagatione Benedictinæ Regulæ per B. Maurum, notum ſibi fuiſſe Monaſterium, quod alienis Regulis aut inſtitutis fuiſſet addictum. Quod non eo ſenſu eſt intelligendum, quaſi nulla alia Regula Monachis Gallis per eadem tempora nota fuerit, aut ab eis ſervata; Cum ignorare non potuerit Columbani decreta, in quamplurimis Cœnobiis Sæculis ſexto, ſeptimo, octavoque floruiſſe; Sed quia nullam novit, quæ per ſeipſam ſubſiſteret, aut quæ ad Benedictinam per modum conſtitutionum, declarationum, aut conſuetudinum

ſpecialium ſe non haberet. Quod Regularum genus à propriè dictâ Monaſticâ Regulâ plurimùm differt, ut oſtenſum eſt propugnatæ Diſſertationis cap. 11. Cui nihil Cointius habuit quod opponeret.

III. At ſi Carolus magnus in dubium vocavit, utrùm Monaſticæ Regulæ à Benedictinâ differentes, non modò ſuſceptæ fuerint à Gallis Monachis ; Sed utrùm ſuſcipi potuerint ab eo tempore, quo primò eiſdem ſanctus Maurus Benedictinam tradidit · multò magis nos de eiſdem addubitare poſſumus, nec ullas alias à Gallis admiſſas Regulas ab iiſdem temporibus debemus credere, niſi id certis & indubitatis argumentis conſtare videamus. Immò, ex eâdem duplici Caroli magni interrogatione certum videtur, hanc fuiſſe eorumdem temporum opinionem, ſolum ſancti Benedicti inſtitutum, à ſancti Mauri in Gallias acceſſu, per eaſdem vulgatum fuiſſe. Eadem quoque ſententia, & ipſæ Carolinæ interrogationes ſupponunt, eo quo factæ ſunt tempore, ſolam ſancti Benedicti Monaſticam diſciplinam ab omni hominum memoriâ fuiſſe receptam ; & Carolum magnum nullam aliam, ut diximus, admiſſam vidiſſe, aut legiſſe. At quî fieri poteſt, ut tantus Princeps, tantæque ſcientiæ, qui Alcuinum, alioſque Monachos viros doctiſſimos ad Aulam evocaverat, ut eorum conſuetudine familiariter uteretur, ſui ſæculi res geſtas ignoraverit ? Quæ ratio clarior evadet, ſi meminerimus Carolum anno quadrageſimo ſexto ſuprà ſeptingenteſimum ortum habuiſſe ; anno verò ſexageſimo octavo Regnum iniiſſe, illudque produxiſſe ad annum decimum quartum ſuprà octingenteſimum : & tandem educatores & Præceptores habuiſſe, qui ineunte Sæculo octavo, aut æquales, aut ſuperiores fuerunt. Quæ cum ità ſint dicamus Carolum, quale fuerit Sæculo octavo Monachorum inſtitutum ignorare non potuiſſe ; & conſequenter ex eodem Carolo Monachos omnes, ſaltem toto Sæculo octavo Benedictinos fuiſſe, cum nullos alios noverit Carolus magnus, qui Sæculi octavi res geſtas ignorare non potuit.

IV. Argumento ab Authoritate Caroli magni petito,

jam aliàs, cap. ſcilicet Diſſert. ſecundo contra Cointium diſputaveram; ſed placuit doctiſſimo viro hujus argumenti diſcuſſionem ad eam Annalium partem rejicere, in quâ de ejuſdem Imperatoris rebus geſtis loquuturus erat. Attamen, ſuæ ſponſionis oblitus, cum de capitulis à me laudatis, differendi ſe præbuit occaſio, ad an. ſcilicet 811. n. 65. Iterùm eamdem diſcuſſionem differendam voluit. *Cum hoc capitulo*, inquit, *confer undecimum prioris capitularis. Tomo primo de multis egimus Regulis, quæ priùs in Galliis obſervari cœperunt, quàm B. Maurus illuc Benedictinam ex Italiâ deferret. Nec dubium, quin antiquis illis temporibus, plerique Galliarum Epiſcopi, modum vivendi Monachis intra ſuas Diœceſes commorantibus, præſcripſerint. Quâ de re fuſiùs differemus aliâ occaſione ſub Ludovico pio Auguſto.* At argumenta à me ex Carolinis interrogationibus propoſita non agunt de Regulis ſancto Mauro antiquioribus, ſed poſt ſancti Mauri in Gallias adventum, promulgatiſque S. Benedicti legibûs, nullius alterius Legiſlatoris inſtitutum admiſſum fuiſſe, ex Carolo magno deduco; idque evidens eſſe contendo, ſaltem quantùm ad Sæculum octavum attinet. Quam meam poſitionem ſuo ſilentio Annales hactenùs editi, mirum in modum confirmant; nec infirmabunt unquam, ni fallor, qui de novo prodibunt in lucem.

V. Carlomannus ad annum Chriſti quadrageſimum ſecundú ſuprà ſeptingenteſimum, hortante Bonifacio Germanorum Apoſtolo, jubente Zachariâ ſummo Pontifice, Concilium Germanicum primum coëgit, ad reſtituendam in integrum Eccleſiaſticam ſimul & Monaſticam diſciplinam penè collapſam. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, inquit idem Princeps in ejuſdem Concilii Præfatione. *Ego Carlomannus Dux & Princeps Francorum .... Cum conſilio ſervorum Dei & Optimatum meorum Epiſcopos qui in Regno meo ſunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro Dei timore congregavi .... Vt mihi conſilium dediſſent quomodo lex Dei & Eccleſiaſtica Religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum diſſipata corruit.* In eodem autem Concilio ſancti Benedicti Regula, tamquàm ge-

neralis omnium Monachorum norma, laudata fuit. Id colligimus ex ſancto Bonifacio Concilii moderatore, qui ſcribens ad Cutbertum Dorobernenſem Epiſcopum, & edita à Patribus decreta referens, hæc habet. *Decrevimus in noſtro Synodali Conventu ..... Synodum per annos ſingulos congregare ... Statuimus, ut per annos ſingulos Canonum decreta, & norma Regularis vitæ in Synodo legantur, & recuperentur.* Quænam verò ſit illa norma Regularis vitæ quæ in Synodo legenda præcipitur, ex Canon. primo & ſeptimo ejuſdem Synodi intelligimus. *Statuimus,* inquiunt Patres, can. 1. *per annos ſingulos Synodum congregari, ut nobis præſentibus, Canonum decreta, & Eccleſiæ jura reſtaurentur, & Religio Chriſtiana emendetur.* Et can. 7. *Statuimus quoque, ut Monachi & Ancillæ Dei juxtà Regulam ſancti Benedicti, Cœnobia, vel Xenodochia ſua ordinare, gubernare, & vivere ſtudeant; & vitam propriam degere ſecundùm prædicti Patris ordinationem* non negligant. Non enim hîc loquitur ſanctus Germanorum Apoſtolus de normâ Regularis vitæ in abſtracto, ut ità dicam, ſed de quadam normâ communi ſecundùm quàm vivebant ejuſdem ætatis Monachi omnes. De eâ loquitur quæ litteris mandata erat; quæ legi poterat in Synodo; quæque reverà recitata fuit, & ob omnium oculos poſita; à quâ receſſerant Monachi; quamque novo ſtudio recuperare debebant. At ſola Benedictina Regula in Conciliis quæ ſub Pipino, Carolo magno, & Ludovico Pio fuerunt habita, mandata fuit & recitata: Cæteræ omnes omiſſæ. Ergo Benedictina Regula, ipſa eſt norma Regularis vitæ, quam S. Bonifacius, cæterique Germanici Concilii Patres legendam præcepêre; ut quiſque Monachus, quam promiſerat Regulam recuperaret. Eadem norma quàm Germani Patres in Germanicâ Synodo legendam curarunt, in Liptinenſi & Sueſſionenſi Conciliis confirmata fuit; Monachis iterum imperata, & ab eis libentiſſimè recepta, his verbis. *Omnes venerabiles Sacerdotes ..... prioris Synodi decreta conſentientes firmarunt; ſeque ea implere velle & obſervare promiſerunt: Et omnis Eccleſiaſtici Ordinis Clerus; Epiſcopi, Presbyteri, & Dia-*

Epiſt. là 107.

coni, cum reliquis Clericis ſuſcipientes antiquorum Patrum Canones promiſerunt ſe velle Eccleſiaſtica jura, moribus, & doctrinis, & miniſterio recuperare: Abbates verò & Monachi receperunt Regulam S. Patris Benedicti ad reſtaurandam normam Regularis vitæ. Et in Concilio Sueſſionico ad an. 744. aut 45. Can. 2. *In primis conſtituimus fidem Catholicam .... Et judicia canonica aliorum ſanctorum, quæ conſtituerunt in Synodis ſuis, quemodò lex Dei & Eccleſiaſtica Regula recuperetur, quæ in diebus priorum Principum diſſipata corruit.* Quæ verba deſumpta ſunt ex Concilio Germanico primo. Et Canone 16. *Vt Ordo Monachorum vel Ancillarum Dei ſecundùm Regulam ſanctam ſtabilis permaneat.*

VI. Quæ omnia, eodem ſenſu accipienda videntur, quo Germanici Concilii Canones; tùm quia confirmantur & renovantur, & ad verbum, ut ità dicam, in iiſdem iterantur; tùm quia idem ipſe S. Bonifacius, auctoritate ſummi Pontificis his omnibus Conciliis præfuit, eaque fuit moderatus. Undè cum eadem omnium Provinciarum eſſet neceſſitas; iiſdem, ut plurimùm, decretis eis conſuluit: Eo tantùm diſcrimine, quòd Benedictina Regula in Provinciis ex quibus Concilium Sueſſionenſe conſtabat, multò meliùs quàm in aliis ſe habuiſſe videatur; cum Monachos tantùm Patres hortentur, ut ſecundùm Regulam ſanctam ſtabiles permaneant: non verò jubeant, quemadmodùm Germanis & Liptinenſibus, ut recipiant Regulam S. Benedicti ad reſtaurandam normam Regularis vitæ; & ut eadem Regula recuperetur. Quibus tamen prioribus decretis, cum jubetur: *Vt Canonum decreta, & Eccleſiæ jura reſtaurentur, & norma Regularis vitæ in Synodo legatur, & recuperetur.* Cumque dicitur: *Quòd omnis Eccleſiaſtici Ordinis Clerus; Epiſcopi &c. Suſcipientes antiquorum Patrum Canones promiſerunt ſe velle Eccleſiaſtica jura moribus, & doctrinis, & miniſterio recuperare; & quòd Abbates & Monachi receperunt Regulam ſancti Patris Benedicti ad reſtaurandam normam Regularis vitæ.* Nullatenùs opinari debemus Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & Abbates, ad novas aliquas leges

ſervandas, ad quas non tenebantur, à Comitiis obſtrictos fuiſſe : ſed iis omnibus decretis ſolummodò mandatur, ut eas leges, Regulaſque Chriſtianas, quibus priùs erant addicti, diligentiùs tenerent. Quâ in re, Abbatum eadem eſt ratio quæ Epiſcoporum, & Preſbyterorum : Cum ex æquo iiſdem omnibus imperetur, ut promiſſas anteà leges reſtaurarent, & recuperarent ; quia nempè ab iiſdem omnibus defecerant : Quod verba [reſtaurare & recuperare] teſtantur.

VII. Neque audiendus videtur vir doctiſſimus, qui ad an. 751. n. 132. Mihi reſpondens, & ſuperiora Conciliorum decreta, juſto examine, ut ipſi videtur, ponderans. Anno Chriſti 743. inquit, habita in Carlomanni majoratu Synodus Germanica, cujus can. 16. ſtatuitur, *Ut Monachi & Ancillæ Dei Monaſteriales, juxtà Regulam ſancti Benedicti Cœnobia, vel Xenodochia ſua ordinare, &c. non negligant.* Anno proximo, in eodem Carlomanni majoratu, Celebrata Synodus Liptinenſis in quâ communi conſenſu canones Synodi Germanicæ recepti ſunt, & approbati ; atque in primis *Abbates & Monachi Canone primo receperunt Regulam S. Patris Benedicti, ad reſtaurandam Normam Regularis vitæ.* Priùs ergo quàm Concilia Germanicum & Liptinenſe congregarentur, erant Abbates ac Monachi, qui propriam retinebant ſervabantque Regulam quam profeſſi fuerant, à Benedictinâ diſtinctam ; prædictarumque Synodorum Patres accipi debent pro graviſſimis Auctoribus, qui plæraque Monaſteria, rejectis, quas anteà profitebantur, Regulis ad Benedictinam acceſſiſſe teſtantur. Suo quoque tempore, cum ſeries rerum à nobis id poſtulabit, ex aliis ſcriptoribus oſtendemus *Uniformem tandem traditum cunctis Monaſteriis, tàm viris quàm ſanctimonialibus fœminis vivendi ſecundùm Regulam ſancti Benedicti incommutabilem morem.* Nihil enim per anteceſſum hìc dictum volumus. Huc uſque Annalium ſcriptor.

VIII. Quæ ſuperiùs dixi de hac trinâ Synodo, adeò ſunt aperta, & ad propoſitum certa, ut ampliori diſcurſu *In Præfat.*

ad elevandam Annalium argumentationem, ut quidem mihi videtur, non indigeant. Quid enim jejunius dicere potuit Adverſarius noſter, & à re quâ de agitur magis alienum, quàm, ex eo quòd *Abbates & Monachi receperunt Regulam S. Benedicti ad reſtaurandam normam Regularis vitæ* ſtatim inferre. *Priuſquam Concilia Germanicum & Liptinenſe congregarentur, erant Abbates & Monachi qui propriam retinebant ſervabantque Regulam à Benedictinâ diſtinctam.* Si enim hæc verba, *Abbates & Monachi, receperunt Regulam ſancti Benedicti ad reſtaurandam normam Regularis vitæ* ſignificant, Abbates & Monachos in Conciliis illis congregatos, non fuiſſe Benedictinos : Non modò dicendum erit aliquos in iiſdem Conciliis extitiſſe Monachos qui propriam retinebant Regulam à Benedictinâ diſtinctam, priuſquam Concilia Germanicum & Liptinenſe congregarentur ; Sed dicendum erit nullum prorsùs Monachum, nullum Abbatem antè dictarum Synodorum tempora, fuiſſe Benedictinum : Siquidem omnes Monachi, omneſque eorumdem Conciliorum Abbates receperunt Regulam S. Benedicti, eo modo quo omnes Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi receperunt antiquorum Patrum Canones : Ex æquo enim omnibus Epiſcopis, & Abbatibus omnibus imperatum fuit à S. Bonifacio, ut Canonum decreta, & normam Regularis vitæ reſpectivè legerent, & recuperarent. Neque doctiſſimus Cointius aliquam mihi allaturum exceptionem exiſtimo, quâ inter eos, qui Benedictinam Regulam promiſerunt, aliqui reperiantur qui antè Concilia fuerint Benedictini, alii verò qui alienam Regulam à Benedictinâ diverſam ante prædictas Synodos promiſiſſe reperiantur.

Accedit hùc, quòd Synodi Germanica, Liptinenſis & Sueſſionica congregatæ fuerint à Carlomanno & Pipino eo fine, *ut Lex Dei & Chriſtiana Religio quæ in diebus præteritorum Principum diſſipata corruerat, recuperaretur.* Id eſt, ni fallor, Concilia Germanicum, Liptinenſe, & Sueſſionicum, adunata fuerunt eo fine, ut Clerici, Canones à quorum obſervatione longiùs aberant, diligentiùs

tiùs ſervarent ; Et ut Monachi, ea quæ promiſerant vota, eamque Regularis vitæ normam quam profeſſi fuerant, vitâ, moribus, & miniſterio recuperarent. Quibus rebus utrique, Clerici ſcilicet & Monachi, fuerunt audientes ; idque propriè ſignificant ea verba : *Receperunt Canones* ; vel, *receperunt Regulam S. Benedicti.* Nam, ut inquiunt Grammatici, recipere componitur ex re & *capere* : Quod *iterùm capere* ſignificat Ut *recipere animam* ; *animum* ; *anhelitum* ; *Cohortes loco pulſas*, inquit Plinius, *redire & locum recipere juſſit.* Quæ verba Gallicè reddita ſignificant ; *reprendre ſon eſprit* ; *reprendre haleine* ; *reprendre le lieu qu'on avoit lâchement abandonné* : Ut videre eſt in theſauro linguæ Latinæ : juxtà quam explicationem, Patres dixiſſe videntur Abbates & Monachos, quorum multi à Benedictinâ Regulâ toti defecerant iterùm accepiſſe Benedictinam Regulam, diligentiùs ſcilicet obſervandam. Hanc fuiſſe Conciliorum mentem, patet ex Epiſtolâ ſancti Bonifacii ſuprà laudatâ ; ubi habet Concilium Germanicum primum, cujus ſummus moderator extiterat, conſtituiſſe, *ut norma Regularis vitæ in Synodo legeretur & recuperaretur.* Quibus verbis denotat ante prædictam Synodum aliquam fuiſſe communem Regulam, à quâ, ut plurimùm, Monachi plerique defecerant : Cujuſque leges perruperant ; adeò ut ipsô illius non uſu, eamdem perdidiſſe viderentur ; Eam verò Patres, ut quàmprimùm Monachi recuperarent, ſuo decreto juſſiſſe. Quid vero ſibi vult recuperare Regulam, inſtitutum, legem, niſi eamdem Regulam, inſtitutum, legem ad praxim iteratò reducere ; & dimiſſam Regulam iterùm accipere ? Abbates ergo non novam aliquam Regulam aſſumpſerunt, ſed promiſſam, ſeu potiùs amiſſam : Aliàs non eamdem recuperaſſent. Sicut qui alienam veſtem, pecuniam, dignitatem accepit, dicendus non eſt ſua recuperaſſe, ſed aliena cepiſſe. Quæ verò eſt illa Regula innominata à S. Bonifacio, quæ legenda mandatur niſi Benedictina, quam ſolam loquuntur non ſolùm Concilia à Bonifacio celebrata, ſed cætera quæque octavo, nonoque Sæculo per Gallias

& Germaniam habita? Ut verò Germanici Concilii Abbates, normam Regularis vitæ, Benedictinæ ſcilicet, recuperare voluerunt: Ita Liptinenſes & Sueſſionenſes Monachi id præſtitiſſe videntur. Is enim omnium Conciliorum ſcopus unicus fuit, ut ait Carlomannus in Præfat. Synodi Germanicæ; & Pipinus can. primo Concilii Sueſſionenſis: *Vt lex Dei & Eccleſiaſtica Religio, ſeu Eccleſiaſtica Regula recuperaretur.* Quod numquam fuiſſet poſſibile, niſi violatam toties Regulam, iterùm ſervandam accepiſſent.

IX. Concilii Vernenſis Epiſcopi ad an. 755. laudant, Pipinum Regem, quòd *univerſos penè Galliarum Epiſcopos aggregare fecit ad Concilium Verno palatio publico, recuperare aliquantiſper cupiens inſtituta Canonica.* In eo verò Concilio, innominatâ etiam Benedictinâ Regulâ, jubent Pontifices can. 5. *Vt Monaſteria tàm virorum quàm puellarum ſecundùm Ordinem regulariter vivant.* Quibus verbis, *ſecundùm Ordinem vivant*, ac *ſecundùm Regulam vivant*, ab invicem nullo modo differunt, meo quidem judicio; iis autem verbis Benedictinam vivendi normam commendari, cùm ex ſuperioribus, tum ex inferioribus Conciliis ſub Carolo magno congregatis licet inferre.

In Conventu Synodali anni 779. edita ſunt 24. capitula, quorum tertio præcipitur: *Vt Monaſteria quæ Regularia fuerunt, ut ſecundùm Regulam vivant, &c.* Inter ſtatuta Bonifacii, ſtatuto 12. jubetur: *Vt diligenter unuſquiſque Epiſcopus in ſuâ Parrochiâ prævideat, & ubi Monaſterium Monachorum fuerit, ſi Regulariter vivant & Monachicè; Vbi autem Canonica fuerit, benè & Canonicè vivant.* Eadem iterùm præcipiuntur in ſexdecim Capitulis Aquiſgranenſibus capitularis ſecundi anni 789. Quæ omnia ex Regulâ S. Benedicti deſumpta ſunt; quorum undecimum his verbis explicatur. *De noviter venientibus ad converſionem ut ſecundùm Regulam probentur, & non anteà recipiantur, niſi ſicut Regula jubet; & nullus cogatur invitus promittere, & de obedientiâ & de ſtabilitate permanendi, ſicut Regula jubet.* Quæ capitula, ad nullam aliam Regu-

lam referri poſſunt niſi ad Benedictinam,ex quâ Capitularis conditores eadem acceperunt; Quæque Regula ſimpliciter vocatur, quia communis omnium. Ad an. tandem 802. cap. 12. eodem ſenſu præcipitur : *Vt Abbates ubi Monachi ſunt, pleniter cum Monachis ſecundùm Regulam vivant.* Et Capit. 17. *Monachi autem, ut firmiter ac fortiter ſecundùm Regulam vivant, quia diſplicere Deo novimus quiſquis in ſuâ voluntate tepidus eſt.*

X. Hæc omnia mirè illuſtrantur ex Moiſſiacenſi Chronico, ubi habetur, quod *menſe octobri* ejuſdem anni 802. Carolus Imperator *congregavit univerſam Synodum in Aquis, & ibi fecit Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus relegi univerſos Canones, quos ſancta Synodus præcepit & decreta Pontificum, & pleniter juſſit eos tradi coram omnibus Epiſcopis.... Similiter in ipsâ Synodo congregavit univerſos Abbates & Monachos, qui ibi aderant, & ipſi inter ſe Conventum faciebant & legerunt Regulam S. Patris noſtri Benedicti, & eam tradiderunt ſapientes, in conſpectu Abbatum & Monachorum. Et tunc juſſio generaliter ſuper omnes Epiſcopos & Abbates .... Et quidquid in Monaſteriis, ſeu in Monachis contra Regulam ſancti Benedicti factum fuiſſet; hoc ipſum juxta ipſam Regulam S. Benedicti emendare facerent ....* Ex quibus omnibus, plura eruuntur obſervatione digniſſima. Primò videmus Monaſteriorum alia, Monachos habuiſſe; alia verò Canonicos : Quorum illi Monachicè, cæteri verò Canonicè vivere tenebantur. Secundò ex Capitulis anni 789. aliiſque, certum videtur iiſdem temporibus nomine Regulæ, ſimpliciter & ſine explicatione poſitæ, Benedictinam intelligi. Tertiò Aquiſgranenſem Synodum, ad modum Germanicæ, cui ſanctus Bonifacius præfuerat, congregatam fuiſſe, ibique Benedictinam Regulam tanquàm generalem vitæ Monaſticæ normam, recitatam fuiſſe. *Legerunt Regulam S. Patris noſtri Benedicti.* Quartò quòd omnem, quam cum Adverſariis habemus controverſiam, dirimit: Non arguuntur Monachi & Abbates, quòd quamlibet à Benedictinâ diverſam Regulam tranſgreſſi fuiſſent; ſed quòd ipſam non ritè ſervaſſent : Perindè quaſi nulli extitiſ-

ſ[?]nt in Galliis Aſcetæ præter Benedictinos. *Et quidquid in Monaſteriis, ſeu in Monachis contra Regulam ſancti Benedicti factum fuiſſet, hoc ipſum juxta Regulam ſancti Benedicti emendare facerent.* Sola ergo Benedictinorum, contra Regulam S. Benedicti peccata, per eamdem Regulam emendanda ſtatuuntur. Quintò tandem per eadem Aquiſgranenſia decreta datur intelligi, quòd quoties aliqua adhibetur Regula ad Monachorum tranſgreſſiones cohibendas, eamdem ab iiſdem Monachis promiſſam fuiſſe, opinari debemus: Undè in ſuperiori textu dicitur; *quòd errata à Monachis in Regulam commiſſa, per eamdem Regulam debeant emendari.* Neque enim unquam Jeſuitæ, Capucini, aliique ſe per Monaſticam ſancti Benedicti diſciplinam emendari patientur: Jureque merito cum diſcipulis ſancti Benedicti Anianenſis poſſent reponere. *Quid cateræ meæ conferunt Regulæ; quid ad me, quas non promiſi pertinet legere?* Quæ cum ità ſint; & in Conciliis Germanico, Liptinenſi, Sueſſionico, cæteriſque deinceps per ſolam Benedictinam Regulam Conciliorum Patres, Monachorum rebus, Vitæ peccatis conſulere ſemper tentaverint: Dicendum videtur eoſdem Monachos eidem Benedictinæ Regulæ ſemper addictos fuiſſe. Quibus ſi addideris, eumdem Carolum magnum in dubium vocaſſe: Utrùm præter Benedictinos alii Monachi in Gallias admitti liceret. Perſpicuum fit & evidentiſſimum, ſolum Benedictinum inſtitutum, Pipini ſaltem & Caroli magni temporibus, per Gallias viguiſſe.

Præfat. in Cõcord. Reg.

His omnibus quæ præſenti capite diſputavimus opponent Adverſarii noſtri Landevenenſes Monachos Benedictinæ Regulæ Sæculis ſeptimo, octavoque penitùs expertes, & conſequenter eam ſolam Monachis omnibus Gallis iiſdem temporibus impoſitam non eſſe clamabunt. Sed huic objectioni in impugnatâ Diſſertatione feci ſatis, ut puto, multúmque miror hoc Monaſterium in ultimâ Britannici littoris orâ poſitum, linguâ, moribus, ritibuſque ab omnibus Gallorum Cœnobiis diverſum, & ante tempora Ludovici Pii omnibus ignotum: Perinde quaſi extra totius Orbis terminos poſitum eſſet; miror, inquam,

hujuſmodi Cœnobium ab aliis omnibus tot modis, totque rationibus disjunctum, ad circumſcribendam poſitionem meam adduci. Sed ecce, ponamus, in Galliis omnibus, quæ tàm longè latéque patent, unum aut alterum datum eſſe Religioſorum Aſceterium quod Benedictinis inſtitutis caruerit: Quid indè ſequeretur, niſi quod eadem Cœnobia ab aliorum lege communi, aut Privilegio à ſuperioribus conceſſo; aut eorum ſaltem errore & incogitantiâ defecerint? quibus modis non abrogantur leges, ſed confirmantur.

CAPUT XVIII.

IN CONCILIIS NONI SÆCULI BENEDICTINA Regula eodem modo quo in Germanico legitur, imperatur & obſervanda mandatur.

I. Eadem iterùm probantur quæ in ſuperiori capite. II. III. Synodus Moguntina anni 803. Conventus Aquiſgranenſis anni 817. & Concilium Moguntinum primum anni 817. referuntur & conferuntur. IV. Nulla Regularum mutatio aut Ordinum Monaſticorum ſuppreſſio per Conventum Aquiſgranenſem anni 817. facta. V. Non Galli ab Italis, ſed Itali à Gallis ad obſervationem Regulæ revocantur. Ibidem ſententia Cointii de reductione Regularum omnium ad Benedictinam per Concilium Aquiſgranenſe exponitur & rejicitur. VI. Eo modo ſe habent octoginta capitula ad Benedictinam Regulam quo Charta charitatis Ciſtercienſium ad eamdem Regulam. VII. Textus Ardonis ex vitâ S. Benedicti Anianenſis à Cointio laudatus, nullam Regularum mutationem; ſed no-

vas tantùm conſuetudines in Regulam Benedictinam factas denotat. VIII. Caſſinenſes Monachi Benedictini eaſdem Conſuetudines æquè ac Galli, receperunt, vsûque tenuerunt. IX. Eædem Sangallenſibus miſſæ ſecundùm Baluzium. X. Idem dicendum de decretis, ad Augiam miſſis. XI. Capitis hujus; Immò totius operis concluſio.

I. QUÆ præcedenti capite de generali Benedictinæ Regulæ, in Galliis omnibus, ſeu in toto Francorum Imperio obſervatione diſputavimus adeò clara ſunt, & ob oculos omnium poſita, ut ulteriori inquiſitione non indigeant, niſi rem actam iterùm agere & diſputatione nimiâ veritati tenebras velimus offundere: Quamobrem hîc omiſſis Turonenſi, Remenſi & Cabilonenſi Conciliis, de quibus egimus in eâ Diſſertatione, quam ex Cointianis reprehenſionibus vendico; Et quibus nihil habuit quod opponeret perpetuus Benedictinorum oppugnator: Breviter hîc duo Moguntiaca, & Aquiſgranenſe anni 813. 817. & 847. attingemus, utpotè quæ Germanico primo ſimillima videntur quantùm ad Regulam S. Benedicti commendandam attinet.

In ejuſdem Cõcilii Præfat.

II. *In ſecundâ Turmâ*, inquiunt Patres, *conſederunt Abbates ac probati Monachi, Regulam ſancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem ſtatum atque augmentum cum Dei gratiâ perducere potuiſſent.* Et can. 11. *Abbates autem cenſuimus ità cum Monachis ſuis pleniter vivere, ſicut ipſi qui in præſenti Synodo aderant palam nobis omnibus promiſerunt: Id eſt ſecundùm doctrinam ſanctæ Regulæ Benedicti, quantùm humana permiſit fragilitas.* De Concilio verò, ſeu de Aquiſgranenſi Conventu ita loquitur Smaragdus in vitâ ſancti Benedicti Anianenſis Abbatis. *Iubente Imperatore, aggregatis Cænobiorum Patribus, unà cum quamplurimis Monachis perplures reſedit dies. Omnibus ergo ſimul poſitis Regulam ab integro diſcutiens, cunctis obſcura diluci-*

dans, dubia patefecit; priſcos errores abſtulit; utiles conſuetudines affectuſque confirmavit. Iudicia igitur Regulæ, cunctaque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minùs Regula pandit conſuetudines, adſentientibus cunctis protulit, de quibus etiam Capitularem inſtitutum Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in Regno ſuo poſitis Monaſteriis obſervare præciperet: Ad quem lectorem ſcire cupientem dirigimus. Quibus verbis, nulla imponitur de novo Regula; ſed ſolummodò *quas minus Regula pandit, conſuetudines, adſentientibus cunctis, proferuntur.* Ut per ſe patet. Patres Concilii Moguntini primi ſub Rabano ad an. 847. Eodem modo quo cæteri Patres ſuprà laudati loquuntur. *Convenit inter nos*, inquiunt, *de noſtro communi Collegio Clericorum atque Monachorum duas facere turmas, ſicut & fecimus ..... In aliâ verò turmâ, ſederunt Abbates & probati Monachi, Regulam ſancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem ſtatum atque augmentum cum Dei gratiâ perducere poſſent; & ubicunque per negligentiam atque deſidiam Rectorum Regularis Ordo dilapſus fuiſſet, rursùs ſecundùm normam ſanctæ Regulæ Benedicti ad integrum reſtitueretur.* Et Can. 13. *Providendum neceſſariò eſt unicuique Epiſcopo qualiter Canonici vivere debeant, necnon & Monachi, ut ſecundùm Ordinem Regularem vivere ſtudeant, &, ut ait Apoſtolus, unuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat.*

III. His decretìs à Rabano aliiſque Pontificibus editìs, omnes Adverſariorum noſtrorum in ſuperiora Conciliorum decreta violenti conatus penitùs comprimuntur: Nam iiſdem omninò verbis concipiuntur, quibus Canones Concilii Moguntini anni 813. ſub Carolo magno: Unde eorumdem una eademque debet eſſe interpretatio. Quamobrem, cum ſub Rabano denotent omnia Galliarum Monaſteria fuiſſe Benedictina: hoc ipſum dicere debuerunt ad an. 813. ſub Carolo magno. Neque antecedens negari poteſt ab Adverſario qui ad an. 823. ultrò fatetur omnia Galliarum Cœnobia, poſt actam Aquiſgranenſem Synodum, Benedictinam Regulam am-

plexa fuiſſe : Neque etiam rejici poteſt conſequens ; cum eædem voces, à diverſis Conciliis ad eamdem rem ſignificandam prolatæ, non debeant in oppoſitos ſenſus explicari. Quæ cum ità ſint ſincerè fatendum eſt, Abbates & Monachos ad an. 813. in Concilio Moguntino legiſſe Benedictinam Regulam, non ut alienam, ſed ut ſibi peculiarem & propriam, ut eâ inſpectâ, errores quibus in eam peccarent, agnoſcerent ; Monachorum vitam in meliorem ſtatum & augmentum perducerent. Seu, ut loquuti fuêre Aquiſgranenſes Abbates ad annum 802. Eamdem legerunt, *ut quidquid in Monaſteriis vel in Monachis contra eamdem Regulam factum fuerat ; hoc ipſum juxta eamdem Regulam emendarent.* Quodque de iiſdem Conciliis modò dicimus, de ſuperioribus etiam, Moguntino & Liptinenſi : De iis ſcilicet quæ ſub Carlomanno & Pipino celebrata fuêre, dictum volumus : Cùm eorumdem omnium Conciliorum eadem ſit ratio, & eadem Benedictina mandata præcepta fuerint ; non ut nova Monaſtica iniretur vivendi ratio : Sed ut antiqua, jamque recepta Regula recuperaretur.

IV. His Conciliorum clauſtris, Annalium conditor interclusus, in Aquiſgranenſi Conventu anni 817. Quà perrumperet, aditum, ut ſibi videtur, invenit ; & tam diù quæſitum tempus reperit, quo tandem decantatæ fabulæ finem imponeret. Id futurum nobis ſignificaverat ad annum 751. n. 132. *Suo quoque tempore*, inquit, *cum „ ſeries rerum à nobis id poſtulabit, ex aliis ſcriptoribus „ oſtendemus.* Uniformem tandem traditum cunctis Mo„ naſteriis, tam viris, quàm ſanctimonialibus fœminis „ vivendi ſecundùm Regulam S. Benedicti incommuta„ bilem morem. *Nihil enim per anteceſſum hic dictum volumus.* Quo loci memoriæ lapſu, eam ſententiam mutavit, ſecundùm quam ad annum 667. n. 20. ſcripſerat : Quòd, *Lapſu verò temporis, cum utraque ſancti Benedicti & ſancti Columbani Monaſteria remiſſo Religionis fervore torpeſcerent, & cætera Franciæ Monaſteria in meliori ſtatu non eſſent ; è Cænobio Caſſinenſi, ubi Regula ſancti Benedicti vigebat, vocati ſunt Monachi, qui Monaſticæ vitæ diſciplinam*

ciplinam in Galliâ collapſam reſtaurarent. Eoque modo Regula ſancti Benedicti introducta eſt in varia Monaſteria, quæ inſtituto ſancti Columbani priùs obnoxia erant. Sed tantùm abfuêre Monachi Galli à Caſſinenſibus advocandis, ut ipſi etiam Caſſinenſes octoginta Capitula Aquiſgranenſia à Gallis ad Benedictinam Regulam, ſeu potius ad ejuſdem praxim reſtituendam acceperint, ut infrà dicemus. Hîc tamen iterùm Annaliſtam ad annum. 789. n. 153. loquentem audiamus. *Sub Meroveadis Regibus & Pipino Caroli Magni Patre ſteterunt in Galliis multa Benedictinæ familiæ Monaſteria. Hæc, ut & alia cæterorum Ordinum, quoniam Monaſticè plurimùm remittebantur; ad antiquos mores veteremque diſciplinam revocare conatus eſt Carolus, remque, quamvis arduam, non parùm promovit: ut inferiùs plæræque Synodi docebunt; opus à Patre tam fæliciter inchoatum, triennio poſt ejus obitum vix elapſo, perfecit Ludovicus filius.* Hanc variorum Ordinum per Ludovicum Pium ad annum 817. imperatam ſuppreſſionem firmiſſimis & graviſſimis argumentis probaſſe ſibi videntur Annales ad an. 823. n. 61. *Hæc*, inquiunt modo laudata, *ad annum Chriſti ſeptingenteſimum undenonageſimum tomo priore ſub Carolo Magno ſcripſimus, & quod ſpeciatim per anteceſſum inſinuavimus de Ludovico Pio poſtea Prævalidè tomo hoc ſeptimo probavimus ad an. Redemptoris octingenteſimum decimum ſeptimum numero 236.* Hæc omnia meminiſſe juvat, ut videant æqui lectores quâ confidentiâ Adverſarius noſter opinionem ſuam nullâ ratione firmatam venditaverit. Nam ad an. 817. n. 236. ab Annaliſtâ modo laudatum, nullum omninò argumentum reperies, quo variorum Ordinum familiæ, ad Benedictinam acceſſiſſe videantur, nullum, quo excluſæ rejectæque fuerint aliorum Legiſlatorum Regulæ, nullum denique quo Monachis imperatum fuiſſe videamus, ut ſolam deinceps Benedictinam Regulam reciperent, rejicerent alias. Sed ne lectoribus videar imponere: Totum Cointianum opus, quo ſuam opinionem ſuſtentat, hîc transſcribendum curabo.

V. In Aquiſgranenſi Conventu, inquit, ut de Or- "

„ dine Canonico capitula, quæ cùm ad Canonicos, tùm
„ ad Canoniſſas pertinebant, ſic & de Monaſtico edita
„ ſunt, quæ cùm ad Monachos tùm ad Monachas ſpe-
„ ctabant. *Itidem*, inquit, *Aſtronomus conſtituit idem Deo*
„ *amabilis Imperator Benedictum Abbatem & cum eo Monachos*
„ *Strenuæ vitæ, qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes*
„ *redeunteſque uniformem traderent cunctis Monaſteriis tàm*
„ *viris, quàm ſanctimonialibus fœminis vivēdi ſecundùm Re-*
„ *gulam ſancti Benedicti incommutabilem morem*: Qui lau-
„ datur in hoc textu Benedictus Abbas, is Indenſi Mo-
„ naſterio præeſt, & tanquàm Princeps Abbatum, ac
„ Præſes Abbatialis conventûs, ab Ardone ſic commen-
„ datur. *Præfecit eum quoque Imperator cunctis in Regno*
„ *ſuo Cœnobiis, ut ſicut Aquitaniam Gothiamque normâ*
„ *ſalutis inſtruxerat; ità etiam Francos ſalutifero imbue-*
„ *ret exemplo. Multa denique Monaſteria erant, quæ quon-*
„ *dam regulariter fuerant inſtituta: Sed paulatim tepeſcen-*
„ *te rigore, Regularis penè deperierat Ordo. Vt autem ſicut*
„ *una omnium erat Profeſſio, fieret quoque omnium Monaſ-*
„ *teriorum ſalubris una conſuetudo. Iubente Imperatore ag-*
„ *gregatis Cœnobiorum Patribus unà cum quamplurimis*
„ *Monachis, per plures reſedit dies. Omnibus ergo ſimul*
„ *poſitis, Regulam ab integro diſcutiens, cunctis obſcura*
„ *dilucidans, dubia patefecit, priſcos errores abſtulit, uti-*
„ *les conſuetudines effectuſque confirmavit. Iudicia igitur*
„ *Regulæ, cunctaque dubia, ad proficuum deducta effectum,*
„ *quas minùs Regulâ pandit conſuetudines, aſſentientibus*
„ *cunctis protulit, de quibus etiam capitularem inſtitutum*
„ *Imperator confirmandum præbuit, ut omnibus in Regno*
„ *ſuo poſitis Monaſteriis obſervare præciperet, ad quem li-*
„ *brum ſcire cupientem dirigimus. Cui protinus Imperator*
„ *aſſenſum præbuit, inſpectoreſque per ſingula poſuit Mo-*
„ *naſteria, qui utrùm ea quæ viſa fuerant, ſic obſerva-*
„ *rentur inſpicecerent, quique etiam formam ſalubrem igno-*
„ *rantibus traderent. Perfectum itaque propagatumque eſt*
„ *opus, Divinâ opitulante miſericordiâ, & una cunctis ge-*
„ *neraliter poſita obſervatur Regula, cunctaque Monaſteria*
„ *ità ad formam unitatis redacta ſunt, ac ſi ab uno Ma-*
„ *giſtro & in uno imbuerentur loco, uniformis menſura in*

potu, in cibo, in vigiliis, in modulationibus, cunctis ob- ſervanda eſt tradita. "

VI. Huc uſque vir doctiſſimus, qui ad marginem ejuſdem numeri hanc appoſuit notam. *Regula ſancti Benedicti Monachis & Monialibus præſcribitur.* Quæ jejunè nimis diſputata, totam de variis Monachorum inſtitutis, Sæculo octavo longè diffuſis, deque eorum ad Benedictinum Ordinem acceſſione & ſuppreſſione tamdiu promiſſam, cantatam, & expectatam complectuntur orationem. Mihi jam olim promiſeram, & ab aliis expectanda videbantur plura Aquiſgranenſis Conventûs laudanda decreta quibus, reſciſſis aliorum Legiſlatorum decretis, ſolis Benedictinis parendum, & votis priſtinis antiquatis, nova concipienda juberetur. Sed horum omnium nihil nobis opponi, nullumque decretum contra nos laudari video; quin immò octoginta capitula, ab Abbatibus ad diſciplinam Monaſticam ritè componendam condita, attentè legi, nihilque vidi, quod ad antiquorum Ordinum, aut ad antiquarum legum Monaſticarum abrogationem, aut ad novam cujuſque Regulæ ſuſceptionem videatur inducere. Sed potiùs eadem omnia capitula, ad Regulam jam ab antiquis temporibus promiſſam novis ſtatutis fulciendam, fuerunt, ut quidem mihi videtur, compoſita: Nam primô capitulo jubetur, *ut Abbates, mox ut ad ſua Monaſteria remeaverint Regulam per ſingula verba diſcutientes pleniter legant.* Quam Regulam? niſi eam quâ jam à longo tempore tenebantur. Idem dicendum de Capitulis 22. 29. & 69. ubi abſolutè dicitur *ſicut Regula jubet.* Quo verbo nulla nova Regula ſtatuitur, ſed antiqua confirmatur. Quibus authoritatibus cap. 1. ſuperioris Diſſertationis laudatis nihil reſpondendum habuit Adverſarius noſter: quia nempe nullam reſponſionem patiuntur. Et quòd maximè mirandum ſubit, ſemel tantùm in his octuaginta capitulis nominatur Benedictina Regula cap. ſcilicet 3. quo jubetur; *Vt officium juxtà quod in Regula S. Benedicti continetur celebrent Monachi.* Ubi non dicitur ut alibi, ſicut Regula jubet: ſed juxtà quod in Regulâ S. Benedicti

continetur ; quia Patres Officii Divini ad Abbatis arbitrium mutandi per Regulam datam licentiam cohibere voluerunt, & ad eum modum qui in eâdem Regulâ continetur, Monachos omnes adigere. Quam ſolam ob cauſam, nominata fuit Benedictina Regula. Quæ cum ità ſint, certum videtur per Aquiſgranenſia octoginta capitula nullam de novo Monachis ullis impoſitam Regulam ; nullam mutatam ; nullamque prohibitam ; Sed Solam Benedictinam ab antiquis retro temporibus receptam per eadem octoginta capitula, aliquatenùs innovatam & fultam eo prorſus modo quo per Chartam Charitatis Ciſtercienſes Abbates voluerunt, ut omnes Ciſtercienſes Monachi ſub unâ tantùm Regulâ converſarentur. *Opportunum nobis videtur, inquiunt, & hoc etiam volumus, ut mores, & cantum, & omnes libros ad horas diurnas & nocturnas, & ad miſſas neceſſarios, ſecundùm formam morum & uſum librorum novi Monaſterii poſſideant ; quatenùs in actibus noſtris nulla ſit diſcordia, ſed unâ Charitate, unâ Regulâ, ſimilibuſque vivamus moribus.* Perinde quaſi hoc non edito decreto, iiſque non receptis moribus non una ſed plures in omnibus Ciſtercienſium Monaſteriis ſervandæ forent, aut ſervatæ fuiſſent ; quia nempe eadem Regula diverſis declarationibus & conſtitutionibus veſtita, diverſa quoque jure merito poteſt apparere ; Immò etiam multiplex cenſeri, maximè cum declarationes, & diverſæ conſuetudines pro veris diverſiſque Regulis habeantur, quibus principali Regulæ robur accedit & Aſcetæ Arctiùs vinciuntur.

VII. Cæterùm quantùm ad textum Ardonis vitæ S. Benedicti Anianenſis ſcriptoris attinet, nihil aliud innuere videtur niſi quòd omnia Galliarum Monaſteria, quæ jam à primæva Benedictinæ Regulæ diſciplinâ defecerant ; ad eumdem ejuſdem Regulæ ſervandæ morem fuerint revocata, cum ante eadem tempora diverſi omnium Monachorum mores, diverſæque ſingulorum Cœnobiorum conſuetudines fuiſſent. Idque ſignificare videntur ea Ardonis verba. *Vt autem ſicut una omnium erat Profeſſio, fieret quoque omnium Monaſteriorum ſalubris*

una conſuetudo, &c. Omnibus ergo ſimul poſitis Regulam ab integro diſcutiens . . priſcos errores abſtulit, utiles conſuetudines affectuſque confirmavit . . Item, *quas minùs Regula pandit conſuetudines aſſentientibus cunctis protulit, & una cunctis poſita obſervatur Regula, cunctaque Monaſteria ità ad formam unitatis redacta ſunt, ac ſi ab uno Magiſtro & in uno imbuerentur loco.* Quibus omnibus verbis innuitur quòd una eademque Regula, quæ aliàs diverſimodè ſervabatur, S. Benedicti beneficio, curâ, ſtudio, eodem modo, eodem more, iiſdemque conſuetudinibus per omnia Galliarum Monaſteria viguerit, eodemque ſe modô habuerit, ac ſi ab uno eodemque Magiſtro in iis omnibus Monaſteriis Monachi omnes fuiſſent inſtituti. Accedit huc quòd ea morum, ejuſdemque ritûs, omnium Monachorum conſenſio contigerit, *in Cibo, in potu, in vigiliis, in modulationibus*, &c. Quæ ſolebant diverſimodè in iiſdem Galliarum Monaſteriis contingere; licèt eadem Monaſteria ſub unâ eâdemque Regulâ militarent, ad inſtar eorum Monaſteriorum quæ ſeparata jacebant antequàm ſancti Mauri Congregatio in unam ſocietatem eadem colligaſſet: Seu ad inſtar Cluniacenſium; Ciſtercienſium; Camaldulenſium; Silveſtrinorum; atque Cœleſtinorum, quæ adinvicem eâdem Regulâ connectuntur; variis autem conſuetudinibus adeò differunt, ut per modum variorum Ordinum ab invicem dividantur.

VIII. Caſſinenſes Monachi eadem capitula ut conſuetudines quaſdam receperunt, quibus omnia Benedictini Ordinis Monaſteria, uno eodemque modo, ſub eâdem S. Benedicti Regulâ vigerent. *Ludovicus Imperator*, inquiunt .... *Quarto anno Imperii ſui Aquiſgrani Palatio cum plurimis totius Franciæ Abbatibus Monachiſque Religioſis conventum faciens, valde utiliſſima noſtri Ordinis obſervationi ſeptuaginta & duo generalia capitula conſtituit: Quæ ità ferè omnia apud nos, ac ſi B. Benedicti Regula, obſervantur.* Et, ſi ſanctus Benedictus Anianenſis binominis fuit, & idem cum ſancto Euticiô, ut perſuadere conatur Domnus Joannes Mabillonius tom. 2. lib. 1. chron. Cass. c. 16.

Sæculi 4. Bened. dicemus eum Auctorem fuiſſe earum conſuetudinum quas Cluniacenſes deinceps fuerunt amplexi, eaſque in eodem Aquiſgranenſi Conventu compoſitas. *Ipſe* enim *Pater Euticius*, inquit Joannes Auctor vitæ S. Odonis apud Bollandum, *institutor fuit harum conſuetudinum quæ hactenus in noſtris Monaſteriis habentur:* Sive tamen unus fuit S. Euticius cum ſancto Benedicto, ſive ab eodem diverſus, dicendum ſemper erit, nullo modo in Aquiſgranenſi Conventu de Regularum mutatione; ſed de reformatione Monachorum qui Benedictinam normam profitebantur tractatum, & octoginta illa capitula quæ tunc ab Abbatibus fuerunt edita, ſe habuiſſe ad Benedictinam Regulam per modum declarationum, conſtitutionum, aliarumque hujuſmodi Legum, quæ pro opportunitate temporum, pro ratione tranſgreſſionum Regularum condi conſuevêre: Quam explicationem mirum in modum confirmant capitula illa ad San-gallenſes directa, circa eamdem temporis tempeſtatem, quæ habentur tomo 2. Capitul. Baluzii in append. p. 1383. cum hac inſcriptione. *Capitula Novitiarum de his in quibus Præceptum Regulæ & constitutiones Novellorum Conciliorum, acutiùs nos conſiderare, & promptiùs exercere juſſio Imperialis ammonet.* Tum primum capitulum ſic ſe habet. *In primis ut nulla in ullis rebus inter hujus profeſſionis viros in toto Regno ſuo, niſi ubi impoſſibilitas non permittit, non inveniatur varietas; cujus impoſſibilitatis qualitatem ſummo ſtudio Miſſi pro hoc directi ſatagunt inquirere.*

IX. Hæc capitula eadem eſſe quæ Conventus Aquiſgranenſis præceperat cenſet vir clariſſimus Baluzius, qui ea San-gallenſibus Monachis directa ſcribit circà annum 817. Primo vero capitulo totus Ardonis textus ab Annaliſtâ laudatus, adeò clarè explicatur, ut penitus ignorari non poſſit eam fuiſſe potiſſimam Conventûs Aquiſgranenſis, Abbatum ac Monachorum mentem, ut Benedictina Regula uno eodemque modo, eoque debito, ab omnibus Aſcetis coleretur, neque inter eos ulla ineſſet varietas. Idque Miſſos Dominicos ſummo ſtudio curaſſe: Neque

ullum reperient Monaſterium à Benedictino inſtituto alienum, quod iidem Miſſi luſtraſſe dicãtur: Idque etiam teſtari videntur illa triginta Capitula San-gallenſibus oblata, quæ ſolam ſapiunt Benedictinam Regulam, quæ ibidem ſolo Regulæ nomine deſignatur.

X. Eadem dici debent de duodecim capitulis Monachorum ad Augiam directorum, ubi in Epiſtolâ eiſdem præfixâ hæc habentur. *Duodecim capitula ex his omnibus quæ vos maximè de pernecеſſariis commoneri faciliùs poſſe credidimus facere, & veſtræ beatitudini deſtinare curavimus: Ità ſanè ut quidquid eadem capitula continent, qualiter abſque ullo obſtaculo obſervandum vobis ſit, diligentiſſimè attendatis, quàmque neceſſarium utiliter perpendatis, ne cum Regulares Monachi venerint, qui juſſu Imperiali tota Cænobia gentis noſtræ ubi opus fuerit regulariter inſtruere debebunt, imparatos vos inveniant ad ea informanda, quarum partem aliquam hæc capitula quæ ſequuntur continent.* Quæ etiam Capitula totam ſapiunt ſancti Benedicti doctrinam, quæ ſola quoque Regulæ vocabulo indigitatur; ut ibidem videre eſt. Verùm hoc intereſt inter Augienſia & San-gallenſia Benedictinorum Monaſteriorum capitula, quod iſta ab Aquiſgranenſi Conventu profecta videantur; illa verò à Patribus Moguntinæ Synodi anni 813. Qui can. 20. *Neceſſarium duxerunt, ut Miſſi per quæque loca directi ſimul cum Epiſcopis uniuſcujuſque Diœceſis perſpicerent loca Monaſteriorum*, &c. *ſi ſint in apto loco . . ſicut in ſanctâ Regulâ dicitur;* Benedictinâ ſcilicet cujus mox verba à Concilio laudantur: Sed ſive illi Miſſi directi fuerint à Carolo Magno ad an. 813. ſive à Ludovico Pio ad an. 817. Eadem ſemper veritas manebit: Eoſdem ſcilicet Miſſos huic tantùm rei operam dediſſe, ut Benedictinæ leges quæ jam ab antiquis temporibus invaluerant, quæque multò quàm par erat remiſſiùs ſervabantur, novis, piis, iiſdemque capitulis fulcirentur; & Monachi omnes eodem Regulæ cultu pio, ſanctoque ubique viverent.

Tom. 2 cap. p. 1379.

Quæ cum ità ſint, & in iis omnibus Conciliis de ſolâ Benedictinorum reformatione, Epiſcopi, Abbates, &

Monachi loquantur, in iiſque capitulis omnibus, quæ ſub nomine Aquiſgranenſium, aut, San-gallenſium, Augienſium, & aliorum in Conciliis, alibique leguntur, nulla prohibeatur Regula, nullaque de novo mandetur: Simpliciter, ſinceréque fatendum nullam iiſdem temporibus mutatam Regulam, ſed vitam Monaſticam eodem omninò modo quo præteritis temporibus perſeveraſſe. Quid enim aliud volunt illæ formulæ quas hîc ad opinionis meæ illuſtrationem, ex diverſis capitulis deſcri-
A. *Cap. 5* bendas curavi? In capitulari anni 789. A. *De Decanis &*
B. *Cap. 6.* *Præpoſitis, ut eorum mutatio ſecundùm Regulam fiat.* B. *De*
Cellariis Monaſterii, tales mittantur, quales Regula præ-
C. *cap. 16.* *cipit.* C. *De ſuſceptione hoſpitum, ſicut Regula continet.*
cap. 9. D. *De noviter venientibus ad Converſionem, ut ſecundùm*
D. *16. cap. 11.* *Regulam probentur.* In Capitulis Aquiſgranenſibus: E. *Vt*
E. *Cap. 1.* *Albates, mox ut ad ſua Monaſteria remeaverint, Regulam*
F. *Cap. 2.* *per ſingula verba diſcutientes, pleniter legant.* F. *Vt Mo-*
G. *Cap. 22.* *nachi omnes qui poſſunt, Regulam memoriter diſcant.* G. *Vt*
quæcumque præter hæc Regula jubet ſinguli......accipiant.
H. *Cap. 29.* H. *Vt lectori nihil niſi quod Regula jubet, detur.* I. *Ex-*
I. *Cap. 34.* *pleto probationis ſuæ anno, ſecundùm quod Regula præcipit*
K. *Cap. 69.* *indè faciet.* K. *Vt ad Capitulum Regula legatur.* In Capi-
L. *Cap. 5.* tulis ∴ Monachorum ad Augiam directorum. L. *Vt heb-*
domadarii & cæteri ſervitores juxtà præceptum Regulæ acci-
M. *Cap. 7.* *piant ſuper ſtatutam annonam mixtum.* M. *Quibus ſedenti-*
bus ſummum eſt ibi, ſicut in ſanctâ continetur Regulâ, ſi-
N. *Cap. 2.* *lentium.* In Capitulis Monachorum San-gallenſium. N.
Vt ad omnia ſigna diurna ſive nocturna, ſecundùm præce-
O *Cap. 8.* *ptum Regulæ, ſtatim ut audita fuerint, feſtinetur.* O *Vt in*
P. *Cap. 16.* *Eccleſiâ nemo niſi quod Regula mandat loquatur.* P. *Poſt-*
que & alia dentur quæ Regula mandat. Ex his omnibus capitulis neminem reperturum arbitror, qui non inferat, Regulam illam de quâ loquuntur, iis omnibus Monachis, quibus eadem diriguntur capitula, fuiſſe communem, & jam olim ab eiſdem promiſſam. Maximè cum, ut dixi, inter eadem capitula nulla reperiantur, quæ ullam Regulam determinatè prohibeant aut imperent. Cum verò eadem laudata Capitula, cæteraque ferè omnia, quæ in

iiſdem

iiſdem capitularibus referuntur, Benedictinæ Regulæ verbis concepta videantur : Dicendum Benedictinum inſtitutum, totum Gallicum Orbem iiſdem ſaltem temporibus occupaſſe ; neque video quâ ratione vir doctiſſimus id vocare poſſit in dubium, cum nullatenus ignorare poſſit Benedictina ſtatuta non modò ſenſu, ſed & verbis in eiſdem capitulis contineri. Cum verò ad octavi Sæculi medium, Germanicum Concilium à S. Bonifacio laudatum, eamdem ſancti Benedicti Regulam, generalem Regularis vitæ normam ; & S. Audoënus, aliique Sæculo ſexto, Regulam ſimpliciter dictam, vel Regulam ſanctam appellaverint ; Magnuſque Carolus, præter Benedictinam, nullam aliam ab adventu ſancti Mauri Glannafolium, in Galliis receptam agnoverit : Iterùm aſſerendum id quod toties repetitum, toties probatum fuit, ſanctum Maurum primò; poſtea ſanctum Columbanum, cùm per ſe, tum per diſcipulos ſuos, mirum in modum Benedictinam Regulam propagaſſe : Adeò ut eorum ſtudiis & conſuetudinibus exculta, totum Gallicum Orbem occupaverit ; ſanctiſque Palmitibus, piis ſcilicet viris ad converſionem Gentium, morumque Chriſtianorum reformationem educatis, repleverit.

Dixi in ultimo Synopſis N. me hìc totius operis concluſionẽ cōplecti, non quod nihil amplius ſequẽti capite diſcutiendũ velim, ſed quod nullibi magis appoſitè quę decẽ & octo præſentis operis capitibus peregi, sũmatim potuerim attingere.

CAPUT XIX.

DE BENEDICTINÆ REGULÆ mira perfectione.

I. II. III. Opinio Cointii de neceſſariâ Benedictinæ Regulæ conjunctione cum aliis refertur. IV. V. vera S Benedicti Anianenſis Abbatis de S. Benedicti Caſſinenſis Regulâ opinio exponitur. VI. VII. Totus fuit Anianenſis Abbas, quamdiu vixit, in commendandâ Benedictinâ Regulâ. VIII.

S. Odonis & ſanctæ Hildegardis judicium de Benedictinâ Regulâ refertur. IX. Canones Conciliorum de eodem S. Benedicto laudantur. X. Item Vrbani octavi de S. Benedicto elogium commendatur. XI. Corollarium ex dictis. XII. Textus ex Benedictinâ Regulâ depromptus; & contra eam à Cointio laudatus proponitur, & illuſtratur. XIII. *Sententia Menardi, & Gaulfridi Vindocinenſis Abbatis de perfectione Regulæ B. Benedicti exponitur.* XIV. *Perfectio Benedictinæ Regulæ ex perfectione eorum qui eam ſolam ſervarunt, conjicienda proponitur.* XV. *Regulæ quæ majorem prudentiam ſapiunt, ſunt etiam perfectiores, & proindè Benedictina cæteris omnibus eminet, utpote quæ diſcretione præcipua dicitur.* XVI. *Fortioribus, & perfectioribus æquè ac infirmis poſita eſt.* XVII. *Aſſiduos & ſummos pœnitentiæ labores ſubeundos ſuadet.* XVIII. *Eos amplectuntur, non ſolùm ſingulares Monachi, ſed integra Monaſteria.* XIX. *Id etiam præſtat totus S. Romualdi Benedictinus Ordo.* XX. XXI. *Item Ciſtercienſis: Qui ſolam Regulam ſine additione alterius ſervabat.* XXII. *Totius capitis concluſio.*

I. PERPETUUS Benedictinorum Adverſarius laudatam ab aliis, & ſuperiùs compreſſam variarum Regularum cum Benedictinâ conjunctionem, nullo Annalium tomo admittendam ſuſcepit: Sed ejuſdem conjunctionis loco, adeò imperfectam ſancti Benedicti Regulam dixit; ut iis omnibus qui in viâ perfectionis longiùs progredi velint, non modò licitus ab eâdem ad alias Regulas tranſitus, ſed etiam neceſſarius ipſi videatur. Hanc, ab ipſo ſolo (quod ſciam) laudatam opinionem oculis nimis argutis, odiique judicio, in vitâ S. Benedic-

ti Anianenſis Abbatis, & in ipsâ quoque Benedictinâ Regulâ vidit & hauſit, quàm potuit avidiſſimè, ut ſtatim eam in litteras referret.

II. Sic ergo loquitur de ſancto Benedicto Anianæ Abbate: *Vilioribus induebatur veſtibus, lachrymis ac pœnitentiis atterebatur.* Ad quod probandum mox adjecit hunc textum Smaragdi vitæ S. Benedicti ſcriptoris. *Regulam B. Benedicti Tyronibus ſeu infirmis poſitam ferè conteſtans, ad B. Baſilii dicta; necnon ad ſancti Pachomii Regulam ſcandere nitens: Quamvis exiguè poſſibilia gereret, jugiter impoſſibilia rimabat. His ſe pœnitentiæ lamentis probans qui inimitabilis erat, vel nullis vel paucis, côoperante gratiâ Divinâ; ut multorum fieret documentum ſalutis, in amorem præfati viri Benedicti Regulæ accenditur, & veluti de ſingulari certamine novus Athleta ad campum publicè pugnaturus acceſſit.* Quibus verbis hæc Cointius adjungit ex ſuo. « Quod audis Benedictum Regulam B. « Benedicti tyronibus & infirmis poſitam cenſuiſſe, gran- « diorique niſu ad S. Baſilii dicta, & ad ſancti Pacho- « mii Regulam aſpiraſſe id obſerva Conſilio, ſcriptiſ- « que ſancti Benedicti valdè conſentaneum, qui ſuam « Regulam ſapienter hoc clauſit Epilogo. *Regulam hanc* « *deſcripſimus, ut eam obſervantes in Monaſteriis aliquatenus vel honeſtatem morum, aut initium converſationis nos demonſtremus habere. Cæterum ad perfectionem converſationis qui tendit, ſunt doctrinæ ſanctorum Patrum: Quarum obſervatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis; Quæ enim pagina, vel quis ſermo Divinæ auctoritatis veteris, ac novi Teſtamenti, non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? Aut quis liber ſanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Creatorem noſtrum; necnon & Collationes Patrum, & inſtituta, & vita eorum; Sed & Regula ſancti Patris noſtri Baſilii, quid aliud ſunt, niſi benè viventium, & obedientium Monachorum exempla, & inſtrumenta virtutum? Nobis autem deſidioſis, & malè viventibus, atque negligentibus, rubor confuſionis eſt. Quiſquis ergo ad Patriam Cæleſtem feſtinas, hanc minimam inchoationis Regulam deſcriptam, adjuvan-*

Tom. 6. ad an. 774. n. 158.

te Chriſto perfice : Et tunc demum ad majora, quæ ſuprà commemoravimus doctrinæ, virtutumque culmina, Deo protegente pervenies.

III. Annaliſtæ verba ſuperiùs, inter utrumque textum poſita, innuere videntur, ſancti Benedicti Regulam nonniſi Tyronibus, & infirmis Monachis convenire: Perfectis verò, & iis, qui ad vitæ Monaſticæ perfectionem aſpirant, aliam requirendam eſſe Regulam, ſancti Baſilii ſcilicet, aut S. Pachomii : Sanctique Benedicti Legiſlatoris ſapientiæ reputari, quod ipſam quam, Spiritu ſancto dictante, Regulam ſcripſit, S. Baſilii legibus multò imperfectiorem agnoverit ; & ad eam ſuos diſcipulos remiſerit, ut vitæ Monaſticæ perfectionem aſſequi poſſint, ad quam ſolius Benedictinæ diſciplinæ praxi pervenire non poſſunt. Ut verò demonſtrem virum doctiſſimum à verô longiùs aberrare, & utriuſque ſancti Benedicti mentem nullatenus conſequi; aut ſaltem diſſimulatione premere : Primò, veram, germanamque ſancti Benedicti Anianenſis de ſancti Benedicti Regulâ ſententiam aperiam; Secundò, textum ex eâdem Regulâ laudatum accuratiùs exponam. Tertiò, ex ipſius Regulæ verbis, variis exemplis , & tandem ex communi Eccleſiæ ſenſu, eam cæteris omnibus Monachorum ſcriptis Legibus præſtare, docebo.

IV. Quantùm ad primum attinet : Certum quidem eſt, ſanctum Anianenſem Abbatem, ipſo Converſionis initio, cùm fervore novitio totus æſtuans impoſſibilia rimaret , in hæc proſiliiſſe verba, ut diceret : *Regulam S. Benedicti Tyronibus ſeu infirmis poſitam*, adeo ut *& ad B. Baſilii dicta ; necnon ad ſancti Pachomii Regulam ſcandere niteretur.* Sed ſanctus Smaragdus, à quo hæc eadem fuerunt annotata, nos docet eumdem ſanctum, illuſtrante, & cooperante gratiâ Divinâ, primâ opinione dimiſsâ, in amorem Regulæ Benedictinæ totum arſiſſe. *Cooperante gratiâ Divinâ*, inquit, *ut multorum fieret documentum ſalutis, in amorem præfati viri Benedicti Regulæ accenditur. Et veluti novus Athleta , ad campum publicè pugnaturus acceſſit.* At ſi Regulas ſancti Baſilii, & ſancti Pachomii

magis perfectas ; aut ad adipiſcendam vitæ Regularis perfectionem magis accommodatas grandior factus habuiſſet, nullatenus dixiſſet ejus diſcipulus, quòd cooperante gratiâ Divinâ, in amorem Benedictinæ Regulæ accenſus, ad campum publicè pugnaturus deinceps acceſſerit. Quæ conſiderare debuit vir doctiſſimus, & utramque partem laudati textûs iiſdem oculis inſpicere ; ne ipſe, aut ejus exemplo plures alii laberentur.

V. Eadem Benedictinæ mentis explicatio, altero ejuſdem vitæ textu mirè firmatur. *Omne deſiderium ſuum,* inquit Smaragdus, *in obſervationem Regulæ converterat,* *n. 53.* *ſuumque hoc permaximè erat deſiderium, ut nihil intellectui ejus excederet, Quam ob cauſam, quos peritos eſſe compererat, attentè ſciſcitabatur circa longéque poſitos, eos etiam, qui iſtis in partibus ad montem Caſſinum accederent, veluti qui non audita ſolummodò, ſed viſa perciperent. Ob quam dilectionem intelligentiæ, cùm quiſlibet ei aliquid novi panderet, mox humiliter ſuſcipiens ſummâ reverentiâ aiebat, necdum ſe poſſe occultos ſenſus Regulæ noſſe, & cum cunctis ; non dicam Tyronibus, ſed ipſis ſapientibus ipſe eam elucidaverit, nova & inaudita ſe non tantùm à peritis, verùm etiam à ſimplicioribus reperire fatebatur.* Quæ ſi obſervata fuiſſent à Cointio, aut in Annalibus recenſita, Regulam Benedictinam Tyronibus tantùm poſitam cum errante Benedicto numquàm dixiſſet ; ſed ſaniori mente cum eodem ſenſiſſet, eamdem Regulam non modò Tyronibus, ſed perfectiſſimis etiam Monachis multùm congruere ; eamque ſanctum Benedictum Indenſem tanti feciſſe, quanti nulli Monachorum, nulli ſanctorum aliam quamcumque Regulam.

VI. Prætereà idem ipſe S. Benedictus, Legiſlatoris diſ- *Ibid.* cipulus, totus fuit quamdiù vixit in commendandâ Benedictinâ Regulâ. *Fecit denique librum*, inquit idem qui ſuprà Smaragdus Abbas, *ex Regulis diverſorum Patrum collectum ; ita ut prior B. Benedicti Regula cunctis eſſet .... Ex quo rursùs ut oſtenderet contentioſis nulla frivola, caſſaque à B. Benedicto edita fore ; ſed ſuam ex aliorum fultam eſſe Regulam, Alium collectis Regularum ſententiis compo-*

ſuit librum, cui nomen Concordia Regularum dedit, ita dumtaxat ut B. Benedicti præcederet ſententia, ei vero rationabiliter convenientes jungerentur deinceps. Cunctis ergo Regulis Benedictinam præpoſuit: Quia eamdem cenſuit omnibus præferendam, Concordiamque Regularum ſcripſit, cùm ut demonſtraret nihil in eâdem reperiri quod ab antiquis Legiſlatoribus approbatum non eſſet; tùm ut inſinuaret, nihil præclari, nihil ſolidi in omnibus Regulis reperiri, quod in unâ ſancti Benedicti normâ, inveniri non poſſet: Quæ cum ità ſint, dicendum, idque à Cointio dici debuiſſe videtur, neminem hominum unquam de Regulâ Benedictinâ ſancto Benedicto Anianenſi præclariùs loquutum eſſe.

VII. Id iterùm ſuadere videtur ipſemet ſanctus in Benedictinam Regulam, ab Annaliſtâ laudatus. Ipſum audiamus in Concordiæ Regularum Præfatione loquentem. *Dum communi utilitati conſulens*, inquit, *attentiùs quærerem, quomodo utiliùs poſſem cunctis prodeſſe, cœpi ſanctorum vitas, Regulaſque legere Patrum; quas dum ſagaci intentione percurrerem, & eadem penè quæ à ſancto Benedicto prolata ſunt verba in quibuſdam locis, in quibuſdam verò ſenſum eumdem cognoſcerem, occurrit animo ea quæ à tepidis ſegnibuſque Monachis dici aſſolet: Quid cæteræ huic conferunt Regulæ? Quid ad me, quas non promiſi pertinet legere? Et hæc quidem dicunt, ignorantes B. Benedictum, ſuam à cæteris aſſumpſiſſe Regulam, & veluti ex manipulis unum ſtrenuè contraxiſſe manipulum: Quapropter ſeu propter eos qui eas habentes ignorant quibus in locis ſit eorum concordia, placuit omnes ex omnibus in unum coarctari ſententias, quæ cum Patris Benedicti concordare noſcuntur Regulâ: Quatenùs unus ex multis collectus exiſteret codex.* Ex quibus verbis evidenter apparet, Concordiæ conditorem, non eo fine ſanctorum Patrum Regulas Monachis Benedictinis obtuliſſe legendas, ut eâ lectione ad vitæ rationem Benedictinâ ſublimiorem ineundam allicerentur: Sed ut amorem ejuſdem Regulæ, & ſummam ejus exiſtimationem altiùs imbiberent, cum eam ad inſtar manipuli ex omnium aliarum Regularum ſublimiori-

bus mandatis confecti ſe habere viderent

VIII. Idem omninò de Benedictinâ Regulâ judicium poſt ſanctum Benedictum Indenſem ; S. Odo, & ſancta Hildegardis fecêre in commendandâ . ſiquidem eâdem Regulâ nihil antiquiùs habuêre, quàm ut ejuſdem reconditam ſapientiam, & conſonas ſanctorum Patrum Regulis ſententias prædicarent. Joannes de ſancto Odone ſcribit : *Quòd theſauros in Regulæ obſervatione latentes, Monachis explicavit ; nullumque illius apicem prudenti inconſultum ; proficienti inutilem ; credenti difficilem ; pænitenti aſperum, ſuo & multorum exemplo docuit.* Sancta verò Hildegardis, textum Præfationis concordiæ Regularum ſuprà laudatum paucis complexa. *Sanctus Benedictus*, inquit, *Regulam quæ ſpiritualibus hominibus eſſet accommodata è ſanctorum vitiis, Spiritu ſancto docente & oſtendente,condidit.* S. Gregorius Papa iis omnibus ſanctis præivit, cum ſanctum Benedictum vocavit, *arctiſſimæ vitæ Magiſtrum optimum, & ſummæ veritatis diſcipulum eruditum ;* & cum dixit ejuſdem *Regulam diſcretione præcipuam.* *Lib. 4. in lib. Regum* *lib. 2. Dialog. cap. 36.*

IX. Hîc omnia veterum Patrum de ſancti Benedicti legibus præclara teſtimonia premo, de quibus alii fusè dixerunt : Taceoque ex Concilio ad Theodonis villam cap. 16. *Eamdem Regulam divinitùs dictatam eſſe.* Et ex Concilio Duziacenſi cap. 8. *Sanctum Benedictum ſancto Spiritu inſpiratum, conſona ſacris Scripturis, & aliorum Orthodoxorum Patrum prædicationibus in Regulâ ſuâ loqui.* Et cap. 7. *Eamdem Regulam eodem ſpiritu quo & ſacri Canones conditi ſunt*, editam eſſe. Et tandem. *Sancto Spiritu promulgatam & laudis auctoritate B. Papæ Gregorii inter Catholilicas Scripturas, & Catholicorum Doctorum ſcripta teneri decretam eſſe.* Quæ Conciliorum elogia alteri Regulæ conceſſa nuſquam reperies.

X. Sed præterire non poſſum præclarum illud & verum Benedictinæ Regulæ ſeu Benedictini Ordinis elogium per Urbanum octavum ſummum Pontificem, in Bullâ ad Xantonenſes Moniales poſitum. *Quidquid in vitâ ſanctorum mirabile eſt*, inquit, *quidquid altum ſub*

lumine fidei, ad veſtram vocationem pertinet ; ſpirituales gratiæ, quæ alios Ordines ſanctificant, varietate incomprehenſibilis earum diviſionis unam partem conſtituunt plenitudinis earum, quæ Ordini veſtro communicantur : Quando quidem illius Inſtitutor plenus erat ſpiritu omnium juſtorum.

XI. Quæ cum ità ſint, mirandum ſubit cur Annalium conditor ſanctum Benedictum Indenſem, ipſis ſuæ converſionis initiis errantem, & obedire nolentem ſequutus ; eumdem ad meliora converſum, & cooperante gratiâ Divinâ ſolis Benedictinis inſtitutis adhærentem, ſolamque Benedictinam Regulam probantem, eamdem omnibus Monachis ſequendam proponentem, miros, ſanctos, & occultos ejuſdem Regulæ ſenſus mirantem ; eam è cæteris omnibus aſſumptam, & tanquam manipulum ex aliis Regularum manipulis contractum dicentem, iiſque omnibus eam præferentem, ſequi noluerit, eidemque ſanctorum Baſilii & Pachomii Regulas prætulerit : Perindè quaſi ſolis Tyronibus poſita, Monachorum neminem ad perfectionem poſſet adducere : Idque maximè mirum, quòd id egerit, licèt ſententiam ſuam ſententiis Patrum & Conciliorum oppoſitam eſſe ignorare non poſſit : Cum ex ſancto Gregorio Papa, ſanctus Benedictus per Regulam docens, *arctiſſimæ vitæ Magiſter optimus, & ſummæ veritatis diſcipulus eruditus* habeatur ; cum ex eodem, ipſa Regula aliis omnibus diſcretione præſtet ; cum ex ſanctâ Hildegarde *è ſanctorum vitis, Spiritu ſancto docente & oſtendente, condita fuerit, & ſpiritualibus hominibus accommodata* ; cum ex Conciliis eadem ipſa, *eodem ſpiritu, quo ſacri Canones, condita* fuerit, & promulgata ; Et ſanctus Benedictus, *eodem Spiritu inſpiratus conſona ſanctis Scripturis, & aliorum Orthodoxorum Patrum prædicationibus in eâdem Regulâ loquutus* dicatur ; & tandem cum ex Urbano octavo, *omnes aliorum Ordinum, & Regularum gratiæ unam tantùm partem conſtituant gratiarum quæ Benedictinorum Ordini, & conſequenter eorum Regulæ, conceſſæ fuerunt.* Certè, meo quidem judicio, nemo prùdens, nemo doctus, ſi modò aliis propriiſque opinionibus non fuerit occupatus, tantis Auctoribus

toribus refragari poteſt ; aut eam Regulam tanquàm imperfectam aliis poſtponere Regulis, quam ipſi Sancti ſuperiùs laudati, & Concilia modò citata, quaſi Divinum opus aliis omnibus prætulêre.

XII. Alterum opinionis Cointianæ fundamentum nullo quoque negotio à nobis eruetur. Fateor quidem ſanctum Benedictum, ſuam ipſam, Regulam nihil aliud eſſe quàm initium Monaſticæ converſationis, ſcripſiſſe ; & eos qui ad perfectionem feſtinant, ad doctrinam ſanctorum Patrum, ad veteris, novique Teſtamenti, Collationum Patrum, ſanctique Baſilii Regulæ lectionem, ſeu ſi velis obſervationem, propriâ liberâque ſponte miſiſſe. Sed id feciſſe dicimus more Sanctorum, qui, actorum ſcriptorumque ſuorum mali æſtimatores, ea quæ ſunt optima nihili ducunt : Quod omnium ſæculorum experientiâ verum eſſe novimus. Quapropter, ſi de Regulæ Benedictinæ perfectione nobis judicium ferendum eſt, audiendi ſunt Summi Pontifices, Eccleſiæ Doctores, Scriptores ſancti, Conciliorum Patres, qui tanti faciunt Regularem ſancti Benedicti doctrinam, ut eam inter Canonicas ſcripturas repoſuerint & à Spiritu ſancto dictatam & promulgatam dixerint, & cætera ejuſdem elogia, quæ ſuperiùs enumeravimus, inſpicienda ; & tandem ex eorum ſenſu, non ex Benedictino, ejuſdem leges æſtimandæ videntur.

XIII. Hæc fuit Menardi noſtri, viri Doctiſſimi, ſententia, qui in eadem verba ab Annalium Auctore laudata ſic loquitur. *Hæc per extenuationem humilitatis gratiâ dicta ſunt : Nam longè excellentiorem perfectionem S. Benedicti Regula complectitur.* At Gaulfridus Vindocinenſis tantùm diſtare Benedictinam Regulam inter & cæteras, quantùm lucem inter & tenebras ; veritatem & umbram. Et ſancti Benedicti humilitatem ſuperioribus verbis ab Adverſario laudatis expreſſam, humilitatis Chriſti comparatione commendat. *Fuerunt*, inquit, *antè ſanctum Benedictum Abbates & Abbatum inſtitutiones ; ſicut ante Chriſtum Legiſlator extitit Moyſes : Bonam quidem & ſanctam Iudaïco Populo Moyſes attulit legem, ſed Chriſ-* *Serm. de ſancto Bened.*

ſius Chriſtiano Populo contulit meliorem : Ità ſancti viri illius temporis,ſecundùm datam ſibi à Deo gratiam, Monachorum leges ſtatuerunt : Sed Pater ac Legifer noſter Benedictus ſicut à Deo majorem gratiam percepit, ità meliorem legem inſtituit. Nam quidquid illi minùs, vel ampliùs faciendum prædixerunt, vel fieri permiſerunt, ipſe poſt illos correxit. Et infrà : *Antiquorum ſanctio Patrum quaſi veteris legis cultores habuit : Plus autem & diſcretiùs Pater Benedictus illorum ſtatuta, tanquàm duræ legis auſteritatem temperans, nos, novæ gratiæ filios,procreavit. Illa,quaſi vetera, penè, vel penitus omnia tranſierunt : Et ecce à ſancto Benedicto facta ſunt nova. Illa etiam tanquàm umbra & figura futuræ Monaſticæ vitæ fuiſſe videntur : Sed per laudabilem Patrem Benedictum, côoperante Spiritu ſancto eſt veritas revelata : Ipſe tamen pro magnâ ſuâ humilitate, ſancti Baſilii, & præcedentium vitam, & opera Patrum, vel ſua tacens, vel quaſi modica dicens, laudat & miratur. Bonus optimum diſcipulus Magiſtrum imitatus, qui taceri præcipiebat, cum ea,quæ ſine ipſo nemo alius facere poterat, operabatur.*

XIV. Optandum eſſet ut Annalium ſcriptor eodem ſpiritu quo Menardus, & pius ille Gaulfridus, duo priora utriuſque ſancti Benedicti laudata teſtimonia legiſſet : Certè, ut credere eſt, eodem ſenſu eadem fuiſſet interpretatus : Cum alius quilibet ſenſus, alienus à veritate videatur ; & à ſancti Gregorii mente multùm abhorrens. Ille ſiquidem, qui ſanctum Benedictum Moyſi, Heliæ, B. Petro, &c. comparat, & ejus Regulam omnibus aliis præfert, dum eamdem diſcretione præcipuam aſſerit, multùm abfuit ab eâ approbandâ opinione, quæ eam Tyronibus tantùm & infirmis poſitam putat : Cum ejus praxi ſanctus Benedictus ad eam perfectionem aſcenderit, ad quam antiquorum pauciſſimi perveniſſe probantur. *Si quis velit*, inquit Sanctiſſimus Pontifex, *ſubtiliùs* *Lib. 2. Dialog. cap. 36.* *mores, vitamque* [S. Benedicti] *cognoſcere ; poteſt in eâdem inſtitutione Regulæ omnes magiſterii illius actus invenire : Quia Sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quàm vixit.* Quamobrem ſi imitatores ſancti Benedicti,

& illi qui ad ejus perfectionem multùm accedunt inter Tyrones reponendi Annaliſtæ videantur : Nullos, vel etiam Monachorum perfectiores dari puto, qui inter Tyrones à Cointio recenſeri non velint ; niſi fortè Benedictino Tyrocinio ducantur indigni. Cum ergo ſanctus Benedictus ex omnium Chriſtianorum, Doctorum pariter & indoctorum judiciô, perfectiſſimus evaſerit ; eamque perfectionem ſuam ſequendo Regulam fuerit aſſecutus : Dicendum eſt pariter, eamdem perfectiſſimam; & non modò Tyronibus, ſed etiam perfectiſſimis Monachis poſitam eſſe : Niſi id intelligatur de Tyronibus ad ſummam vitæ Monaſticæ perfectionem, propriis ejuſdem Regulæ, non alienis exercitiis, conducendis.

Eâdem ratione, exploſa quoque cenſetur eorum opinio qui arbitrantur ſanctum Benedictum ultimô Regulæ capite ſuprà laudato, diſcipulos ſuos hortari, ac ſuadere, ut ad perfectam vitæ Monaſticæ ineundam rationem, alias Regulas ſuæ conjungant : Perindè quaſi ſeclusâ eâdem Regularum unione, perfecti non poſſent evadere, quod dicunt iis S. Benedicti verbis innixi : *Cæterùm, ad perfectionem qui tendit, ſunt doctrinæ ſanctorum Patrum, quarum obſervatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis*, &c. Sed cum idem ipſe Benedictinorum Legiſlator ad ſummum perfectionis gradum, ſuâ ſolâ Regulâ ductus aſcenderit ; eâdemque viâ, eâque ſolâ, ipſius diſcipuli, Maurus, Placidus, aliique eo numero qui definiri non poteſt, eodem pervenerint : Neceſſariò fatendum eſt, eamdem Regulam, ad perfectionem aſſequendam aptiſſimam & digniſſimam eſſe, quæ in viâ perfectionis ſanctiſſimos viros dirigat. Quod fateri non poſſunt, qui ex eodem toties laudato Benedictinæ Regulæ textu, plurium Regularum, aut etiam unius cum Benedictinâ ex æquo conjunctionem à B. Benedicto conceſſam autumant. Hoc datum fuit conſilium Monachis à ſancto Fulgentio. *Non declines ab eâ* [Regulâ] *ſancti Benedicti in quoquam, nec illi addas quippiam ; totum enim quod ſufficit habet, & nuſquàm minùs habet.*

XV. Sed audio ſubmurmurantes aliquos, qui, licèt

fateantur Benedictinam Regulam diſcretione præcipuam eſſe, ſeu omnibus aliis Regulis diſcretione præſtantem: Attamen ſibi ſuadent, aliarum plurimas, vitæ auſteritate ſuperiores. Sed meminerint nullam Regulam ex unâ tantùm ſui parte æſtimandam, ſed ex omnibus; & ex earum ad invicem debitâ proportione, quam ſola moderatur diſcretio: Quæ, quò perfectior fuerit in adæquandis Regulæ partibus, aut iis virtutibus temperandis, quæ ad vitæ Monaſticæ finem ultimum neceſſariæ præcipiuntur à Regulâ; eò etiam perfectior evadet, & aliis quibuſlibet Regulis eminentior. Quò circà, cum ex B. Gregorio Benedictinum inſtitutum ſit abſolutè diſcretione præcipuum; illud quoque perfectius erit, & ad Monaſticæ vitæ finem aſſequendum aptiſſimum.

XVI. Cæterùm, qui iſtam nobis opponunt objectionem; ſivè amici ſint, ſivè inimici, eodem ignorantiæ morbo laborant, quo ſanctus Benedictus Indenſis, cum Monaſticam ſancti Benedicti diſciplinam, ſolis infirmis & Tyronibus poſitam eſſe dicebat: In eum enim lapſus eſt errorem, eo quòd *necdùm poſſet occultos Regulæ ſenſus noſſe*; quod necdum aliis multis conceſſum videmus: Siquidem, non vident eam Regulam perfectiſſimis, pœnarumque ac laborum patientiſſimis, æque ac Tyronibus poſitam. Id enim vel maximè ab Abbate exigit, ut *opera quæ injungit, diſcernat & temperet, cogitans diſcretionem ſancti Iacob dicentis: Si greges meos plùs in ambulando fecero laborare, morientur cuncti unâ die. Hæc ergo, aliaque teſtimonia diſcretionis matris virtutum ſumens, ſic omnia temperet; ut & fortes ſint qui cupiant, & infirmi non refugiant.* Quibus ultimis verbis innuit ſanctiſſimus Legiſlator, fortes Monachos ſimul & infirmos Abbatis curæ commiſſos; & eâ conditione eidem commendatos ex Regulæ cap. 2. Ut *ità ſe omnibus conformet & aptet, ut non ſolùm detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* Id eſt, ni fallor, ejus muneris eſſe ut infirmi æquè ac fortes eâ diſcretione regantur, ut ſeipſis fortiores, ſeu perfectiores ſemper evadant.

Reg. cap. 64.

XVII. Hæc verò Benedictinorum fortitudo, ad quam eos promovere debent Abbates ; non modò in comprimendis tentationibus, & cupiditatibus coërcendis laborabat, ſed etiam in ſubeundis laboribus, corpore domando, aliiſque pœnis ferendis, quibus libidines penitùs frangerentur, & per viam verè Chriſtianam, laborioſam, vereque Chriſti viæ conformem ad Cœlum progredi liceret. Hanc viam primus ad diſcipulorum exemplum ſanctus Bendictus arripuit ; quem imitatus fuit Sanctiſſimus Maurus, aliique, ut credere par eſt, Caſſinenſes Monachi. Utrumque diſcimus ex Fauſto, in vitâ S. Mauri n. 8. *Quis unquàm*, inquit, *auſteriùs corpus proprium jejuniis, abſtinentiâ, ac Vigiliis, Squaloribus quoque, & nimiis domuit frigoribus ? Frequenter enim eum in diebus ſanctæ Quadrageſimæ vidimus, nec tunicâ, nec cucullâ, niſi ſolum-modò ſacco uti cilicino, & duabus tantùm vicibus in hebdomadâ, parviſſimum potius prægustare, quàm ſumere cibum : Iſte quippe mos in omni vitâ ſanctiſſimo fuit Benedicto. Cujus ille* [Sanctus ſcilicet Maurus] *exemplo provocatus, afflictione pervalidâ carnem macerabat, in-quantùm illi ejuſdem Patris ſui permittebat licentia : Nam reliquo totius anni tempore ſub Monachi tunicâ, ſemper aſperrimô, à ſcapulis uſque ad Renes, induebatur trogulo ; ejuſdem ſubtegminis in ſtratu ſuper aggeſtum calcis & ſabuli tantum-modò, excepto quadrageſimali tempore, ſemper uſus cicilio. Tunc enim, in-quantùm poterat, ſollicitè ſatagebat ne jacendo, ſed potiùs ſtando, vel etiam cum nimia eum laſſitudo compuliſſet, ſedendo ſomnum caperet. Nemo unquam illum vidit de lectulo cum cæteris ſurgere Fratribus, ſed ſemper nocturnos vigilando prævenire, hymnos attentiùs procurabat.* Videant modò Adverſarii noſtri, utrùm hæc ſanctorum virorum vivendi ratio Tyrones tantùm ſapiat & infirmos Monachos ? Et utrùm ea Regula quam ſecuti fuêre, & ex cujus imperio vitam adeò aſperam iniêre, imperfecta, aut imperfectorum Regula dicenda videatur ? Si quærant ubinam in eâdem Regulâ tanta vitæ aſperitas imperetur : Reſpondeo id actum quarto ejuſdem capite ; ubi inter inſtrumenta bonorum operum,

Sæcul. I. Bened.

quæ ſanctus Benedictus diſcipulis ſuis exhibet, *Corpus caſtigare, delicias non amplecti, jejunium Amare*, ponuntur. Quantùm verò unuſquiſque jejunare, corpuſque caſtigare debeat, ejus eſt præſcribere, cujus eſt efficere, *ut & fortes ſint qui cupiant, & infirmi non refugiant.* Quam Regulam implevit ſanctiſſimus Maurus, de quo mox dicebatur, quod *ſancti Benedicti exemplo provocatus, afflictione pervalidâ corpus macerabat, in-quantùm illi ejuſdem Patris ſui permittebat licentia.*

XVIII. Quis verò poſſet enumerare Benedictinos Monachos, qui in iiſdem pœnitentis vitæ exercitiis ſeſe dedêre? Sed omiſſis ſingularibus Monachis, ad integra Monaſteria veniamus, eaque conſideremus, quæ ſolis Benedictinorum inſtitutis imbuta, nulliuſque alterius Regulæ permixtione, aut conjunctione roborata, perfectiſſimæ, veteriſque ſanctorum Patrum ſanctitatis exempla dederunt; eaque præſtiterunt quæ ſuſpiciunt omnes, pauciſſimi ſe eadem aſſequi poſſe confidunt, pauciores verò reverà conſequuntur. Fuldenſe Monaſterium, quod Fundatorem ſanctum Bonifacium Germanorum Apoſtolum habuit, & quod ſub ſolâ S. Benedicti Regulâ hactenus viget; ipſo ſuæ fundationis initio vitam inivit aſperrimam. *Eſt lacus ſylvaticus in Eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis*, inquit idem Bonifacius Epiſtola 142. *in medio Nationum Prædicationis noſtræ, in quo Monaſterium conſtruentes, Monachos conſtituimus ſub Regulâ S. Patris Benedicti viventes, viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne & vino, abſque ſicerâ & cerviſiâ, proprio manuum ſuarum labore contentos*, &c. Si perfectio Monachorum à vitæ communis cujuſque Monaſterii acerbitate petatur: Neſcio utrùm apud Ægyptios aliquod Monaſterium ſub aliquâ antiquorum Patrum ſcriptâ Regulâ vivens repertum fuerit, quod perfectiores & in laboribus patientiores Aſcetas habuerit. A Fuldenſium virtutis eminentiâ nullatenùs diſtabant Anianenſes Monachi ſub ſancto Benedicto eorum Abbate, ſub ſolîs ſancti Benedicti, omnium Benedictinorum Parentis, legibûs viventes. *Erat eo tempore*, inquit Smaragdus in vitâ Anianenſis Abbatis, *numeroſa jam turba*

Fratrum, & in fervore perpetuæ vitæ ſuccenſa: Certabant ſiquidem, quis eorum eſſet humilior, quiſve in obedientiâ promptior, in abſtinentiâ ardentior, in vigiliis anterior, in loquendo poſterior, in veſtitu vilior, in Charitate ferventior; quibuſdam etiam revelationes fiebant, &c.

Dicent ſanctum Benedictum nullum ſuorum Monachorum eâ lege recepiſſe, ut manuum ſuarum labore viveret, & vino abſtineret ſeſe. Sed his repono, in Caſſinenſi quidem Cœnobio neminem perpetuò laborare & vino abſtinere nolentem, aliquando coactum niſi in pœnam perpetrati peccati. Sed à B. Benedicto laudatos vini abſtemios, eoſque qui labore manuum vivere ſeligebant. *Si autem neceſſitas loci, aut paupertas exegerit*, [inquit] *ut ad fruges colligendas per ſe occupentur, non contriſtentur, quia tunc verè Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum vivunt, ſicut & Patres noſtri & Apoſtoli.* Et cap. 40. *Vnuſquiſque proprium habet donum ex Deo, alius ſic; alius verò ſic; & ideo cum aliquâ ſcrupuloſitate à nobis menſura victûs aliorum conſtituitur: Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus Heminam vini per ſingulos ſufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abſtinentiæ, propriam ſe habituros mercedem ſciant.* Ex quibus conſtat, pergratum & optatiſſimum ſancto Benedicto fuiſſe, ut ſui diſcipuli omnes ad inſtar Fuldenſium converſarentur, qui hac in re propiùs ad mentem Benedictinæ Regulæ acceſſerunt, quàm alii quique ejus alumni. Reg. cap. 48.

XIX. Inſpiciamus modò non Monachos, aut Monaſteria ſolitariè ſumpta; ſed Ordines integros, eorumque aſperam nimis vivendi diſciplinam. De Camaldulenſibus Aſcetis hæc habet S. Petrus Damiani in vitâ S. Romualdi Benedictini, eorum Fundatoris. *Taliter tunc in ſytriâ*, [uno ex eodem Ordine Cœnobio] *vivebatur, ac ſi ex ſimilitudine non ſolùm nominis, ſed etiam operis altera denuò Nitria diceretur: Omnes ſi-quidem nudis pedibus incedentes, omnes inculti, pallidi, & nimiâ rerum omnium extremitate contenti erant, nonnulli verò obſeratis januis clauſi, ita mortui videbantur mundo, veluti in ſepulchro jam poſiti. Vinum ibi nemo noverat: Nec etiam-ſi graviſſimam quis*

ægritudinem pateretur : Sed cur ego de Monachis loquor, cum & ipſi Monachorum famuli, ipſi quoque cuſtodes pecorum, jejunarent, ſilentium tenerent, diſciplinas ipſi inter ſe facerent, & de quibuſlibet verbis otioſis pœnitentiam flagitarent ? O aureum Romualdi ſæculum ! quod & ſi tormenta perſecutorum non noverat, ſpontaneo tamen martyrio non carebat ; aureum inquàm ſæculum quod inter montium, & ſylvarum feras tot Cæleſtis Hieruſalem Ciues alebat. De ſancto verò Romualdo Camaldulenſium, ſub ſancto Benedicto, Patriarchâ ità loquitur Baronius ad an. 974. n. 2. *Deus in tantâ peccatorum caligine Ægypti pœnæ tenebras ſuperante,* &c. *facem accendit..... talis planè extitit vir ſanctiſſimus Romualdus prodiens, ut alter Ioannes Baptiſta ex Eremo lucerna ardens & lucens, qui claras Ægypti Nitrias atque Thebaïdas Anachoretis fertiles tranſtulerit in Italiam, inter quos ipſe ut alter Antonius forma factus ſit omnibus ejuſmodi arduum inſtitutum arripientibus....... Ex quo factum eſt ut admirandis progreſſibus ſanctitatis, ex Cœnobio ad vitam tranſiens Anachoreticam ita fœcundus in prole ſanctorum fuerit, ut Occidentalem Eccleſiam, ſanctis repleverit Anachoretis, quorum aliqui Apoſtolatum ad Gentes meruêre, & inſigni coronâ martyrii coronari.* Quibus elogiis à ſancto Damiano, Baronioque in gratiam ſancti Romualdi & diſcipulorum ejus compoſitis, nihil addendum arbitror, ut eam Regulam quam ſecuti ſunt omnes, perfectiſſimam probem : Et ejuſdem alumnos antiquis Nitriæ & Thebaïdis Monachis, cùm pietate tùm animi corporiſque laboribus æquandos exiſtimem.

XX. Non inferioris meriti aut abſtinentiæ minoris habendi ſunt Ciſtercienſis Ordinis Aſcetæ, de quibus ita loquitur Alanus, ex diſcipulo ſancti Bernardi Epiſcopus Autiſſiodorenſis in vitâ ejuſdem ſancti Bernardi cap. 9. n. 26. *Erat tunc temporis videre Claræ-vallis aurea ſæcula, cum viri virtutis, olim divites in ſæculo & honorati, in paupertate Chriſti gloriantes, Eccleſiam Dei plantarent in ſanguine ſuo, in labore & ærumnis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, & anguſtiis multis ; ſanctæ illi valli, eam quam poſtea habuit præparantes ſufficientiam & pacem. Erat*

cernere

cernere quaſi novos Cælos in Terrâ, & Antiquorum Ægyptiorum Monachorum Patrum noſtrorum antiquas ſemitas, & in eis recentia ſanctorum veſtigia. Primâ facie ab introëuntibus claram vallem per deſcenſum montis, Deus in Domibus ejus cognoſcebatur, cum in ſimplicitate & humilitate ædificiorum, ſimplicitatem & humilitatem inhabitantium vallis muta loqueretur. Denique in valle illâ hominibus plenâ, in quâ nemini otioſum eſſe licebat, omnibus laborantibus, & ſingulis circa injuncta occupatis, mediâ die, mediæ noctis ſilentium à ſupervenientibus inveniebatur præter laborum ſonitus, vel ſi Fratres in laudibus Dei occuparentur...loci vero illius ſolitudo inter opaca ſylvarum, & vicinorum hinc inde montium anguſtias, in quô ſervi Dei latebant, ſpeluncam illam S. Patris Benedicti quodammodo repræſentabat, in quâ aliquandò a paſtoribus inventus eſt; ut cujus imitabantur vitam, habitationis etiam ejus ac ſolitudinis formam aliquam habere viderentur, omnes quippè etiam in multitudine ſolitarii ibi erant. Arnaldus unus ex S. Bernardi diſcipulis, lib. 2. ejuſdem vitæ. Summi Pontificis ad Claram vallem acceſſu narrato, Monachorum modeſtiâ & paupertate deſcriptis, præparatas Domino Papæ epulas, in hunc modum nobis exhibet. *Gaudebant omnes in Domino; & ſolemnitas non cibis ſed virtutibus agebatur. Panis ibi antopyrus, pro ſimilâ; pro Carenâ, lapa; pro Rhombis, olera; pro quibuſlibet deliciis, legumina ponebantur: Si fortè piſcis inventus eſt, Domino Papæ appoſitus eſt, & aſpectu non uſu in commune profecit.* Qualis quæſo ſolitus erat Ciſtercienſium Cibus, & quanta Claræ-vallenſium paupertas, qui vix unum piſciculum in ſummi Pontificis cibum invenire potuerunt?

XXI. Plura hîc nec dicenda, nec ex aliis Auctoribus laudanda videntur, ut Ciſtercienſes Monachos inter perfectiſſimos omnium ætatum Aſcetas recenſere poſſimus. Sed nullatenùs omittendum eos Benedictinam Regulam accepiſſe ſervandam, non adumbratam, non truncatam, non alterius cujuſque Regulæ capitibus aut ſententiis auctam, non conſuetudinibus, declarationibus aut conſtitutionibus oneratam: ſed per ſe ſolam, ſolitariam, nudam,

qualem denique ſanctus Benedictus eam diſcipulis tradidit, quæ eò majora ſemper incrementa recepit, quò majorem habuit ab aliis ſeparationem. *Robertus Abbas*, inquit Robertus de monte tractatu de immutatione Ordinis Monachorum, *& magnæ Religionis Monachos aggregavit; poſt aliquot annos Regulam ſancti Benedicti perſcrutatus ad litteram voluit perſuadere diſcipulis ſuis, ut labore manuum viverent ..... At, illi contrà nitentes ...... Hæc Robertus audiens receſſit ab eis cum viginti & uno ſibi aſſentientibus ..... qui decreverant Regulam S. Benedicti .... ad litteram penitùs obſervare.* Meliùs Stephanus Tornacenſis epiſtolâ primâ. *Ciſtercienſium Ordinem*, inquit, *quaſi lucernam ſupra montem poſitam quis in Eccleſiâ Dei maximum & præcipuum culmen non dicat attingere? Evangelium implentes, Monaſticam Regulam quam ſupererogavit Benedictus Pater .... ſic obſervant ne unum ex eâ Iota præterire videantur: Beata paupertas eorum, quæ licèt eos fame premat & frigore, non tamen, aut mendicare compellit aut Divitibus adulari, ſuis ac ſuorum manibus victum exquirunt ac veſtitum.* Plura in Ciſtercienſium laudem habentur ibidem. Sed id maximè notandum, quòd in Eccleſiâ Dei maximum & præcipuum culmen attigerint: Id eſt ni fallor, quòd ſummam perfectionis fuerint adepti, Regulam Benedictinam ſervaverint, ut ne Jota in eâdem præterire voluerint; aut ei quidpiam addere. Quâ in re ſanctum Benedictum habuerunt auctorem, qui cap. 2. Regulæ jubet ſuis diſcipulis, *ut in omnibus omnes ſequantur Regulam*: Et cap. 64. Abbati præſcribit: *Præcipuè ut præſentem Regulam in omnibus conſervet.* Quibus mandatis dum parent Ciſtercienſes, *in Eccleſiâ Dei maximum & præcipuum culmen perfectionis attigêre*, ut habet Tornacenſis Epiſcopus. *in eis erat cernere antiquorum Ægyptiorum Monachorum Patrumque noſtrorum* [qui ſolùm ſanctum Benedictum in Legiſlatorem habuerunt] *antiquas ſemitas, & in eis recentia ſanctorum veſtigia.*

XXII. Quæ cum ita ſint notiſſimum jam eſſe puto, ſanctum Benedictum Indenſem adhuc juvenem de Benedictinâ Regulâ inconſultè loquutum: Ætate vero gran-

diorem mirum in modum eam coluiſſe, libroſque compoſuiſſe quibus doceret alias Regulas nihil habere perfecti, quod ſanctus Benedictus ad ſuæ compoſitionem Regulæ non accepiſſet : & tantam in eâdem perfectionem contineri, ut Anianenſis jam ſenex fateretur necdùm ſe potuiſſe occultos ſenſus Regulæ noſſe; tandemque nullam aliam diſcipulis ſuis impoſuiſſe Regulam, ut eos ad ſummam perfectionem duceret, præter eam, quam primò ignotam damnaverat. Certiſſimum etiam eſſe arbitror eamdem Benedictinam Regulam omnium aliarum perfectiſſimam eſſe ; eamque non acceſſione aliarum, ſed ſe ſolâ, ſanctum Benedictum, S. Maurum, Fuldenſes Monachos, Camaldulenſes, Ciſtercienſes, veteres & hodiernos, alioſque multos ad eam perfectionem tuliſſe, ad quam pauciſſimi ex aliarum Regularum alumnis perveniſſe noſcuntur. Quamobrem huic quæſtioni, verbis Gaulfridi vindocinenſis Abbatis, finem impono. *Antiquorum Sanctio Patrum, quaſi veteris legis cultores habuit ; pius autem & diſcretus Pater noſter Benedictus, illorum ſtatuta, tanquam duræ legis auſteritatem temperans, nos novæ gratiæ liberos procreavit : Illa quaſi vetera, penè vel penitus omnia tranſierunt : Et ecce à ſancto Benedicto facta ſunt nova. Illa etiam tanquam umbra & figura futuræ Monaſticæ vitæ fuiſſe videntur : Sed per laudabilem Patrem Benedictum, côoperante Spiritu ſancto, eſt veritas revelata. Ipſe tamen pro magnâ ſuâ humilitate, ſancti Baſilii & præcedentium vitam, & opera Patrum, vel ſua tacens, vel quaſi modica dicens, laudat & miratur. Bonus optimum, diſcipulus Magiſtrum imitatus, qui taceri præcipiebat, cum ea quæ ſine ipſo nemo alius facere poterat operabatur.*

DISSERTATIUNCULA

DE PRIVILEGIIS, DONATIONIBUS, Cæteriſque Monaſteriorum Chartis, quibus diverſis Temporibus Varii Auctores ſubſcripſiſſe noſcuntur.

NOVI quidam Auctores antiquorum ſubſcribendi morem penitùs ignorantes, ſubſcriptiones quæ recentiore manu diverſis temporibus factæ videntur, injuſtis, ut plurimùm, ponderibus examinarunt: Horum enim alii, ne Chartæ fictitiæ crederentur, eas adulterâ manu corruptas dixêre: Alii verò chartas ipſas vocaverunt in dubium, neque fidem integram eis adhibere voluerunt: Cæteri verò, eas eſſe commentitias ſunt arbitrati: Quibus omnibus modis rebus ſuis conſuluiſſe videtur Annaliſta Francorum Cointius, qui quoties hujuſcemodi ſubſcriptiones reperit, eas falsò chartis additas; aut Chartas ipſas interpolatas, aut dubias, aut tandem commentitias aſſeveravit, prout ſcilicet ſuâ intereſſe credidit.

Hic Auctor, cum privilegium Corbeïenſe ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundum excuteret, illud conjecit eſſe dubium, quia multi Epiſcopi, qui in privilegii capite, nominati non erant, ſubſcripti videbantur in fine, cui capite Diſſertationis ſexto, in hæc verba reſpondi. *Mihi certiſſimum videtur, non omnes qui ſubſcripti reperiuntur diverſis in chartis ſimul eodemque tempore ſua dediſſe nomina, cujus rei exemplum videre eſt in ipſo Corbeïenſi Privilegio: Hi enim omnes quorum nomina initio privilegii poſita non fuêre, ſubſcripſiſſe videntur poſt editum privilegium, cum videlicet dedicata fuit Corbeïenſis Eccleſia, quod contigit ex ejuſdem Monaſterii Chronico, anno 663. altero poſt datum privilegium, quo de agimus, anno: immò ex eodem privilegio conjici datur, Bertefridum Ambianenſem, alioſque initio nominatos Epiſcopos voluiſſe, ut*

omnes abſentes Epiſcopi, etiam ſucceſſivè, ſi fieri poſſet, datum privilegium ſuis ſubſcriptionibus ſtabilirent, atque firmarent. Quam definitionem, inquiunt, conſtitutionis « noſtræ, ut noſtris & futuris temporibus valitura ſit, ma- « nûs noſtræ ſubſcriptionibus roboravimus, & coëpiſ- « copos Domnos, & Fratres noſtros rogamus, ut ipſum « in omnibus confirmare debeant. «

Hoc ipſum imitati fuère Pariſienſis Concilii Patres, de quibus ſuprà in Corbeïenſium privilegiorum confirmatione. Obſecramus, inquiunt, Fratres & coëpiſcopos noſ- « tros per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſ- « træ Congregationis in ipſum; ſed & Religioſos Ab- « bates, qui ad hanc ſanctam & beatam Synodum non « occurrunt, in quorum manus hujus privilegii à nobis « editi & corroborati pagina pervenerit, ut ſuâ auctori- « tate & ſubſcriptione hoc confirmare non differant. « *Maneat ergo, ſupplendas quidem ſubſcriptiones, quæ negligentiâ quâdam in exemplaribus videntur omiſſæ, ſed nullas omnino abradendas, neque delendas cum poſteriorum temporum Epiſcopi & Abbates, intemerato privilegio, atque confirmato, ſubſcribere potuerint, quod pluribus aliis contingere potuit. Hac de causâ, in antiquiſſimis Chartarum monumentis (quod etiamnùm obſervare poſſumus) inter ſubſcriptiones teſtium, chartarum confectioni aſtantium, & inſcriptionem anni quo data ſunt diplomata, ſpatium aliquod ſcripturâ vacuum de induſtriâ relictum apparet, in quo ſubſequentes Epiſcopi nullo falſitatis periculo ſubſignare poſſent: non quidem ut ſuam ibi præſentiam teſtarentur, ſed, ut datum, confictumque privilegium iterùm ſuâ auctoritate firmarent: Quod ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis ubicumque terrarum, variiſque temporibus præſtari poteſt.*

Has tantorum Patrum auctoritates Annaliſta Franco- *Ad an. 751. n. 1,1.* rum, tenuiſſimâ quidem, ſed adverſariâ nimis ſuſpicione, nullâ ratione roborata, imminuendas credidit. *Philippus Baſtidus* inquit *capite ſexto ſuæ contrà nos Diſſertationis certiſſimum ait ſibi videri, non omnes qui ſubſcripti reperiuntur diverſis in Chartis ſimul eodemque tempore ſua nomina dediſſe. Fraudis ſuſpicione non caret hoc ſubterfugium,*

ut patet de pluribus Chartis, de quibus diſputatum ſuis in locis. Quod reſponſi genus, breve nimis, eòque magis perplexum & expeditum, quò paucioribus verbis, nullâque ratione fulcitur. Vel enim Cointius putat nullas omninò diverſorum temporum ſubſcriptiones admittendas: Quia in ſuperioribus Annalium Tomis nullas Chartas recenſet, quæ multas præter ſimultaneas ſubſcriptiones admisêre; Vel nobis ſuadere conatur in eiſdem tomis, aliquas ineſſe Chartas, quæ hujuſmodi ſubſcriptiones, diverſis locis & temporibus factas, admittendas prohibuêre. At primum penitus rejiciendum omnes admittent: Cum à ſpecialibus, & numeratis Chartis, ad omnes prorsùs, nec apud Philoſophos, nec apud hiſtoriæ ſcriptores valeat inductio, cum plures reperiantur Chartæ, quæ manualibus diverſorum temporum ſignis munitæ probantur: Quantùm verò ad alterum propoſitionis Cointianæ ſenſum attinet, pergratum faceret vir eruditus, ſi vel ſaltem eas Chartas indicaret, quibus fit evidens, omnes prorsùs qui ſubſcripti reperiuntur diverſis in Chartis ſimul eodemque tempore ſua nomina ſemper dediſſe, ita ut ſubſcriptiones ſimultaneæ ſemper, nuſquàm verò diverſis temporibus, datæ fuerint. Nullam hujuſcemodi Chartam me vidiſſe memini, licet Annales accuratè ſatis pervolverim, nullamque dari pro certô habeo; multum enim à ratione alienum videtur, Chartas editas quibus generatim vetitum eſſet ne privilegia, cæteraque diplomata futuri aut abſentes Præſules eadem deinceps manualibus ſignis munirent: Quin-immò contrarium à Conciliis imperatum, & ab Epiſcopis actum ſuprà vidimus; & mox aliis exemplis firmaturi ſumus.

Thalaſius Andegavenſis Epiſcopus Concilium Turonicum primum anni 461. à quo abſuerat, poſt eos Epiſcopos qui præſentes fuerant eo modo ſubſcripſit. *Thalaſius peccator hanc definitionem Dominorum meorum Epiſceporum ab ipſis ad me tranſmiſſam, in Civitatulâ meâ relegi, ſubſcripſi, & conſenſi.* Synodi veneticæ Patres circa annum 465. Victorium & Thalaſium Epiſcopos abſentes hortantur, ut ejuſdem Synodi decreta confirment. *Quod in no-*

titiam Beatitudinis veſtræ, inquiunt, *quia præſentia veſtra nobis, neceſſitate faciente, fraudata eſt, credidimus differendum : Vt ſi probabile duxeritis, id quoque & veſtrâ auctoritate firmetur.* Juſtus Urgelitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, Concilium Toletanum ſecundum anno 531. coactum, cui non interfuerat, in hæc verba poſt alios Epiſcopos firmavit. *Iuſtus in Chriſti nomine, Eccleſiæ Catholicæ Vrgelitanæ Epiſcopus hanc conſtitutionem conſacerdotum meorum, in Toletanâ Vrbe habitam, cum poſt aliquantùm temporis adveniſſem, ſalvâ auctoritate priſcorum canonum, relegi, probavi, & ſubſcripſi.* S. Rigobertus Archiepiſcopus Remenſis, Bertoëndus Cathalaunenſis, aliique Præſules quinque, Baſinus, Stephanus, Adalbertus, Alonus, & Madalgarius, Rhemis adunati ad an. 692. in Privilegio ſancto Berchario conceſsô, in gratiam Dervenſium Monaſteriorum hæc habent. *Quæ conſtitutio noſtra, ut firmis ſubſiſtat temporibus, manûs noſtræ ſubſcriptionibus eſt raborata ; & ut pleniùs confirmetur, Cæteris Fratribus & Coëpiſcopis, qui ad præſens non fuerunt, deſtinavimus inſuper roborandam. Obſecramus*, inquiunt Patres Concilii Pontigonenſis, tom. 9. Concil. Labbæi p. 1262. in confirmatione Monaſterii Carilocenſis : *Etiam eos qui hanc piæ devotionis ſcripturam legerint vel audierint, omnes Fratres noſtros, ſed, & Religioſos Abbates, ut voluntate ſuâ, noſtræ faveant, & ſi rogati fuerint, propriis ſubſcriptionibus noſtram ſententiam confirment.* Patres Concilii Cabilonenſis ad annum 887. in confirmatione bonorum à Geilone Lingonenſi Epiſcopo, Eccleſiæ ſancti Stephani Divionenſis conceſſorum. *Harum itaque Sanctionum*, inquiunt, *evidentiſſimam confirmationem manibus noſtris ſub ter ſcribendo annotavimus, abſentium quoque Sacerdotum, nec minùs idoneis ſubſcriptionibus per Chriſtum & in Chriſto ſimiliter confirmari poſtulamus.* Quod reverà præſtitum fuit : Nam in privilegii Chartâ, præter nomina propria Epiſcoporum Concilii manu ſubſcripta, plura quoque ſubſequentium Epiſcoporum ſigna reperiuntur. Anſterii ſcilicet Lugdunenſis, Vvalonis Æduenſis, Argrimi Lingonenſis, Vvarnerii itidem Lingonenſis, Gorcelini Præſu-

Tomo 10. Spicil. p. 227.

Collectanea Perard. pag. 50.

lis, Ledboïni Chorepiſcopi: Quorum plures, eorum Epiſcoporum qui Concilium habuerunt, fuêre ſucceſſores.

Eodem modo Concilium Carthaginenſe quintum, cui ſoli viginti duo Epiſcopi interfuêre, à ducentis decem & ſeptem Epiſcopis ſubſignatum fuit. *Hoc eodem anno*, inquit Baronius ad annum 419. n. 59. *Menſe maii habita legitur Synodus Carthaginenſis, quæ ordine quinta recenſetur, cui una cum Aurelio, & Apoſtolicæ Sedis Legatis, interfuerunt ex Provinciis Africanæ Eccleſiæ electi judices, ſive legati, omnes numero viginti duo: Quod verò habetur in fine ſubſcripſiſſe eidem Synodo Epiſcopos ducentos decem & ſeptem, ſic intelligendum eſt, quod, quiſque ex illis poſteà ſubſcripſit, in ſuâ Eccleſiâ eiſdem decretis, quibus ſuos Legatos ab eâ Provinciâ miſſos ſubſcripſiſſe ſciret.* Idipſum de his ſubſcriptionibus censêre Binius, aliique: Quid ergo mirum, quòd Privilegia, & Synodalia decreta, à paucis Epiſcopis confecta, à longè pluribus ſubſcripta diverſis temporibus, variiſque locis approbata reperiantur, cum id multis Gallicanis Conciliis, & etiam Africanis apud Baronium, & alios Conciliorum collectores accidiſſe legamus? Quò fit, ut ſi aliquâ ſuſpicionis, aut ſubterfugii labe aſpergenda ſit opinio noſtra, ea in Bertefridum Corbeïani Privilegii datorem, cæteroſque Patres, qui cum ipſo communibus votis illud approbavêre; immò in Synodos Pariſienſem, Turonicam, Veneticam, Toletanam, Remenſem, Pontigonenſem, Cabilonenſem, & in ducentos illos decem & ſeptem Epiſcopos Africanos, de quibus Binius & Baronius, refundenda erit: Illorum enim Conciliorum Epiſcopi quidam juſsêre, ut decreta, privilegiaque ab ipſis condita, ab aſſentientibus & ſubſequentibus eorum Fratribus, aut conſacerdotibus firmarentur; alii verò, id quod mandatum fuerat, præſtitêre.

Eorumdem Conciliorum optandi, atque decernendi morem etiam habuêre Summi totius Eccleſiæ Pontifices, qui aliàs juſſerunt, ut Bullis ſeu Privilegiis Romæ editis, extranei Præſules, vel longo terrarum ſpatio diſſiti, ſua nomina darent. Id enim imperavit Stephanus Papa hujus

jus nominis nonus in gratiam ſancti Gerardi Bronienſis Abbatis, de quo ita ſcribit Auctor ipſius vitæ apud Surium. *Beatus Gerardus in omnibus conſulere cupiens Bronienſi Monaſterio, tam et-ſi jam ætas gravior immineret: Non tamen detrectavit Romam proficiſci, ut Oratorio quod ipſe fundaverat, Summi Apoſtolorum Principis Petri impetraret patrocinium, & à Chriſti Vicario Pontifice, de rebus & libertate ejus Monaſterii litteras authenticas impetraret, quas cum mirâ alacritate animi Stephanus Pontifex juſſiſſet conſcribi, viro Dei eas dictante, plumbeo Sigillo munitum ei contulit privilegium; factâ etiam ei poteſtate, ut ejus confirmandi gratiâ Pontificis nomine juberet ſubſcribere Epiſcopos omnes, per quos revertens in Patriam, tranſiturus eſſet: Eæ litteræ ſummo ſtudio hactenus in Bronienſi Monaſterio aſſervantur.* Idipſum quoque contigiſſe Sueſſionenſi ſancti Medardi Privilegio à ſancto Gregorio Papâ conceſſo, Regum, Præſulumque Francorum ſubſcriptiones teſtantur.

3. Oct. n. 26.

Arnaldus, qui fuit Epiſcopus Magalonenſis, obiitque anno Domini 1078. litteras obtinuit à ſummo Pontifice Joanne vigeſimo, quæ in hæc verba deſinunt. *Hoc verò decretum firmari volumus ab omnibus Epiſcopis, quos Arnaldus invitaverit, ſicut nos feciſſe inferiùs cognoſcetur: benè valete.* Cui decreto hi diverſarum Provinciarum Epiſcopi ſubſcripſerunt. *Aldericus Dei gratiâ Vercellenſium Epiſcopus, Rainaldus Dei gratiâ Papienſis Epiſcopus, Petrus, quem dicunt Epiſcopum ſanctæ Ruffinæ, firmavit ſubſcribens, Iſmundus Archiepiſcopus Ebredunenſis firmavit, Odolricus Epiſcopus Aurelianenſis Eccleſiæ, Raimundus Epiſcopus de Mende, Deodatus Epiſcopus Cadurcenſis, Stephanus Anconenſis firmavit, Aribertus Epiſcopus Limenſis firmavit, &c.*

D. Petrus Gariel. Decanus. pag. 105. Edit. Toloſ. an. 1665.

Quæ cum ita ſint, & videamus ſummos Pontifices, & alios inferiores Epiſcopos, ſive ſolitariè ſumptos, ſive in Synodum congregatos, optaſſe, voviſſe, juſſiſſe, ut abſentes, futurique Præſules, Privilegia, decretaque ab ipſis edita aut conceſſa, futuris quibuſque temporibus firmarent, Cointianam ſuſpicionem levatam; aut ſi velis, depreſſam; & opinionem meam tot Auctoribus,

quot fuerunt Antiſtites, qui Chartas anteriores ſubſcripſerunt, aut ab eis ſubſcribi voluerunt, confirmatam fuiſſe certum exiſtimo.

Dum præſens opuſculum Typis ederetur, & ego ad generalia Burgundiæ Provinciæ Comitia per Monaſterium Flaviniacenſe progrederer, Chartularium optimæ notæ mihi legendum dedêre Flaviniacenſes Aſcetæ commonachi noſtri, quo in libro multa ſcitu & lectione digniſſima deprehendi; Et inter cætera, quædam quæ conſtitutam modò quæſtionem penitus enodarent: Nam plures unius ejuſdemque Sedis Epiſcopi ſucceſſivè uni eidemque Chartæ ſubſcripſiſſe leguntur. In Chartâ enim 21. p. 69. & 70. ſubſcriptiones habentur in hunc modum. *Actum in Synodo Lingonenſi publicè † Signum Iſahac Lingonenſis Eccleſie Epiſcopi. Sig. Vvarini Abbatis. Sig. Anſerii Abbatis. Sig. Amalrici Archidiaconi. Sig. Arnaldi Archidiaconi. Sig. Otberti Archidiaconi. Sig. Vrſini Decani. Sig. Bernardi Archiclavis. Sig. Vicarini Presbyteri. Sig. Madragaldi Presbyſteri. Sig. Galemandi Presbyteri. Sig. Rotmundi Levite. Sig. Sirici Levite. Sig. Ingelberti Levite. Sig. Gotzelini Diac. Sig. Eurardi Diac. Sig. Duranni Diac. Sig. Arembcrti Subdiac. Sig. Vvarnerii Subdiac. Sig. Giſlerii Acoliti. Sig. Godonis Accliti. Sig. Arialdi Acoliti.*

† *Ego quoque in Dei nomine Argrimus Linguonenſium Epiſcopus relegi & meo ſigno ſignavi. Signum Gcylonis Lingonenſis Epiſcopi.*

Ego in Dei nomine Saloardus Levita Cancellarii fungens officio dictavi anno Incarnationis Dominici DCCC. LXV.

Quâ in Chartâ poſteriores Epiſcoporum ſubſcriptiones appoſitæ fuerunt in eo ſpatio quod conſultò vacuum inerat inter Chartæ Auctoris appoſitum nomen & ejuſdem Chartæ datam ſeu ſubſcriptionem ultimam. At in Chartâ 29. pag. 89. ſubſcriptiones quæ poſt mortem Vvalterii Æduenſis Epiſcopi, Chartæ prædictæ fuerunt appoſitæ, datam ipſius non præceſsêre; ſed eamdem ſubſequutæ fuerunt: Ubi id etiam obſervandum, quod is ipſe Vvalterius, qui Chartam in Flaviniacenſium Mona-

chorum gratiam fieri juſſit, eam nullo manuali Signo munivit : Eorum quæ Chartâ continentur enarratione contentus; Ubi quibuſdam prælibatis ſic loquitur : *Quapropter ego Vvalterius ſanctæ Æduenſis Eccleſiæ, Domino tribuente, Præſul, omnibus præſentibus atque futuris, cognitum fore volo, quia anno Dominicæ Incarnationis 992. Indictione V. Heldricus ..... Abbas Cœnobii Flaviniacenſis cum Fratribus illic ſub normâ ſancti Benedicti, quod olim incumbente maligni ſpiritûs fraude ceſſaverat, nunc ſuppeditante Domini Dominorum gratiâ, nobis pro poſſe laborantibus, Vivâ Regularis Devotionis profeſſione degentibus, noſtram humiliter deprecatus eſt Charitatem, ut Abbatiæ, noſtræ Sedi decenter adnixæ....... Decimas ex Capellis quarum Beneficium eſt ex ipsâ Abbatia, ad victum & uſum tam Abbatis quam Monachorum ibi Deo famulantium Epiſcopalis auctoritate firmitatis concederemus, ut omni tempore præſentis vitæ, tam ipſi qui nunc ſuperſunt, quam omnes ſucceſſores eorum, ſecundùm Dei & ſanctorum ejus honorificentiam, & illorum voluntatem Sacerdotem inibi inſtituant*, &c.

Item Charta 16. pag. 56. ſubſignantium nomina habentur in hunc modum.

Signum Achardi Epiſcopi.	*Milonis Abbatis.*
Beraldi PP.	*Godſelmi Arch.*
Arnaldi Dec.	*Ingeluvini.*
Theudonis Arch.	*Stephani Presbyteri.*
Ermanni.	*Aymonis.*
Simeoni Diaconi.	*Ayrardi.*
Vgonis.	*Framerici Archipresbyteri.*
Guidonis.	*Aldefridi.*
Alectorii.	

Ego Bruno Epiſcopus precatu Domni Amadei Abbatis relegi & laudavi. Lambertus Præpoſitus.

Ego in Dei nomine Lambertus quamvis indignus Epiſcopus poſteà ſubſcripſi Airardus Archidiaconus.

Tunc poſteà Hugo Epiſcopus hoc ſcriptum relegit & confirmavit.

Ego Vvilencus Levità indignus ad vice Raherii Archi-

cancellarii hanc ſcripturam ſcripſi & datavi VI. *Id April. regnante Lothario Rege ann.* XII.

Quæ omnia, unà ſimul referre placuit, cùm ut pateat quoſdam Epiſcopos Monaſteriorum rebus ditatos, non ſuis, ſed Monachorum proventibus eorum indigentiam ſublevaſſe: Tum etiam ut videamus, imminutas eorumdem Monachorum facultates, non modò imminutam, ſed penitùs perditam diſciplinam Monaſticam; & ipſam Benedictinam Regulam oblivione ſepultam. Sed ad ſubſcriptiones veniamus quæ hoc ordine ſcribuntur. *Anscharius Archidiaconus; Vvalterius Abbas; Gyrardus Archidiaconus; Vuncbaldus Abbas* &c. quibus multorum nomina duabus columnis comprehenſa ſubjiciuntur. Tum *Ego Frater Flaverdus Indignus Sacerdos, ſcripſi ad vicem Rodulphi Notarii in menſe Martio anno II. regnante Rege Roberto. Hæc auctoritas firmitatis poſt obitum ſanctæ recordationis Vvalterii Præſulis relecta à Domno Helmuino Epiſcopo ſucceſſore ejus gratificè eſt confirmata atque conlaudata anno præfati Regis XLVI. Helmuinus Epiſcopus, Gaufridus Archidiaconus, Azilinus Præpoſitus*, &c. ex quibus omnibus ſubſignandi Formulis compertum habetur ex poſterioribus chartarum approbationibus alios quidem poſt editas Chartas eiſdem ſubſcripſiſſe additâ Notâ qua id conſtaret, ut in Chartâ 29. ubi hæc habentur *hæc auctoritas firmitatis poſt obitum ſanctæ recordationis Vvalterii Præſulis relecta à Domno Helmuino Epiſcopo ſucceſſore ejus gratificè eſt confirmata*, &c. Et in Charta 16. *Ego in Dei nomine Lambertus* (Brunonis ſucceſſor) *quamvis indignus Epiſcopus poſteà ſubſcripſi*. Alios verò Præſules hâc omiſſa notâ ſimpliciter ſubſcripsêre, ut obſervare poſſumus in hac eâdem Chartâ 16. in quâ Bruno Aicardi ſucceſſor, & Lamberti Prædeceſſor ſubſcribit *Ego Bruno Epiſcopus precatu Domni Amadei Abbatis relegi & laudavi*. Similiter legitur in Chartâ 21. Quæ omnia, utpotè Diſſertationi profutura, eidem ſubjicienda fuerunt.

DE ANTIQUA

ORDINIS SANCTI BENEDICTI intra Gallias Propagatione Diſſertatio.

Auctore Domno PHILIPPO BASTIDE, *Congregationis S. Mauri Monacho Benedictino.*

EDITIO SECUNDA.

PRÆFATIO AVCTORIS.

INEUNTE anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo de ſancti Columbani Monachatu diſſertationem conſcripſeram, quâ eum Benedictinis annumerandum probarem, & quibuſdam auctoribus occurrerem, qui eum propriis tantùm legibus vixiſſe credebant. Sed cum eodem exeunte anno quartum Annalium tomum R. P. Caroli le Cointe legiſſem, grandiori ac diffuſiori opere mihi agendum, majorique ſtudio enitendum putavi, cùm ut Annalium auctoris in Ordinem Benedictinum poſteriores conatus infringerem, tum ut S. Benedicti inſtitutum antiquorum Monaſteriorum conjunctione novorumque multiplicatione Sæculo ſexto longè latéque per Gallias diffuſum oſtenderem : contra quàm ſentit Annalium conditor, qui ipſius Ordinis primordia tenebris involvenda ſuſcepiſſe videtur.

Sæpius in prioribus tomis claros & illuſtres viros nulla plerumque ratione nulloque quæſito colore ex albo Benedictinorum eraſerat ; utque error in principio creſcit in millia, quicquid diverſis in locis ſcripſerat in Ordinem, totum ferè in hunc quartum Annalium tomum conjecit, & in novos denuo delapſus errores, errata priora novis falſiſque opinionibus cumulavit. Omnia tamen ad duo potiſſimùm capita reduci poſſunt, ex quibus tanquam

ex claris accuratiſque principiis ſuas omnes opiniones deducit.

Primum in eo conſiſtit, quòd exiſtimet vir clariſſimus *a* nullam ex Glannafolienſi Monaſterio ſub S. Mauri regimine eductam Monachorum coloniam, nullaque conſequenter Benedictina Cœnobia in Galliis ædificata, & ut tardiùs eumdem Ordinem propagatum eſſe demonſtret *b*, S. Maurum ad annnum uſque ſexcenteſimum quartum vitam duxiſſe contendit, viginti annorum acceſſione liberaliter illi conceſſa, divino oraculo in hoc ipſum reſciſſo, cujus illuſtratione S. Benedictus ipſum S. Maurum decurſis ſexaginta annis ab eo tempore, quo Monaſticem fuerat profeſſus, exceſſurum eſſe prædixerat. Cùm enim per viginti ut minimum annos Monachum egerit antequam in Gallias fuerit emiſſus, anno ſcilicet quingenteſimo quadrageſimo tertio, per quadraginta annos in Galliis vixiſſe & ad annum quingenteſimum octuageſimum tertium tantummodo perveniſſe dicendus erit.

a *Tom. 4. anno 734. n. 76.*

b *Ibid. & to. 2. an. 604. n. 2.*

Secundum quo Annalium auctor nititur fundamentum, ea opinione conſtat, qua tenet *c* varia Monachorum inſtituta aduſque ſæculum octavum in Galliis floruiſſe, eaque celeberrima quæque Cœnobia complexa eos Monachos fere omnes peperiſſe, quos in eccleſiaſticis faſtis adſcriptos legimus; adeo ut novo miraculo, ſi viro Clariſſimo creditur, S. Benedictus qui ſecundùm *d* communem & incorruptum Eccleſiæ Romanæ ſenſum, *Monachorum diſciplinam in Occidente pæne collapſam reſtituit ac mirificè propagavit*, vix intra ducentos fere annos à promulgata Regula in utraque Germania, Galliis omnibus, Anglia, Scotia, Hibernia unum aut alterum Cœnobium per ſuos diſcipulos ædificaverit, & in nullo collapſam Monachorum diſciplinam reſtituerit. Utrum verò erraverint ſummi Pontifices, aut ipſemet vir Clariſſimus falſa pro veris obtruſerit, Lectorum judicio remitto.

c *Tom 3. an. 667. n. 20. & t. 4. an. 734. nn. 56. & 68.*

d *Martyrol. Rom. ad diem 21. Martii.*

Nihil tamen æquè mirabile in Auctorum lucubrationibus inveniri poteſt, ac novus ille modus quo ſuas propugnat opiniones: eas enim ut nullo negotio defendat *e*, omnia diplomata aliaque ſcripturarum inſtrumenta, quæ

e *Tom. 4. an. 734. nn.*

magno numero, ut ipſemet refert, à Benedictinis citantur, interpolata cenſet aut falſa, & varios auctores, ut ipſi lubet, corrigit & emendat: *alios enim perperam aut ex opinione à cultoribus S. Benedicti jam recepta* ſcripſiſſe, *alios Chartas in quas inciderunt malè interpretatos eſſe, alios tandem membranas nullius fidei publicaſſe dicit*; ſoloque Jonæ vitæ S. Columbani ſcriptoris ſilentio fretus judicio cenſorio, S. Benedicti nomen ex omnibus auctoribus & chartis, quoties unà cum Columbani nomine in eiſdem ſcribitur, eradendum ſancivit, imò eadem poteſtate cenſoria ne Columbanum inter Benedictinos numerare cogeretur, à Columbani nomine Benedicti nomen amovit, eraſit, penituſque delevit; facili procul-dubio ratiocinandi genere, quo etiam doctis æquantur indocti vel præferuntur, cùm ad eradendum multò ſint procliviores. Quis enim doctorum ſententias non faciliùs expungat quàm confutet?

43. & 70. ibid. n. 43. Ibid. tom. 2. an. 625. num. 65 tom. 2. an. 586. n 42. tom. 4. an. 734 n. 38. Ibid. n. 107.

A quibus opinionibus ut R. P. le Cointe aliquando deducam, Regulam S. Benedicti antequam S. Maurus in Gallias evocaretur, à quibuſdam Monachis Gallis ex aliqua ſui parte ſervatam, tum à S. Mauro mirè dilatatam, & tandem à S. Columbano utpote Benedictino longiùs propagatam demonſtrare conabor, idque præſtabo ordine quodam retrogrado: nam quo faciliùs veritatem aſſequar, eamque demonſtrem, pedetentim & gradatim ſurſum verſus ad eam aſcendam, à notis ſcilicet ad minùs nota progrediendo.

Ut ab immobili, ut ita dicam, principio aſſumptum opus aggrediar, primùm Ludovici Pii temporibus unicam S. Benedicti Regulam per univerſa orbis Gallici Monaſteria viguiſſe probabo, tum ex ſuperiorum temporum Conciliis, hiſtoriis, Sanctorum actis, Monaſteriorum fundationibus, dotationibus, privilegiis ad uſque Sæculi ſexti medium ab omnibus Monachis Gallis obſervatam fuiſſe ſucceſſivè monſtrabo, neque aliis actis id efficiam plerumque, quàm iiſdem ipſis quæ in Annalibus eccleſiaſticis Francorum expoſita reperi & emendata: tanta enim ubertate ſcripſit Annaliſta, tantáque copiâ,

tot etiam antiquitatis retulit documenta, ut largiori manu ac liberali ea abunde præbeat, quibus aut infirmentur ejus opiniones, aut corrigantur. Utrum verò id quod polliceor efficiam, Lectori judicandum relinquo.

Interea Lectorem monitum velim, me nullo in doctiſſimum virum odio, nullo contemptu, nullo caritatis detrimento, ſed ſolo oppugnatæ veritatis tuendæ deſiderio calamum ſumpſiſſe; ejus enim virtutem colo, eruditionem, opera, antiquitatis notitiam plurimi facio, ſcioque nullo ſpeciali in Ordinem odio ea ſcripſiſſe quæ improbanda ſuſcipio & impugnanda, ſed ex aliqua quorumdam præconcepta opinione, qui ſuperiorum temporum Monachos inſtitutis, viuendi modo, Regulâ à recentioribus ſejungere vellent. qua de re nihil ampliùs dicam, ne nimiùm dicam.

SVB LVDOVICO PIO IMPERATORE omnes Gallici Imperii Monachi Benedictinæ Regulæ ſervandæ propoſitum renovant.

CAPUT PRIMUM.

NEMINEM hominem reperiri puto ex his omnibus qui rerum eccleſiaſticarum monumenta, qui Epiſcopatuum & Abbatiarum origines, quique Epiſcoporum & Abbatum ſeriem legêre aut aliunde novêre; qui non libenter ſinceréque fateatur, totâ Europâ Monachos omnes Benedictinæ Regulæ multis Sæculis fuiſſe deditos: quo verò tempore id primò generatim atque universè contigerit, multi dubitant: & quia id ſcire neceſſarium, quibuſdam gradibus Lectores ad veritatem deducam. Ea propter ut à certis & à notis incipiam.

Hiſtoricis omnibus perſpicuum eſſe videtur, ætate ſaltem Ludovici Pii Imperatoris cuncta Galliæ, Germaniæ & Italiæ Cœnobia Benedictinam jam habuiſſe, aut ſaltem tunc ſuſcepiſſe Regulam. Hoc nobis perſuadent illa *Anno 817.* ſeptuaginta duo generalia Capitula in conventu Aquiſgranenſi

granenſi à Benedictinis & pro Benedictinis edita, quibus jubetur, ut *Monachi omnes qui poſſunt Regulam memoriter diſcant, & ut officium juxta id quod in Regula S. Benedicti continentur celebrent*, cæteraque præſtent quæ decent ejuſdem Regulæ obſervantes ac ſtudioſos. Quæ tanti fecêre Caſſinenſes Monachi, ut apud ipſos eodem ſtudio ac ipſa ſancti Benedicti Regula obſervata fuerint, ut refert Leo Oſtienſis. *Vltimo*, inquit, *hujus* (Theodemari) *anno Ludovicus Imperator*.·.·.·.*quarto anno Imperii ſui in Aquiſgrani Palatio cum plurimis totius Franciæ Abbatibus Monachiſque Religioſis conventum faciens, valde utiliſſima noſtri Ordinis obſervationi ſeptuaginta & duo generalia Capitula conſtituit: quæ ita fere omnia apud nos, ac ſi beati Benedicti Regulæ obſervantur.*

Cap. 2. & 3.

Chron. Caſſ. c. 16.

Eadem Religione, ut credere par eſt, ipſa Capitula à Monachis Gallis obſervata fuere; ut enim ab omnibus pari affectu ſuſciperentur, parique colerentur ſtudio, beatum Benedictum Anianæ Abbatem, alioſque Monachos ad univerſa Imperii Gallici Monaſteria Ludovicus Imperator emiſit, ut habet auctor ipſius vitæ: *Conſtituit Deo amabilis Imperator*, inquit, *Benedictum Abbatem, & cum eo Monachos ſtrenuæ vitæ, qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes redeunteſque, qui uniformem traderent cunctis Monaſteriis, tam viris quàm Sanctimonialibus feminis vivendi ſecundùm Regulam ſancti Benedicti incommutabilem morem.*

Tom. 2. hiſt. Francor. per Querci-tanū. p. 298.

Doctiſſimi viri Bollandus & Henſchenius cùm iſtis tum aliis actis ex vita ſancti Benedicti Anianæ Abbatis petitis perſuaſi, Regulam ſancti Benedicti Caſſinenſis omnibus tunc temporis impoſitam fuiſſe ultro conceſſere; ſed ad hæc uſque tempora aliorum Patrum Regulas variis in locis obſervatas fuiſſe dixerunt. *Videntur*, inquiunt, *in id tempus variæ ex his Regulis* (quæ in concordia Regularum referuntur) *in diverſis Monaſteriis obſervatæ, quibus abolitis, tunc unica in toto Francico Imperio Monachis omnibus præſcripta eſt ſancti Benedicti Caſſinenſis Regula: ad quam amplectendam, ut animi omnium magis benevoli redderentur, ſcripſit ſanctus Benedictus Indenſis hanc con-*

In comment. prævio vitæ S. Benedicti. §. 2. n. 15.

cordiam, in cujus præfatione aſſerit cæteras cum ſancti Benedicti concordare.

Quibus in verbis duplex deprehenditur error; quorum primus in eo conſiſtit, quòd eruditiſſimi viri opinentur ad Ludovici Pii tempora plures Regulas à Monachis Gallis ſervatas eſſe; alter verò error eorum eſt, quòd concordiam Regularum à ſancto Benedicto Indenſi eo fine ſcriptam autument, ut eo libentiùs alieni Monachi Benedictinam Regulam amplecterentur, quo certiùs viderent eam cum cæteris ſanctorum Patrum Regulis concordare.

Sed ab iis quærerem, ubinam legerint Benedictinam Regulam anno octingenteſimo decimo ſeptimo novè Monaſteriis impoſitam, abrogatis in eiſdem ſanctorum Patrum Regulis. Hoc enim nullo teſte aſſerere nemo poteſt, quin egregiè orbi terrarum imponat. Ardo namque vitæ ſancti Benedicti Indenſis fideliſſimus ſcriptor nunquam dixit ſanctum Benedictum aliquas ſanctorum Patrum leges aut Regulas antiquaſſe, ſed ſolum Benedictinum Ordinem in antiquum perfectionis ſtatum, à quo deſciverat, reſtituiſſe narravit. *Hic eſt*, inquiunt apud Ardonem Indenſes Monachi in epiſtola ſtatim à morte ſancti Benedicti ad Anianenſes ſcripta, *Benedictus, per quem Dominus Chriſtus in omni regno Francorum Regulam ſancti Benedicti reſtauravit.* non, promulgavit. Certè coævus ille Poëta à reverendis Patribus citatus, qui geſta Ludovici Pii verſibus exaravit, leges Benedictinas renovatas ſolùm aſſerit, non de novo promulgatas aut impoſitas; ſic enim habet:

In comment. prævio. § 2 n. 14.

Hic decreta Patris Benedicti lege tenenda
Sancit, & antiquæ renovat legalia normæ,
Cujus erat Fautor devota mente fideque.

Quibus verbis, *antiquæ renovat legalia normæ*, hoc ſolum denotat, antiquam ſcilicet ſancti Benedicti Regulam novis ſtatutis, normâ, conſuetudinibus ab Imperatore alterius ſancti Benedicti conſilio innovatam fultamque fuiſſe.

Quem genuinum eſſe ſenſum Poëtæ & Ardonis, Auc-

toris vitæ Ludovici Pii, imo & Conventus Aquiſgranenſis ab ipſo ſancto Benedicto Indenſi diſcimus, qui in epiſtola Georgio Abbati cæteriſque Anianæ Monaſterii Fratribus data, ſe vitiata corruptaque Monaſteria ad primævam Regulam diſtrictè ſervandam revocaſſe ſcribit, & eos hortatur, ut diligentiùs provideant, ne eadem Monaſteria à perfecta Regulæ obſervatione deflectant aliquando, atque deficiant. *Sicut ergo Monaſteria*, inquit, *dudum vitiata jam aliquid emendationis à nobis accepiſſe videntur, ita maximè nunc cavete, ne (quod abſit te poſco miſericors Deus) ſiniſtram viam ullo tempore tendant.* Vitiata ergo Monaſteria emendata fuere per beatum Benedictum Indenſem, qui in ipſis antiquæ normæ, Regulæ ſcilicet Benedictinæ, legalia renovavit, ipſamque ſancti Benedicti Regulam reſtauravit; quam nullatenus aut renovaſſet aut reſtauraſſet unquam, niſi ab antiquo in iiſdem floruiſſet Cœnobiis, & lapſu temporis obſoleviſſet. *Apud Bolland. ad calcem vitæ S. Benedict. 12. Febr.*

Hanc eamdem veritatem ſpirant cùm promulgatæ in Aquiſgranenſi Conventu Capitulares ſententiæ, tum etiam ipſa ſententiarum verba: in iis enim de abrogandis antiquorum Patrum Regulis, de immutanda Monachorum vivendi ratione, de antiquanda votorum formula nihil omnino decretum: ſed iiſdem omnino ſententiis, verbis verborumque genuino ſenſu ſolummodò excitantur Monachi ad eam quam profeſſi erant Regulam ferventiori ſtudio, diligentia promptiore, propenſiorique affectu ſervandam. Ea propter præſcribitur Abbatibus, ut *mox ut ad ſua Monaſteria remeaverint, Regulam per ſingula verba diſcutientes pleniter intelligant, & intelligentes Domino opitulante efficaciter cum Monachis ſuis implere ſtudeant*; ut *Monachi omnes qui poſſunt Regulam memoriter diſcant*; ut *ad Capitulum Regula legatur*; ut *Lectori nihil niſi quod Regula jubet detur.* Quibus verbis ex mente Conventus qui ſolius Benedictinæ Regulæ meminit, excitantur omnes ad eamdem legendam, implendam, & memoriter diſcendam, quam procul-dubio tam Abbates quàm Monachi longè antea profeſſi erant. Aliàs quis Monachorum ſibi non perſuaſiſſet, auctoritate Conven- *cap. 1.* *cap. 2.* *cap. 9.* *cap. 29.*

tus ſuam ipſius Regulam non Benedictinam legendam, memoriter tenendam & adimplendam eſſe? Quis etiam, niſi deſiperet, ad injungendam novam Regulam ipſius ſuppreſſa mentione his uteretur verbis: Omnes Regulam memoriter diſcant, pleniter legant, adimplere ſtudeant, & ad Capitulum legatur? Certè qui hoc modo loqueretur ac ſe gereret, ad antiquam promiſſamque Regulam ſervandam Monachos hortari videretur, ſi non inſanus videretur.

Eadem facilitate Bollandi & Henſchenii poſtremus error auferetur. Nam, ut ex Ardone conſtat, S. Benedi-
cap. 8. n. 41 ctus Anianæ Abbas *ut oſtenderet contentioſis nulla frivola caſſaque à Beato Benedicto edita fore, ſed ſuam ex aliorum fultam eſſe Regulam, alium collectis Regularum ſententiis compoſuit librum, cui nomen Concordiam Regularum dedit.* Ea ergo intentione eamdem concordiam edidit, ut S. Benedicti Regulam illuſtraret, eamque aliarum comparatione à quorumdam calumniîs vindicaret: multi namque cùm negligentes & tepidi, tum iidem ipſi qui inter Monachos ſanctiores & inſigniores habebantur, eamdem Regulam arguebant, quos inter numerandus fuit aliquando ipſemet Benedictus Indenſis, cùm indiſcreto quodam fervore, Abbate etiam invito, inediâ, vigiliis aliiſque pœnis & laboribus corpus debilitabat; tunc enim, ut ſibi conſuleret & eximeret à culpa, ipſam incuſabat
cap. 2. n. 8. Regulam. *Cùm corrigeretur ab Abbate*, inquit ipſius diſcipulus, *parciùs erga ſemetipſum exercere rigorem, aſſenſum minimè præbuit, Regulam quoque B. Benedicti tyronibus ſeu infirmis poſitam eſſe conteſtans, ad B. Baſilii dicta, necnon ad S. Pachomii Regulam ſcandere nitens, quamvis exiguè poſſibilia gereret, jugiter impoſſibilia rimabat.*

Quantum verò ſpectat ad protervos & negligentes Monachos, quis dubitat eos omnia cùm ſpiritualia, tum corporalia perfectorum Monachorum exercitia irridere, eaque pro frivolis caſſiſque habere ſolitos? Quapropter ex æquo perfecti negligenteſque Monachi admonendi erant, & qui ex ipſis contentioſi reperiebantur, convincendi pariter & corrigendi. Quam in curam omnia S.

Benedictus ſua ſtudia conferebat, ſive adhortationibus, ſive libris editis diſcipulos erudiret. *Propter plurimorum*, inquit idem auctor, *indiſcretum fervorem, & quorumdam ineptum teporem, minuſque capacem ſenſum, optimum conſtituit terminum, ordinemque ſervandum cunctis tradidit, illos retrahens ne ſuperflua peterent, his imperans ut torporem excuterent, alios nihilominus admonens ut ſaltem juſſa implere expeterent.* *16. cap.*

Cæterùm ipſi etiam inertes ignavique Monachi, quorum intuitu ſuam Benedictus Concordiam fecit, adeo dilucidè hanc de qua diſputo quæſtionem ſolvunt, ut mirer aliquos repertos auctores qui negaverint Benedictinam Regulam ab iiſdem fuiſſe promiſſam. *Quid cæteræ, inquiunt, huic conferunt Regulæ? Quid ad me quas non promiſi pertinet legere?* Quaſi dicerent, fruſtra eorum ob oculos diverſorum Patrum Regulas apponi, cùm nullam earum ſolamque Benedictinam promiſerint. *In præfat. Concord. Reg.*

His omnibus de quibus fuſiùs egi, auctorem vitæ S. Vinvvaloei ſtatim opponent. Ex ipſo enim anno octingenteſimo decimo octavo *cœpta eſt ſervari in eodem Monaſterio* (Landevenenſi) *Regula S. Benedicti*. Ad hæc enim uſque tempora Scotorum converſationem imitati fuerant, ut patet tum ex eadem vita, tum ex privilegio eidem Monaſterio à Ludovico Pio Imperatore conceſſo. Ex quo ſequi videtur, ut volunt aliqui, ſeriùs in nonnullis ſaltem Armoricæ ſeu Britanniæ Minoris Cœnobiis Regulam S. Benedicti generali uſu receptam eſſe. *Apud Boll. 3. Mart. p. 159.*

Miror ſanè quomodo ex unico Monaſterio extra Imperium & quaſi extra orbem Gallicum in angulo totius univerſi poſito, & à communi Eccleſiæ univerſalis uſu diſcrepante, Ordinis S. Benedicti propagationem intra Gallias definire voluerint. Certè abunde id quod intendo me probaturum eſſe confido, quandoquidem eoſdem tantùm terminos Benedictinis quos apoſtolicis legibus præſcribunt. Eadem quippe Scriptura, eademque Ludovici Pii ſanctione Benedictina Regula Landevenecenſibus præſcripta fuit, qua Romanorum Pontificum leges imperatæ. *Cognoſcentes ab Scotis*, inquit Ludovicus Pius,

Ibid. p. 161. & Sæc. 1. Bened. præf. p. 33.

ſive de converſatione, ſive de tonſione capitum accepiſſe, dum ordo ſanctæ apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ aliter ſe habere cognoſcitur, placuit nobis ut ſive de vita, ſeu etiam de tonſura cum univerſali Eccleſia, Domino diſpenſante, nobis commiſſa concordarent. Et ideo juſſimus ut & juxta Regulam S. Benedicti Patris viverent, quæ poſſibilis & laude digna eſt; & de tonſura capitis juxta taxatum modum, cum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ per orbem terrarum dilatata eſt, concordent unitate. Ex hac privilegii ſanctione etiamſi conceſſerim in eodem privilegio agi de totali S. Benedicti Regula noviter accipienda, quod in dubium jure vocari poteſt, id tamen eruetur certi & indubitati, eos omnes Monachos, qui ſive de vita, ſive etiam de tonſura cum univerſali Eccleſia, Domino diſpenſante, Ludovico commiſſa concordarent, juxta Regulam S. Benedicti vixiſſe; cùm idem Imperator Landevenecenſes ad Benedictinam Regulam adigat, & ad tonſuram Romano modo gerendam, *ut ſive de vita, ſeu etiam de tonſura cum univerſali Eccleſia, Domino diſpenſante, ipſi commiſſa concordarent.* Ergo niſi vitam ſuam ad præſcriptum Regulæ Benedictinæ inſtituiſſent Landevenecenſes Monachi, cum univerſali Eccleſia de vita minimè concordaſſent. Quapropter omnes omnino Latini Monachi, qui ſub Imperio Gallico per Italiam, Germaniam & Galliam vivebant, Benedictini dicendi ſunt & aſſerendi.

SUB CAROLO MAGNO REGULAM S. BENEDICTI communi uſu receptam in Gallia, Concilia per id tempus habita demonſtrant.

CAPUT II.

QUÆ ſuperiùs de Benedictinæ Regulæ generali per Gallias obſervatione retuli atque diſputavi, totius Galliæ Germaniæque totius auctoritate firmari poſſunt. Anno namque octingenteſimo decimo tertio juſſu Caroli Magni Imperatoris variis in locis quinque coacta fuere Concilia, ad eaque celebranda Galliæ Germaniæquè

Pontifices, Abbates atque Magnates evocati, ut de totius Imperii ſtatu tam eccleſiaſtico, quàm civili communibus votis ſententiam ferrent, ut habent Francorum Annales, Enignardus & alii.

Hi ergo omnes in unoquoque Conventu, ut credere eſt, in tres claſſes diviſi, quid unicuique Ordini congruum & conveniens optimo quo fieri potuit modo, definiêre. Sed quibus ad id regulis pervenerint ex Concilii Moguntiaci præfatione videamus. *Incipientes igitur,* inquiunt, *in nomine Domini communi conſenſu & voluntate tractare pariter de ſtatu veræ Religionis & de utilitate ac profectu Chriſtianæ plebis, convenit nobis de noſtro communi collegio Clericorum ſeu Laïcorum tres facere turmas, ſicut & fecimus: in prima autem turma conſederunt Epiſcopi cum quibuſdam Notariis legentes atque tractantes ſanctum Evangelium, necnon Epiſtolas, & Actus Apoſtolorum, Canones quoque, ac diverſa ſanctorum Patrum opuſcula, Paſtoralemque S. Gregorii cum cæteris ſacris dogmatibus, diligenti ſtudio perquirentes, quibus modis ſtatum Eccleſiæ Dei & Chriſtianæ plebis profectum ſanâ doctrinâ & exemplis juſtitiæ inconvulſum largiente gratiâ Dei perficere & conſervare potuiſſent. In alia vero turma conſederunt Abbates ac probati Monachi Regulam S. Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem ſtatum atque augmentum cum Dei gratia perficere potuiſſent. In tertia denique turma ſederunt Comites ac Indices in mundanis legibus decertantes, vulgi juſtitias perquirentes, omniumque advenientium cauſas diligenter examinantes, modis quibus poterant juſtitias terminantes.*

Omnes proinde Epiſcopi Evangelium, Epiſtolas, Actus Apoſtolorum, Canones, diverſa ſanctorum Patrum opuſcula ſacraque dogmata; omnes Abbates & Monachi S. Benedicti Regulam; omnes Comites leges humanas penitus expendentes, & diſcutientes, quid in unoquoque Ordine animadverſione dignum, quid emendationi congruens, quid aptum eſſet perfectioni adipiſcendæ viderunt atque ſanxerunt. Quamobrem ſicut omnes quos ediderunt Canones Epiſcopi, ab Evangelio & cæteris li-

bris ſupracitatis; omnes quas Comites promulgavere Sanctiones, à legibus humanis; ita cuncta quæ Abbates tulere monaſtica decreta, à Regula S. Benedicti tanquam à communi omnium Monachorum Regula deſumpſerunt, & ut ſecundùm ipſius doctrinam viverent, ut bene recteque viverent, communi omnium Concilii Patrum de-
Cap. 11. creto ſanxere. *Abbates autem*, inquiunt, *cenſuimus ita cum Monachis ſuis pleniter vivere, ſicut ipſi qui in præſenti Synodo aderant palam nobis omnibus promiſerunt, id eſt ſecundùm doctrinam ſanctæ Regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas.*

Patres verò Concilii Remenſis ſatis eſſe putavere, ſi
Can. 9. Abbatibus ipſa S. Benedicti Regula legeretur. *Lecta eſt,* inquiunt, *Regula S. Benedicti, ut ad memoriam reduceretur Abbatibus minus ſcientibus, ſi qui fortè adfuerint, qualiter & ſe & ſuos ſecundùm eamdem Regulam cuſtodire deberent atque gubernare.*

Sed nullum ex his omnibus Conciliis uberiùs hanc quam propugno veritatem docuit, quam Cabilonenſe, licèt nullum pauciora Monachis decreta condiderit. *De Abbatibus verò*, inquit, *& Monachis pauca ſcribimus, quia pe-*
Can. 22. *ne omnia regularia Monaſteria in his regionibus conſtituta ſecundùm Regulam S. Benedicti ſe vivere fatentur, quæ B. Benedicti documenta per omnia demonſtrant qualiter eis vivendum ſit. Inquiratur ergo ubi ſecundùm Ordinem ipſum vivitur, & ubi ab ipſo Ordine digreſſum eſt, ut juxta ejuſdem beati viri inſtitutionem vivere certent, qui ſe ut ita viverent cum atteſtatione profeſſi ſunt.*

Licèt precedentis Canonis initio dicatur, quòd pene omnia regularia Monaſteria ſecundùm Regulam S. Benedicti ſe vivere fatentur; nullatenus tamen ſequitur aliqua fuiſſe quæ aliam à Benedictina Regulam habuerint: nullum enim tunc temporis ad eam ſervandam obligatum non fuit. Quapropter generaliter Concilii Patres ſanxerunt, ut accuratiùs inquireretur, ubi ſecundùm Ordinem (Benedictinum ſcilicet) vivebatur, & ubi ab eodem Ordine digreſſum eſſet, ut ab utriſque eodem tenore Regula ſervaretur; ut *juxta ejuſdem beati viri*, inquiunt,

quiunt, *inſtitutionem vivere certent, qui ſe ut ita viverent cum atteſtatione profeſſi ſunt.* Reperti ſunt enim nonnulli Monachi, qui ſe Benedictinam Regulam profeſſos negavere; quales S. Dionyſii Monachi, qui eo proruperunt audaciæ, ut in Regulam ſe unquam juraſſe negaverint. *Quidam etiam*, inquit Ludovicus Pius, *non eamdem profeſſionem ſe feciſſe mentiti ſunt; ſed teſtibus patentibus convicti, pro ſua contumacia canonicæ pœnitentiæ ſunt ſubacti.*

to. 20. Conc. de reſtituendo Ord. monaſtico in Monaſt. S. Dioniſii.

ADDITIO.

Hæc quorumdam Monachorum negandæ Benedictinæ Regulæ conſuetudo, jam ante tempora Ludovici Pii multum invaluerat; adeò ut hæc eadem ſancti Benedicti Monaſtica norma ex multis Monaſteriis ejiceretur, & ut ita dicam in perpetuum exilium per efferatos & diſſolutos Monachos numquam ampliùs recipienda projiceretur, ea enim fuere canonicorum S. Martini Turonenſis initia, nam cum ſolo voluntatis arbitrio aliquando ſe Canonicos dicerent, aliàs verò ſe Monachos eſſe faterentur; tandem Monachatu ſublato, ad noſtra tempora eorum ſucceſſores inter Canonicos ſæculares numerati fuêre; quæ ipſorum origo probari poteſt ex Epiſtolâ Caroli Magni Imperatoris ad Albinum magiſtrum & ad Congregationem ſancti Martini Monaſterii miſsâ. Ipſi quoque noſtis, *inquit Carolus Magnus*, qui Congregatio hujus Monaſterii ac ſervi Dei, & utinam verè, dicimini, qualiter jam crebrò vita veſtra à multis diffamata eſt, & non abſque re. Aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos eſſe dicebatis. *Hos Canonicorum ex apoſtatis Monachis creatorum anteſignanos imitari voluêre Dyoniſiani Monachi, quorum impios conatus, cùm ſanctus Benedictus Anianenſis, & Arnulfus Abbas cohibere non valuiſſent, Epiſcoporum Conventus apud ſanctum Dyoniſium à Ludovico Pio cogendus fuit, ut promiſſam Regulam exequerentur, ut dictum ſuprà.*

tom. 1. cap. Baluzii anni 803. p. 411.

At in Aquitaniâ S. Benedicti Anianenſis conatus in Benedictino Ordine reformando, & in Monaſteriis Benedictinis, quæ ſe canonica volebant, ad vitam Monaſticam revocandis meliores eventus habuêre: Si quidem idem ipſi qui ſe Canonicos videri geſtiebant, non ſolùm fateri, ſed etiam ſe-

Benedictinos profiteri libenter annuerunt. Rem actam, his verbis enarrat S. Smaragdus vitæ S. Benedicti Auctor coætaneus. Glorioſiſſimus, *inquit*, Ludovicus Rex Aquitanorum tunc, nunc autem Divinæ Providentiæ gratiâ totius Eccleſiæ in Europâ degentis Imperator Auguſtus..... Eum ſcilicet S. Benedictum, omnibus in ſuo Regno Monaſteriis præfecit, ut normam ſalutiferam omnibus oſtenderet: erant enim quædam Monaſteria Inſtituta Canonica ſervantes, Regulæ autem præcepta ignorantes, cujus ille obediens juſſis, circumivit ſingulorum Monaſteria, non ſolùm ſemel & bis, ſed & multis vicibus, oſtendens monita Regulæ; cumque iis per ſingula Capitula diſcutiens; nota confirmans; ignota elucidans: Sicque actum eſt providente Deo, ut omnia penè Monaſteria in Aquitaniâ ſita Regularem ſuſceperint formam. *Monachi verò qui ad meliorem frugem non pervenêre, ii ſunt intelligendi qui ad Inſtituta Canonica deficientes, Regulæ præcepta perpetuò ignorare voluerunt: ſeque noluerunt deinceps Benedictinos fateri. Ex quibus & ex his ſimilibus plura prodiêre Canonicorum Collegia, ad inſtar ſcilicet Martiniani Monaſterii, cujus Monachos imitari volebant etiam Dyoniſiani. Vbi advertere debemus, anno Chriſti octingenteſimo decimo tertio ad Concilium Matiſconenſe omnes Epiſcopos & Abbates* totius Galliæ Lugdunenſis *conveniſſe, ut in hujus Concilii præfatione ſcriptum habetur.* Turonenſe verò Concilium *eodem anno coactum fuit, ex Adverſario noſtro ad ann. 813. n. 204.* non ex Provinciâ tantùm Turonenſi, inquit, ſed ex tribus etiam Aquitanicis congregatum cenſebit quiſquis aliorum quatuor ex cæteris Galliarum Provinciis hac eâdem ætate convocatorum meminerit. *In his verò Conciliis Epiſcopos Pariſienſem & Turonenſem, & Abbates Dyoniſianos & Martinianos conveniſſe exploratum evadit; aliàs Epiſcopi & Abbates totius Provinciæ Lugdunenſis non conveniſſent. Ex quo ſequitur, quòd in Monaſteriis quorum Abbates Concilio parebant, erant quidam Monachi, qui ſe Benedictinos non fatebantur: Ex quibus videtur etiam conſequens, neminem niſi Benedictinum ad Benedictinam Regulam ſervandam com-*

pulſum ; cùm Patres Concilii Pariſienſis, aut Dyoniſianos Monachos probatum voluerint, Benedictinam Regulam voviſſe antequam eos ad eamdem ſervandam adigerent.

Eadem quoque dicenda de Monachis Martinianis & iis omnibus qui in Aquitaniâ, prioribus Inſtitutis omiſſis, Inſtituta canonica ſervabant ; & Inſtituta ignorabant Regulæ ; Quorum Abbates Concilio Turonenſi eâdem tempeſtate coacti, inter fuiſſe dicuntur ab Adverſario noſtro ad an. 813. n. 204. cujus Concilii Auctoritas in hanc ſententiam firmandam mox adducitur.

Hujuſce rei plura reperiri poſſent exempla, ſed Concilii Turonici textum huc referre ſufficiat ; quò videas hoc eodem anno octingenteſimo decimo-tertio plurima fuiſſe Monaſteria, ubi remiſſiùs Monachi verſabantur, quæque eo diſſolutionis devenerant, ut etiam promiſſam ab ipſis Regulam neſcirent ; quales plurimos ætate noſtra vidimus. *Monaſteria Monachorum*, inquit, *in quibus* *cap. 25.* *olim Regula beati Benedicti Patris conſervabatur, ſed nunc fortè qualicumque negligentia ſubrepente remiſſiùs ac diſſolutiùs cuſtoditur, vel certè penitus abolita negligitur, bonum videtur ut ad priſtinum revertantur ſtatum.* [*Et Abbates eorumdem in eodem habitu & vitâ, quâ ipſa Regula præcipit eos incedere, vivere ſtudeant : Quoniam aliqua ſunt Monaſteria, in quibus jam pauci ſunt Monachi, qui prædicti Patris Regulam ſuis Abbatibus promiſſam habeant : Quippe cùm ipſi Abbates magis Canonicè quam Monachicè inter ſuos converſari videntur.*]

Hoc ultimo textu Benedictinam Regulam per univerſum Gallicum Imperium multò ante annum octingenteſimum decimum tertium diffuſam novimus ; namque in diſſolutis Monaſteriis jam olim beati Benedicti Regula conſervabatur. Quo verò tempore in iiſdem Monaſteriis initium habuerit, nullus eſt qui indicare poſſit, niſi ſaltem ad eorum fundationem aut ea tempora devenerit; quibus S. Maurus venit in Gallias ; cujus opinionis princeps fuit, meo quidem judicio, Carolus Magnus Imperator.

Hic enim adeo ſibi perſuaſum habuit ab eo tempore

quo Gallis Benedictina Regula tradita fuit, eamdem Benedictinam Regulam per omnes Imperii ſui regiones propagatam fuiſſe atque diffuſam, ut dubitaverit, utrum ab eodem tempore aliæ Regulæ obſervari potuerint, & prorſus ignoraverit, an priuſquam eadem Regula è monte Caſſino emitteretur aliqua alia ſpecialis vivendi norma vigeret in Galliis; quamobrem utrumque Epiſcopis & Abbatibus diſcutiendum propoſuit. *De converſatione Monachorum*, inquit, *interrogandi ſunt, & utrum aliqui Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam S. Benedicti obſervant. Inquirendum etiam ſi in Gallia Monachi fuiſſent, priuſquam traditio Regulæ S. Benedicti in has parochias deveniſſet.* Et alibi eodem modo interrogandum jubet, *quâ Regulâ Monachi vixiſſent in Gallia, priuſquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuiſſet, cum legamus S. Martinum & Monachum fuiſſe, & ſub ſe Monachos habuiſſe, qui multò ante S. Benedictum fuit.*

Capitular. Interrogationis n. 12.

Brev. Capit.

Certum ergo habuit Carolus Magnus, nullam in Galliis fuiſſe Regulam à Benedictina diverſam ab eo tempore quo Gallis innotuit; aliàs fruſtrà quæreret, *utrum Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam S. Benedicti obſervant*: fruſtra *utrum Monachi fuiſſent, priuſquam traditio Regulæ S. Benedicti in has provincias deveniſſet*: inaniter & fruſtra inquirendum juberet, *quâ Regulâ vixiſſent Monachi in Gallia, priuſquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuiſſet,* ſi aliqua alia Benedictina antiquiore aut etiam poſteriore Monachos vixiſſe noviſſet. Nullam ergo aliam à Benedictina in Galliis obſervatam agnovit, nullam præceptam eſſe didicit, nullamque ex aliorum relatione credidit eſſe ſervatam.

Nec ullatenus mihi timendum exiſtimo, ne dicant doctiſſimi viri, quorum opinionem impugno, Carolum Imperatorem perpetuis bellorum motibus occupatum atque detentum, à legendis antiquis hiſtoriis vel invitum abſtinuiſſe; cùm probè noverint eum tanta cupiditate ad acquirendas & addiſcendas ſcientias incubuiſſe, ut ab Alcuino *in artes introductus liberales refrigerari paululum noverit, ſed exſaturari ob fervorem ſatis nimiùm nequiverit.*

In vita Alcuini ejus

Et licèt ab evolvendis hiſtoriis aliarumque ſcientiarum libris prorſus abſtinuiſſet, attamen hanc ipſius opinionem doctiſſimorum virorum fuiſſe contenderem. Quis enim neſcit, ea quæ nomine ſummorum Pontificum, Regum, Imperatorum, Principum ſcripta feruntur, & ſacris ſeu politicis Conventibus examinanda traduntur, perrarò ab ipſis eſſe compoſita, numquam verò propoſita in publicum, priuſquam ab omnium peritiſſimis viſa fuerint & emendata? Quod cùm nullus inficiari poſſit, nullus etiam, ut ſpero, ægrè feret, ſi tanti Principis tantorumque virorum qui ſub ejus Imperio floruerunt, auctoritate freti, Regulam S. Benedicti à S. Mauro per Gallias diffuſam crediderimus nullis aliis poſtea intra Imperium Gallicum admiſſis, ne ipsâ quidem Columbani Regulâ, ſi eam à Benedictina ſejungas aut ſepares. *operibus præfixa.*

Etſi enim verè dici poſſit, eoſdem doctiſſimos viròs, Carolum ſcilicet Magnum, & qui ipſi erant à ſtudiis, omnes generaliter Regulas à Benedictina diverſas à Gallis Monachis receptas negaſſe, id maximè de Columbani Regula eſt aſſerendum: hanc enim peculiariter novit S. Adhelardus Abbas Corbeïenſis Monaſterii à B. Columbani diſcipulis erecti, qui inter Caroli Magni conſanguineos & familiares numerabatur. Hanc ignorare non potuit Alcuinus, quem Carolus loco Patris amplectebatur. Nullos tandem eorum latere potuit, qui didicerant quanta ſanctitate, quantiſque miraculis S. Columbanus Galliam illuſtraverit, quanta animi libertate effrænem Regis Theodorici libidinem damnaverit, quanto lumine ipſius Regis filiorumque ejus interitum cùm ob impuram ac immoderatam ipſius intemperantiam, tum ob violata Luxovienſia clauſtra prævideri. Quæ omnia fusè Fredegarius deſcripſit in ſuo Chronico tunc temporis omnibus noto.

Immò nullo hiſtoriæ quæſito lumine S. Columbani Regulam noverant omnes, cùm ad annum uſque centeſimum quadrageſimum ſupra milleſimum eam Monachi Luxovienſes, Reſbacenſes, Meldenſes, Sithivenſes, Gemmeticenſes, aliique permulti omni quo potuere modo ſer-

vaverint, ut in hiſtoria Orderici Vitalis refertur. *Ab ipſo*
L. 8. hiſtor. *ſiquidem Columbano*, inquit, Euſtaſius, Agilus, Faro, Audomarus, Philibertus aliique permulti, *modum divinæ ſervitutis & ordinem didicerunt, & formam orationum pro cunctis ordinibus qui in Eccleſia Dei ſunt, nigredinem veſtium, aliaſque obſervationes ſumpſerunt, quas pro religione & honeſtate ipſius tenuerunt, & ſequaces eorum uſque in hodiernum diem reverenter obſervare appetunt.*

Quis verò putet Carolum Magnum ignoraſſe, qua lege vixerint maxima Galliarum Monaſteria? Novit ergo S. Columbani Regulam, eamque obſervatam vidit ab iiſdem ipſis Abbatibus, à quibus quærendum jubebat, *quâ Regulâ vixiſſent Monachi in Gallia, priuſquam Regula S. Benedicti traderetur*; &c. *utrum aliqui Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam S. Benedicti obſervant.* Senſit ergo nulla Monaſteria, nullos Monachos ſolâ Columbani Regulâ aliquando vixiſſe; ſed omnes ex æquo, etiam ipſos qui S. Columbani inſtituta ſervabant, ab initio in S. Benedicti verba juraſſe cognovit.

Orderici Vitalis teſtimonium de Columbani obſervata Regula non huc refero, quaſi velim omnia credi quæ idem auctor de S. Columbani in Gallias appulſu retulit; ſed cùm oculatus teſtis fuerit earum S. Columbani obſervationum, quas ſuo ipſius tempore Gemmeticenſes aliique Monachi reverenter obſervare appetebant, eum tanquam certiſſimum teſtem & ſpectatorem earumdem obſervationum exhibeo, atque inde deduco illatione quaſi neceſſaria, Luxovienſes, Reſbacenſes, Gemmeticenſes, Corbeïenſes alioſque Monachos ad annum octingenteſimum, modum divinæ ſervitutis, formam orationum pro cunctis ordinibus, aliaſque obſervationes à S. Columbano præſcriptas & acceptas continuò ſervaſſe, cùm duodecimo ſæculo eaſdem nondum intermiſiſſent, ut ex Orderico conſtat.

SVB PIPINO ET AB ANNO SEXCENTESIMO ad Pipini ætatem, S. Benedicti leges longè latéque promulgatas ex variis Conciliis ſanctoque Bonifacio oſtenditur.

CAPUT III.

ETsi aliqui reperiantur qui à Caroli Magni de Regulæ Benedictinæ propagatione ſententia diſcedant, nullos tamen reperiri arbitror qui modò denegent, eamdem Regulam toto Sæculo octavo à Monachis Gallis ſervatam eſſe, cùm idem Imperator idipſum de prioribus ſæculis aſſerat, & ſaltem nec ipſe, nec qui ipſi à conſiliis & ſtudiis erant ignorare potuerint, quæ dimidio ante ipſos ſæculo contigere.

Quamobrem dicendum exiſtimo, Canonem tertium Sueſſionenſis Concilii, quo jubetur ut *Ordo Monachorum vel Ancillarum Dei ſecundùm Regulam ſanctam ſtabilis permaneat*, de Benedictina Regula intelligi debere, eamque conſequenter ſolam tunc temporis obſervatam, totumque Monachorum Ordinem fuiſſe complexam. Alia mitto Concilia quæ jubent ut *Monachi & Ancillæ Dei monaſteriales juxta Regulam S. Benedicti Cœnobia vel Xenodochia ſua ordinare, gubernare & vivere ſtudeant*, & quorum auctoritate *Abbates & Monachi receperunt Regulam S. Patris Benedicti ad reſtaurandam normam regularis vitæ.*

ad an. 744.

Conc Germ. I. 742.

Conc. Leptinenſe c. I. 743.

Quæ cùm ita ſint, minimè mirandum, quòd in formula ab ordine Romano antiquitus in Abbatis benedictione præſcripta, ſolius Benedictinæ Regulæ fiat mentio; & quòd in eodem ab Abbate benedicendo inquirendum præcipiatur, *ſancti Benedicti Regulam ſi velit ipſe obſervare, ſibique ſubjectos ut idipſum faciant diligenter inſtruere*; eique à benedicente dicendum : *Accipe Regulam à ſanctis Patribus nobis traditam ad regendum cuſtodiendumque gregem tibi à Deo creditum . . . Accipe monaſticæ Profeſſionis Regulam, ad quam propriam & ſubditorum debes corrigere vitam.* Sola namque in totius Romanæ Eccleſiæ Monaſteriis Benedictina ſervabatur Regula.

Hanc eamdem Regulam S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, qui circa annum ſeptingenteſimum in Germaniam venerat, per diverſas provincias propagavit, noviſque, Scoticis ſcilicet, conſuetudinibus ornavit, feliciori procul-dubio modo quàm Columbanus, qui quidem novis ſtatutis Regulam fulciit, ſed non niſi moderata priùs ſumma Scotorum in victu temperentia, quam ad communem Regulæ modum revocavit. Et Bonifacius ad eamdem priſcorum Solitariorum Monachorumque frugalitatem Germanos Monachos adduxit, ut ipſe refert : *Eſt locus ſilvaticus*, inquit, *in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis, in medio nationum prædicationis noſtræ, in quo Monaſterium conſtruentes conſtituimus Monachos ſub Regula S. Patris Benedicti viventes, viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne & vino, abſque ſicera & ſervis proprio manuum ſuarum labore contentos.* Cùm verò ipſemet dicat, Monachos in Monaſterio Fuldenſi conſtitutos ſub Regula S. Benedicti degiſſe ; alia quoque cùm ab ipſo, tum ab aliis fundata Monaſteria Benedictina fuiſſe quis ambiget ? Maximè cùm in duobus Conciliis proximè citatis, quibus interfuit, & Zachariæ ſummi Pontificis nomine præfuit, ſola hæc eadem Benedictina Regula fuerit commendata.

Ep. ad Zachar. Papam t. 17. Conc. p. 411.

Eaſdem radices egerat Benedictina Religio ante annum ſexcenteſimum ſexageſimum, ut teſtantur acta Concilii Auguſtodunenſis, quæ ſic habent : *De Abbatibus verò vel Monachis ita obſervare convenit, ut quicquid canonicus Ordo, vel Regula ſancti Benedicti edocet, & implere & cuſtodire ante omnia debeant : ſi enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates vel Monaſteria conſervata, & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes aſſiduas malis carebit contagiis.*

ad an. 663. n. 18.

Hanc Synodum admitit R. P. Cointius ; ſed ne opinioni ſuæ de multis Regulis anno ſexcenteſimo ſexageſimo tertio per omnes Galliarum provincias ſervatis contraria videatur, eam obſervatione quadam in eumdem Canonem facta conatur eludere. *Ex hoc titulo liquet*, inquit, *id Leodegario placuiſſe, ut in Cœnobiis diœceſeos Auguſtodunenſis nulla Regula præter Benedictinam vigeret.* Melius,

ſi

ſi addidiſſet hoc etiam placuiſſe aliis ejuſdem Concilii Patribus; non enim à ſpeciali Synodo ſeu à ſolo S. Leodegario prodiere Canones, de Monachis editi, ut conſtat ex indice collectionis antiquorum Canonum, qui in Bibliotheca Thuanea ſervatur, ubi habetur, plures Epiſcopos hos eoſdem Canones dictaſſe, ut refert Petrus de la Lande in ſupplemento Conciliorum. Hoc ipſum etiam indicat S. Leodegarii ſubſcriptio, quæ ſequentibus verbis componitur: conſenſus domni Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis. *Ego Leodegarius acſi peccator Epiſcopus cum conſenſu Fratrum meorum polliciti ſumus, & perpetualiter placuit obſervandum.* Nulli namque S. Leodegarii Fratres præter Epiſcopos notari poſſunt, qui polliciti fuerint, quibuſque placuerit Canones perpetualiter obſervandos. Neque ipſe Leodegarius conſenſum dediſſe dicendus eſſet, ſi ipſius ſola auctoritate Canones conditi fuiſſent & promulgati. *In addit. ad Conc. Auguſtodun.*

Monaſteria verò tam Æduenſis Diœceſis quàm aliarum quæ à Patribus prædicti Concilii pendebant, ſolam Benedictinam Regulam tunc habuiſſe ex ipſo Canone decimo-quinto notum eſt atque manifeſtum. Non enim aliæ prohibentur Regulæ, non nova inferuntur dogmata, nec novo profeſſionis vinculo Monachi vinciuntur & alligantur; agitur tantùm de Regula S. Benedicti apud Abbates & Monaſteria conſervanda, implenda atque cuſtodienda: *ut quicquid Canonicus ordo*, inquiunt Patres, *vel Regula S. Benedicti edocet, & implere & cuſtodire Abbates & Monachi in omnibus debeant; ſi enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates & Monaſteria conſervata, & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes aſſiduas malis carebit contagiis.* Quæ cùm nulla poſita conditione, nulla ſuppoſitione, Benedictina mandata implenda, cuſtodienda & conſervanda mandentur, omnes omnino Monachos prædictarum Diœceſeon, imo & Gallicanarum omnium (ſi enim omnes Burgundi Monachi Benedictini ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum tertium, ubinam alii reperiri eodem tempore potuerunt?) eâdem Regulâ adſtrictos antea vixiſſe nobis eſt concedendum.

Accedit eodem, quòd Monachorum nullus ad Benedictinam Regulam implendam & cuſtodiendam adigi potuiſſet, ſi eam numquam antea fuiſſet amplexus. Certè quilibet ipſorum dicere potuiſſet quod tali caſu dici poſſe S. Bernardus ultro fatetur: *ſolum quippe id à me exigi poſſe arbitror, quod promiſi.* Singulares namque Pontifices, Reges aut Abbates quacumque polleant auctoritate, pro libitu ſuo promiſſas Regulas immutare non poſſunt, aut ad arctiorem vitam Monachos etiam pleno jure ſibi ſubditos adigere. *Hoc tantùm*, inquit Concilium Toletanum quartum anno ſexcenteſimo trigeſimo tertio celebratum, *ſibi in Monaſteriis vindicent Sacerdotes quod præcipiunt Canones, id eſt, Monachos ad profeſſionem ſanctam promovere, Abbates aliaque officia conſtituere, atque extra Regulam facta corrigere.*

De præcep. & diſp. c. 6.

Car. 51. tom. 14. Conc.

Plura poſſunt equidem Conciliorum legitimè congregatorum Patres, ſed neſcio utrum aliquod exemplum proferri poſſit, quo generales Synodi Monachos ad perfectius vivendi genus, aut etiam ad alienam Regulam amplectendam invitos compulerint; cùm aliàs tepidos Monachos ad propriam Regulam ſeriò ſervandam & ab Epiſcopis & à propriis Abbatibus cogi poſſe nullus dubitet.

Scimus quanta animi propenſione, quantâ ſolertiâ, quanta auctoritate Ludovicus Pius Imperator torpentes tepenteſque S. Dionyſii Monachos ad ſervandam Benedictinam Regulam excitaverit; ſed ad id peragendum duarum provinciarum, Remenſis ſcilicet & Senonenſis, cogenda fuit Synodus, cujus Patres in hanc unam rem incubuêre, ut chirographis, teſtibus, aliiſque certis argumentis evincerent eoſdem Monachos Benedictinam Regulam profeſſos eſſe. *Teſtibus, patentibus,* inquit Ludovicus Pius, *convicti pro ſua contumacia canonicæ pœnitentiæ ſunt addicti, . . . ſoloque ſe proſternentes confeſſi ſunt eamdem profeſſionem in eodem loco regulariter ſe promiſiſſe; ſuique miſereri, & à Domino veniam pro tanto admiſſo humiliter flagitavere. Qua confeſſione facta cucullis ſui propoſiti coram cœtu Epiſcoporum . . . ſe induerunt, atque regula-*

rem profeſſionem juraverunt. Quaſi verò hac aſſertione teſtium iterata profeſſione, pœnitentia publica Benedictinæ Regulæ ſatis non eſſet conſultum, ſcriptis publicis eam iterum Ludovicus Pius aſſerendam voluit. *Ibidem tres chartulas conſcripſerunt*, inquit idem Imperator, *ut una earum ad caput glorioſiſſimorum Chriſti Martyrum fieret, altera regiæ dominationis noſtræ cuſtodia ſervari demandaretur, tertiam verò ipſius Monaſterii Abbas haberet, in quibus à Patre Benedicto Spiritu ſancto docente deſcriptam Regulam ſe ſervare velle profeſſi, & unuſquiſque eorum nomen proprium cum gradu & Monachi appellatione in eiſdem chartis ſubterfirmavit.*

Videant ergo quanta cautione, contentione, providentia, auctoritate cum Monachis S. Dionyſii agendum fuerit, ut promiſſam Regulam ſervarent; & cùm ad mutanda regularia vota multo plura requirantur, quàm ad inducendos Monachos ad priſtina vota integrè perſolvenda, fateantur neceſſe eſt S. Leodegarium cæteroſque Concilii Patres alios Canones condere aliterque loqui debuiſſe, ſi ſuarum Diœceſeon Monachos ad novam Religionem amplectendam adigere voluiſſent: nullum enim unquam daturus eſt exemplum Annalium auctor, quo ad injungendam novam Regulam, priore rejecta, alicujus Concilii Patres ea tantùm verba uſurpaverint, quibus Monachos ad implendam, conſervandam & cuſtodiendam Regulam adhortantur, nullo de alia abjicienda edito Canone.

IAM INDE AB ANNO SEXCENTESIMO VIGESIMO quinto ad annum ſeptingenteſimum quamplurima Cœnobia ſub Regula SS. Benedicti & Columbani militaſſe docent acta S. Salabergæ aliaque monumenta.

CAPUT IV.

A Superiori diſcuſſione Canonis decimi quinti Auguſtodunenſis Concilii controverſiæ quæ mihi cum R. Patre Cointio intercedit, dirimendæ initium ſumpſi, ni-

hil magis ad rem qua de agitur me facturum ſperans, quàm ſi ab ipſo Concilio tanquam à principio omnium firmiſſimo momenta rationeſque deſumerem, quibus Benedictinam Regulam ante annum ſexcenteſimum ſexageſimum tertium Monachis omnibus, Burgundis maximè, præſcriptam probarem. Quam veritatem antequam ulteriùs probem, noviſque rationibus & auctoritatibus fulciam, quid inter nos potiſſimum in quæſtione verſetur mihi exponendum incumbit.

Vir doctiſſimus ut Ordinis Benedictini progreſſus exiguis certiſque finibus concluderet, Regulam S. Columbani à Benedictina ita diſtinguendam voluit, ut toto ſæculo ſeptimo ab eadem fuerit ſejuncta: adeo ut ambæ in uno eodemque Monaſterio ad uſque annum ſeptingenteſimum ſervatæ non fuerint; qua poſitione Benedictinos ab iis omnibus Monaſteriis excluſit, in quibus Luxovienſia inſtituta floruêre. *Regulam S. Benedicti*, inquit, *per Francorum Regnum ante annum Chriſti ſexcenteſimum octuageſimum, quo ſuperiorem noſtrorum Annalium tomum clauſimus, certò propagatam non inficiamur, Monaſteria non pauca commemoravimus, ubi jam ab iſtis temporibus recepta eſt: ſed negamus cum ea Regulam S. Columbani tunc coaluiſſe.* Et alibi: *Ætate Bercharii ſeu ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundum, prælaudatæ S. Benedicti & S. Columbani diſtinguebantur Regulæ, nec in uno eodemque cuſtodiebantur Monaſterio. Quapropter ſolam S. Columbani ut Monachis Luxovienſibus, ſic Altivillarenſibus olim præſcriptam arbitramur; quodque hoc loco de Altovillari dicimus, id quoque de aliis Monaſteriis dictum volumus.* Undè nec etiam mirum quòd ipſemet neget S. Columbanum Benedicti leges unquam ſervaſſe.

tom. 4. ad an. 734. n. 69.

Ad an. 666. n. 8.

Ego verò è contrario dico, omnia quæ ab anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto à Columbani diſcipulis condita fuere Monaſteria, Benedictina inſtituta unà cum Columbani legibus ſervanda ſuſcepiſſe: idem etiam poſtea dicturus de omnibus omnino Monaſteriis, quæ ſeu ab ipſo Columbano, ſeu ab ipſius ſectatoribus principium accepere; cùm ipſa S. Columbani Regula ab ipſo ſui ini-

tio eodem modo ſe habuerit ad leges Benedictinas,quo poſtea Cluniacenſium aut Ciſtercienſium conſtitutiones ad eamdem ſe habuêre, ut inferiùs patebit.

Interea lectorem moneo, me non hic agere de rejiciendis Baſilii, Macarii, ſanctorumque Patrum Regulis, quas etiam tunc viguiſſe Annalium auctor affirmat; quia ex his quæ proximè circa Regulam Columbani dicturus ſum, facile erit dignoſcere quid dicendum ſit de cæteris. Quid tamen intelligendum ſit per Regulam ſanctorum Patrum inferiùs aperiam, inſuper addam quoad ſanctos Baſilium & Macarium, me nullibi legiſſe in auctore coætaneo aut ſuppare aut etiam antiquo aliquod Galliarum Monaſterium ſæculo ſeptimo eorum ſpecialia inſtituta ſervaſſe: quòd ſi aliquis contrarium ſentiat, ſuam ſententiam probet, eamque rationibus & auctoribus antiquis firmet, aut meam opinionem ſequatur neceſſe eſt. Ad propoſitum redeamus.

Auctor vitæ S. Salabergæ Laudunenſis Abbatiſſæ primam quam demonſtrandam ſuſcipio veritatem promovet, ut RR. Patres Hugo Menardus, & Domnus Joannes Mabillon jam aliàs annotarunt. *Hujus ſancti*, ſcilicet Vvalberti, *tempore*, inquit, *per Galliarum provincias agmina Monachorum ac ſacrarum puellarum examina non ſolùm per agros, villas, vicoſque atque caſtella, verùm etiam per eremi vaſtitatem ex Regulâ dumtaxat Beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperunt: cùm ante illius tempus Monaſteria vix pauca illis reperirentur in locis.* Cujus auctoritatis lumine duo nobis manifeſta fiunt; primùm ætate Vvalberti, ab anno ſcilicet vigeſimo quinto ſupra ſexcenteſimum, quo primò Luxovienſi Monaſterio præfuit, ad annum ſexcenteſimum octuageſimum, quo ad ſuperos fuit evocatus, paſſim per totam Galliam Monaſteria ædificata fuiſſe, quæ Regulam S. Benedicti cum S. Columbani conjunctam ſervarunt; ſecundò ex iiſdem verbis colligimus, pauca ante prædictum tempus in Galliis Cœnobia extitiſſe.

Vita S. Salab. n. 7. Sæc. 2. Bened.

Poſtremam obſervationem veram eſſe ultro conceſſurus eſt, ni fallor, ſed à priori ſummopere abhorret An-

nalium auctor. *In hujus auctoris* (Jonæ ſcilicet vitæ S. Columbani ſcriptoris) *lucubrationibus ſæpe commendatur Regula S. Columbani, Regula verò S. Benedicti nequidem nominatur. Ergo illis temporibus, ut dictum ſuprà, Regula S. Columbani diſtinguebatur à Regula S. Benedicti, nec ambæ ſimul apud Luxovium aut alio quopiam Monaſterio obſervabantur; atque inde acta S. Salabergæ præcitata ſic interpretare, ut agmina Monachorum per Gallias ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaſſe credas, quoniam ut Glannafolienſe Monaſterium aliaque Regulam S. Benedicti, ſic Luxovienſe aliaque Regulam S. Columbani ſequebantur.*

Vita S Salab. n. 7. Sæculo. 2.

Cointianæ obſervationi reponi poſſet, in Camelarienſi puellarum aſceterio ætate VValberti Regulam ſanctorum Benedicti, Columbani & Cæſarii uno eodemque tempore viguiſſe, ut videre eſt in Annalibus Francorum. Hoc etiam contigiſſe in Juſſano Monaſterio Jonæ notiſſimo, quod ultro fatetur Cointius, & proinde non rectè colligi ex eo quòd Jonas nullibi Benedictinam Regulam nominet, Columbani inſtitutum à Benedictino ita diverſum extitiſſe, ut utrumque in eodem Monaſterio iiſdem temporibus non fuerit obſervatum. de quibus iterum infrà. Sed hic non quæritur quid Jonas commendaverit, cujuſque Regulæ non meminerit, ſed quid dixerit auctor vitæ S. Salabergæ; nec à prioris ſilentio inquirendum qualiter explicandus ſit poſterior, ſed quænam fuerit mens prioris à poſteriori eſt inquirendum, cùm Anonymus iſte Actorum S. Salabergæ ſcriptor Jonæ lucubrationes legerit, Monaſteria de quibus loquebatur viderit, eorumque vivendi genus probè noverit: quapropter hæc artificioſa interpretatio penitus rejicienda, qua dividuntur quæ conjuncta fuêre; imò ex ipſa etiam Annalium auctoris mente conſtare non poteſt: hoc enim ex textu ſuprà citato ſequeretur, multa cùm Monachorum, tum Monialium Cœnobia ſecundùm Regulam S Benedicti per agros, villas, vicoſque atque caſtella, verùm etiam per eremi vaſtitatem de novo ædificata fuiſſe. At dato quòd Luxovienſes Monachi à Benedictinis diverſi fuiſſent, vix

ad. an. 665. n. 7.

unum aut alterum daretur hujuſcemodi Monaſterium virorum, Monialium nullum, ſi Annalibus Francorum eccleſiaſticis fides habeatur. *Tunc*, inquit, *plurima Monaſteria Regulam S. Columbani, perpauca Regulam S. Benedicti ſequebantur*; & adeo pauca, ut vix unum aut alterum Benedictinis adjudicet, quæ etiam nonniſi dubitanter ad Benedictinos referenda eſſe ſibi perſuaſit. *Quæri poteſt*, inquit, *utrum regnante Clodoveo ſecundo Regula Benedictina in inſula Barbara fuerit obſervata*. Quam quæſtionem ſic ſolvit: *Cùm ab adventu S. Mauri in Galliam ad principatum uſque Clodovei ſecundi effluxerint anni nonaginta quinque, nihil vetat quominus cenſeamus Regulam Benedictinam in Monaſterio Barbarenſi ſub Abbate Licinio viguiſſe*; quaſi timeret vir ſincerus, ne dubium aliquod Monaſterium Benedictinis adſcriberet.

ad an. 667. n. 20.

ad an. 640. n. 48.

Non aliter ſe gerit cùm de Monaſterio Caſtrenſi loquitur: refert enim ejus initia aliena manu & ad marginem in codice deſcripta fuiſſe. *In codice*, inquit, *unde Chronicon illud deſcriptum eſt, hæc alia manu de Roberto primo Abbate Caſtrenſi ſcripta ſunt in margine: Anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo Robertus, Anſelinus & Daniel, tres viri pii & nobiles, relicto cingulo militiæ ſæcularis in pago Albigenſi juxta fluvium Agunti ſub Regula S. Benedicti Deo militantes caſtra metati ſunt.*

ad an. 647. n. 14.

Dixi ſuperiùs, unum aut alterum eo tempore ab Annalium auctore admitti Benedictinum Monaſterium; nam ex ipſo *longè antequam Regula Benedictina conderetur, in inſula Barbara claruerunt Monachi*. Unicum ergo reſtat Monaſterium quod ex margine Caſtrenſis chronici nobis concedatur: quapropter ne ſecum ipſe pugnare videatur, aut ne fruſtra laboret in deſignandis Benedictinis Monaſteriis quæ magno numero conſtructa fuêre, fateatur neceſſe eſt Regulam ſanctorum Benedicti & Columbani ſimul propagatam, & ab iiſdem Monachis obſervatam fuiſſe.

Videat interim quantum ipſi debeant cùm antiqui, tum recentes auctores, præter quorum opinionem nulli ex Glannafolienſi, nulli ab exterarum nationum Benedicti-

nis Monaſteriis per centum quinquaginta annos Monachi prodiêre, qui Benedictinum Ordinem propagarent, quàm bene etiam de toto Ordine mereatur, cujus Regulam per idem tempus intra unius aut alterius Monaſterii limites concluſit, contra chartarum fidem, antiquorum hiſtoricorum narrationem, traditionemque Cœnobiorum, aliaque inſtrumenta publica. Cæterùm ut rem de qua agitur paucis conficiam, hîc ſpecialiter probandum aſſumo, illa omnia Monachorum examina (de quibus auctor Anonymus ſuprà citatus) ex Luxovienſi Monaſterio tanquam ex generali Galliarum alveo prodiiſſe; hujuſceque rei teſtem idoneum & oculatum produco. *Ipſe quoque* (S. Eligius) inquit Audoënus, *properabat ad Cœnobia, maximè Luſſedium, quod erat eo tempore cunctis eminentius atque diſtrictius; neque enim tam crebra erant adhuc in Galliis Monaſteria, & ſicubi eſſent, non ſub regulari quidem diſciplina, ſed erant prorſus in malitia fermenti veteris ſecularia: præter Luſſedium ergo, quod ſolum, ut dictum eſt, diſtrictionem Regulæ ſolerter tenebat, Solemniacenſe Monaſterium in partibus occiduis hujus Religionis extitit caput, ex quo multi demum ſumpſerunt & initium & exemplum, adeo ut nunc quoque, propitia Divinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur ſub regulari diſciplina alma utriuſque ſexus Cœnobia.*

In vita S. Elig. lib. 1. cap. 21. tom. 5. Spicil.

Quibus in verbis eadem ipſa deprehenduntur quæ ſuprà ex Anonymo notanda curavimus, nempe antequam Luſſedium conderetur pauca fuiſſe in Galliis Monaſteria, tum ſub Vvalberto mirum in modum multiplicata: ſed ulteriùs ex iiſdem verbis perſpicuum fit & evidens, Luxovienſe Monaſterium iis omnibus originem dediſſe, cùm *præter Luſſedium quod erat cunctis eminentius, & quod ſolum diſtrictionem Regulæ ſolerter tenebat, Solemniacenſe Monaſterium in partibus occiduis hujus Religionis extiterit caput, ex quo multi ſumpſerunt & initium & exemplum, adeo ut nunc quoque, propitia Divinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur ſub regulari diſciplina alma utriuſque ſexus Cœnobia.* Illa ergo innumera alma utriuſque ſexus Cœnobia, quæ per omnem Galliam fuerant

rant ædificata, quæque non alia erant quàm ipſa eadem Monachorum & ſacrarum puellarum examina, quæ Vvalberti tempore paſſim ubique pullulaverant, ex Luſſovienſi Monaſterio in Francia, in occiduis verò partibus ex Solemniacenſi initium & exemplum accepiſſe ex S. Audoëno novimus. Propterea cùm ex anonymo vitæ S. Salabergæ Scriptore eadem examina ex Regula ſanctorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaverint, dicendum eamdem Regulam ſanctorum Benedicti & Columbani in Monaſteriis Luxovienſi & Solemniacenſi ab eorum conditu impoſitam fuiſſe, aut ſaltem ætate Vvalberti in eiſdem floruiſſe.

Iis omnibus poſſet etiam addi ex Audoëno nulla fuiſſe apud Gallos Monaſteria ætate Vvalberti præter Luſſedium & Solemniacenſe, ex quibus prodire potuerint tot tantique Monaſteriorum fundatores; cùm alia Monaſteria, ut ſuprà vidimus, Luxovienſi antiquiora non eſſent *ſub regulari diſciplina, ſed in malitia fermenti veteris ſæcularia.*

Sanctus Nivardus Remorum Epiſcopus de hac eadem Monaſteriorum propagatione Vvalberti tempore facta, deque Regula eiſdem impoſita loquitur initio privilegii ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundum Altivillarenſibus dati: *In nomine Patris*, inquit, *& Filii & Spiritus Sancti, Amen. Ego Nivo ſive Nivardus etiamſi peccator Epiſcopus, dum omnes Epiſcopi Fratres mei, etiam & de viris Chriſtianis, & de bonis hominibus Monaſteria ſecundùm Regulam ſanctorum Patrum ædificare non ceſſarent,* &c. à ſequentibus verbis citandis abſtineo, quibus ipſemet privilegii ſcriptor, Regulam ſanctorum Patrum, ipſam eſſe ſanctorum Benedicti & Columbani Regulam exponit. Nullus enim inficiari poteſt Regulam ipſam, quam Anonymus ſanctorum Patrum Benedicti & Columbani Regulam dixit, eamdem S. Nivardum ſimpliciter SS. Patrum Regulam nominaſſe: & conſequenter cùm ipſe Nivardus eamdem SS. Patrum Regulam Altivillarenſibus Monachis obſervandam dederit, nullus vocare po-

tom. 3. ann. ad an. 662. n. 7.

teſt in dubium, ſanctum Bercharium primum Altivillarenſem Abbatem, ſanctique Vvalberti diſcipulum, ſanctorum Benedicti & Columbani Regulam ſervaſſe, aliiſque ſervandam tradidiſſe.

Dicent, ut quidem autumo, Jonam in vita S. Columbani Benedictinæ Regulæ non meminiſſe. Cui difficultati fecero ſatis, ni fallor, ſi repoſuero nec etiam S. Audoënum de Regula Columbani locutum eſſe, licèt Luſſedium miris laudibus extulerit, deque Solemniacenſi & S. Aureæ Pariſienſi Monaſteriis pluribus egerit. Narrat equidem Luxovienſe Monaſterium ſolum *diſtrictionem*
Vita S. Eligii c. 21. n. 16. *Regulæ ſolerter tenuiſſe*, & *in occiduis partibus in Solemniacenſi tantam ſacræ Regulæ obſervantiam vidiſſe, ut ejuſdem Monachorum vita ſingularis videretur præ cæteris Galliæ Monaſteriis*; ſanctumque Eligium Virginum ædificaſſe Monaſterium, ubi *diſtractam Regulæ diſciplinam conſti-*
Ibid. n. 17. *tuens, uſque ad trecentarum puellarum numerum ex diverſis Gentibus tam ex Ancillis ſuis, quam ex illuſtribus Galliæ Matronis congregavit.* Sed iis omnibus in locis de Columbani Regula tacet, & de illa tantùm loquitur, quam negligenter & tepidè pleraque Monaſteria Luſſedio antiquiora, cætera verò, Luſſedium in primis, quàm diligentiſſimè ſervabant, quæque proinde tam depravatis corruptiſque Monaſteriis quàm cæteris communis erat.

Hinc tamen nullatenus eſt inferendum S. Audoënum Jonæ eſſe contrarium, aut Jonam Audoëno: etenim ille qui nulla neceſſitate ad deſignandam Regulam qua vivebant Monachi tenebatur, uſitato loquendi modo ab auctore Regulæ, quæ tunc unica vigebat, nominando abſtinuit; tacito namque S. Benedicti nomine toties ipſius Regulæ auctorem proprio vocabulo deſcripſit, quoties eam ſacræ Regulæ aut Regulæ ſimpliciter expreſſione notavit, Columbani inſtitutis nullatenus excluſis; eo prorſus modo quo ſi aliquis Ciſtercienſe aut Cluniacenſe Monaſteria ſub ſancta Regula, ſub Regula ſacra, ſub Regula ſimpliciter dicta, fundata diceret, Regulam S. Benedicti ſpecialibus Cluniacenſium aut Ciſtercienſium Re-

gulis nullatenùs excluſis dicendus eſſet intellexiſſe. Sic Audoënus principalem Regulam nominando, ſpeciales uniuſcujuſque Monaſterii Regulas ſive Columbani, ſive alterius cujuſpiam comprehendit, nullam excluſit.

Jonas verò nonniſi coactus ac quadam neceſſitate compulſus Columbani Regulæ meminit, ſiquidem eam erroris notaverat Agreſtius Euſtaſii diſcipulus, eamque à Matiſconenſis Concilii Patribus prohibendam obtulerat, quæ licèt nec notata nec prohibita fuiſſet, nullo tamen Canone, nulla lege, nulla Concilii ſententia fuerat probata; & proinde timendum erat Columbani diſcipulis, ne ipſius Regula ipſa non approbatione & abſolutione reprobata videretur, ſicut reipſa contigit: nam ſtatim ab ipſo Concilio SS. Amatus & Romaricus ipſius Regulæ jugum excuſſere. *Proh dolor!* inquit Jonas, *execrabili ſuaſu ac lethifera ambitione monita ſana Agreſtius inſaniens maculavit, qui* (Amatus & Romaricus) *abjectis inſtitutis priſtinis* (Regulà S. Columbani) *rudibus conati ſunt imbuere plebem doctrinis.* Eam ob cauſam Jonas ut damnatæ Regulæ ſuſpicionem levaret, nimiùm ſæpè ipſius Regulæ nomen ingeminavit. *Abellenus verò*, inquit, *vel cæteri Galliarum Epiſcopi*, poſt peractum ſcilicet Concilium, *ad roboranda Columbani inſtituta adſpirant; jam amore Columbani & ejus Regulæ Monaſteria conſtruunt, plebes adunant, greges Chriſti congregant, inter quos inlaſter tunc vir Eligius Monaſterium nobile Solemniacum nomine conſtruxit. In Bituricenſi verò urbe puellarum Monaſterium ex B. Columbani Regula Bertoara nobilis genere & religione fœmina conſtruxit. Itemque in ſuburbano Bituricenſis urbis vir venerabilis Theodulphus cognomento Bobolenus Monaſteria ex Regula Columbani omni religione pollentia conſtruxit; itemque aliud Virginum juxta Nivernenſe oppidum ſub eadem Regula conſtruxit.* Quæ toties Jonas voluit repetere, ne, ut ſuprà notatum eſt, Columbani Regula Agreſtii perſuaſione aliquâ erroris notâ à Concilii Patribus inuſta videretur, aliter procul-dubio locuturus, ſi ab Agreſtio Columbani Regula impetita non eſſet. Quidquid ſit, quemadmodum Jonæ de Benedictina Re-

In vita S. Euſtaſii n. 13.

Ibid. n. 17.

In vita S. Columbani n. 22 Sæc. 2. Ben.

gula ſilentium non obſtat quominus Juſſanum Monaſterium quod Flavia S. Donati mater ex amore Columbani conſtruxit, ut Jonæ placet, leges Benedictinas cum Columbani inſtitutis à primo ſuo conditu ſumpſerit; ita nihil prohibet quin etiam hoc ipſum in cæteris contigiſſe credamus.

Præterea uno verbo reſponderi poſſet, quòd ſi à ſilentio auctorum argumentari liceret, & ſi aliquis jure poſſet aſſerere ea non extitiſſe quæ à certo quodam hiſtoriæ ſcriptore prætermiſſa fuiſſent, nihil fere certi in actis Sanctorum haberemus.

COENOBIA SOLEMNIACENSE ET ALTIVILLARENSE SS. Benedicti & Columbani legibus paruiſſe.

CAPUT V.

SUPERIORI capite illatione quaſi generali omnia Monachorum examina, quæ Vvalberti tempore pullulavere, inſtituta ſanctorum Benedicti & Columbani ſectata fuiſſe probavimus; hoc verò capitulo à ſpecialium Cœnobiorum fundationibus eruemus argumenta, quibus nimis callida Annalium auctoris interpretatio, quâ Anonymi claram apertamque ſententiam voluit involvere, falſa dilucidè videatur. Quod ut conſequar, fundationum ſcriptores iiſdem verbis uſos eſſe ad deſignandam ſingulorum Monaſteriorum Regulam, quibus auctor vitæ S. Salabergæ ad indicandam communem, ipſorum verborum comparatione convincam, ut videant eos omnes auctores de eadem ſingulari Regula aut inſtituto locutos eſſe.

Saec. 2. Bened p. 1091. & tom. 3. ann. ad an. 734. n. 109. Lib. 2. hiſt. Rem. cap 7. & t. 3. ann. ad an. 661. n. 7.

Ceſſum eſſe volo, inquit S. Eligius Monachos alloquens in dotatione Solemniacenſis aſceterii . . . . . *ea tamen conditione interpoſita, ut vos & ſucceſſores veſtri tramitem Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequamini, & Regulam beatiſſimorum Patrum Benedicti & Columbani firmiter teneatis.* Eadem fere narrat Flodoardus de Monaſterio Altivillarenſi: *Conſtruxit* (S. Ni-

vardus) inquit, *Monaſterium quod dicitur Altumvillare petente Berchario Abbate, qui ab eo petierat locellum ſibi dari, ubi cum Fratribus ſuis Monachis ſub Regula Patrum S. Benedicti & S. Columbani vivere poſſet.* S. Bertefridus Ambianenſis Antiſtes, cæterique Galliarum Epiſcopi in privilegio Corbeïenſi Monaſterio dato ſancivere, *ut ipſi Monachi* Corbeïenſes *ſub Regula Patrum S. Benedicti & S. Columbani converſari & vivere debeant.* *t. 3. ann. ad an. 662. n. 20.*

Plura referri poſſent ad propoſitum, ſed iſta ſufficiant, ut videas Anonymum, de quo ſæpe ſuperiùs, quaſi exſcripſiſſe prædicta privilegia, aliaque plurima quæ ex Annalium auctore à Benedictinis citantur, cùm in vita S. Salabergæ narravit, *agmina Monachorum, ac ſacrarum puellarum examina non ſolùm per agros, villas, vicoſque atque caſtella, verùm etiam per eremi vaſtitatem ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœpiſſe.* Quorum verborum ſenſus & explicatio à privilegiorum verbis, quæ in alienum ſenſum inflecti non poſſunt, deſumi debet.

Scio adverſarium noſtrum Benedicti nomen ex prædictis privilegiis abraſiſſe : ſed fruſtra, quamdiu illud ipſum nomen ex actis S. Salabergæ non ſuſtulerit. Verùm etiam fruſtra illud ipſum ex iiſdem actis auferet, eo enim ſtylo, eoque atramento eadem acta, libri, diplomata ſcripta fuere, quo characteres ſemper appareant, & à nullo deleri poſſint; ſemper enim in dotatione Solemniacenſis Monaſterii nomen S. Benedicti legetur, etiamſi nimiâ confidentiâ ex originali textu illud rejecerit in marginem quibuſdam additis verbis, quibus ſignificet Benedictinos aliter legere : *Benedictini ſic legunt*, inquit; *conſequimini, & Regulam beatorum Patrum Benedicti & Columbani firmiter teneatis.* Ita ſanè ſic legunt Benedictini cum antiquis ejuſdem Monaſterii Abbatibus, cumque Patribus Concilii Sueſſionenſis ad annum octingenteſimum ſexageſimum ſextum celebrati, nempe cum Carolo Calvo, Hincmaro Remenſi, Remigio Lugdunenſi, Vulfado Bituricenſi, Frotario Burdigalenſi, aliiſque ex omnibus Galliæ partibus Epiſcopis, quibus *innotuit*, inquiunt Patres,

regiæ dignitati noſtræque Synodo reſidenti, qualiter vir venerabilis atque clariſſimus Eligius.·.·.Cœnobium ipſum t.22. Conc. ad an. 866. *ædificare ſategit, Monachoſque ibidem conſtituit.·.·. eo videlicet tenore, quatenus.·.·. & Normam S. Benedicti inviolabilem tenerent.* Nec ullus aliter niſi in novis Francorum Annalibus legit, neque alius quiſpiam aliter legere potuit, ſi Cointium exceperis, qui nullo exemplari, nulla viſa originali charta, nullo duce, nullo auctore aliter ſolus legendum Solemniacenſe diploma exhibuit. Quam autem ob cauſam id egerit, ipſemet dicat: *Cùm autem,* inquit, *adeo nobis perſuaſum ſit in Monaſteriis quæ S. Columbani diſciplinis addicta erant,* ad an. 734. n. 107. Regulam S. Benedicti *ſeptimo ſæculo non ſuſceptam fuiſſe, varia diplomata, quibus auctores Benedictini ſuam quoque tueri conantur opinionem, cenſemus interpolata; nec aliter loquuti ſumus cùm de illis agendum nobis fuit: indubitanter enim abraſimus nomen S. Benedicti, quoties illud cum nomine S. Columbani conjunctum reperimus, ubi quæſtio vertebatur de Regula cui ſubjiciebatur Monaſterium à S. Columbano, vel ab ejus diſcipulis, aut ab eorum ſucceſſoribus inſtitutum. Nec ſecus ſentiendum putamus de charta S. Eligii pro Solemniaco, & de charta ſancti Amandi pro Bariſiaco.*

Itane, reverende Pater, ſunt imminuenda diplomata, quia tibi perſuaſum eſt aliter ſcribenda fuiſſe? itane interpolata dicenda ſunt, quia tuis perſuaſionibus contraria? itane tandem tam levi conjectura tot Sancti de albo Benedictino auferendi, variique auctores & Monachi erroris & falſitatis arguendi, quaſi per Galliam, Germaniam & Italiam eadem mente eodemque crimine chartas omnes, quæ de Monaſteriis agunt S. Columbani, interpolatione adulteraverint? Sed vide ne gladio, quo aliorum nomina cupis expungere, jugulum præbeas, tuoque ut aiunt gladio te conficias. Quid enim reſponſi daturus es, ſi quis eadem acta & Monaſteriorum fundationes, quarum adhibes auctoritatem, ut novus extremorum Merovingicæ familiæ Regum encomiaſtes appareas, à te aut abraſas magna ex parte, aut ſaltem interpolatas ſuſpicetur aut fingat? Cùm enim Benedicti nomen

ex actis pluribus ſuſtuleris, quòd id tuo propoſito opinionique ſtabiliendæ plurimum conduceret; quis non facilè credat id te tanto magis licenter libereque facturum, quanto majoris momenti tua tibi videtur opinio de his Regibus, quibus laudandis totus addictus es? Ut ut ſit, hoc certiſſimum credo futurum, te tibi tuis abraſionibus fidem & annalibus auctoritatem derogaſſe, Benedicti verò ne nomen quidem læſiſſe, quod punctionibus à te inflictis firmius hærebit imposterum. Ad rem veniamus.

Sed, inquiunt, *idem Bernardus Abbas Solemniacenſis à Rege & Synodo novum tunc privilegium poſtulavit, quoniam Normannorum crudelitate graſſante priora fuerant concremata. Lis igitur non ipſius Bernardi judicio qui chartam fundationis præ manibus non habuit, ſed judicio dirimenda vetuſtiorum auctorum; cæteros autem antecellit qui potiſſimùm conſulendus Ionas in vita S. Euſtaſii, quam allegavimus ſuprà.* *ad an. 734. n. 39.*

Exiſtimare videtur Francorum Annaliſta, Hincmarum, Remigium, & Æneam Epiſcopos omnium Galliarum doctiſſimos adeo hiſtoriæ inſcios extitiſſe, ut ignoraverint quanam Regula S. Columbanus diſcipulos imbuerit, & adeo ſocordes, ut nulla veritatis inquiſitione facta Bernardo integram fidem habuiſſe dicantur. At quis credat Hincmarum qui Monaſticem fuerat profeſſus, ſæpiuſque Altivillarenſe Cœnobium à deceſſore ſuo fundatum inviſerat, earum legum notitiam non habuiſſe, quæ Altivillarenſibus cæteriſque Columbani diſcipulis fuerant impoſitæ? Abſit ergo ut tantâ Concilii Patribus irrogatâ injuriâ, eos ex ſola Bernardi relatione fundationem Solemniacenſis Monaſterii didiciſſe credamus. Etſi namque in Normannorum Aquitanica graſſatione perierit originale diploma, exemplaria ſuperfuêre quibus fides haberi, quæque Synodo exhiberi potuerunt, cùm ad noſtra tempora integra reſtent. Præterquam quod ſuperiorum temporum extabant adhuc hiſtoriæ in his ſaltem provinciis, in quas ſeptemtrionales populi non irruperant, ex quibus modus vivendi Columbani diſcipulis præſcriptus addiſci facillimè potuit.

Non deſunt tamen auctores Normannorum irruptionibus antiquiores quos proferamus ; Anonymus ſcilicet in vita S. Salabergæ , Audoënus in vita S. Eligii , ipſemet Eligius , Nivardus & alii , qui uno conſenſu aut in Sanctorum actis , aut in Monaſteriorum fundationibus eadem Monaſteria Regulæ ſanctorum Benedicti & Columbani ſæpius addicunt ; quibus auctoribus nullatenus Jonas eſt præferendus aut opponendus , cùm nullibi deneget id quod auctores ſuprà citati affirmant : quin imò, ſi quid Jonas omiſit , id ex aliis ſupplendum ; neque in ejus ſilentio principia quærenda , quibus aperta veritas impugnetur , actaque ſincera deleantur. Legit Almannus Altivillarenſis Monachus opera Jonæ ; & antequam Normanni Remenſem Campaniam diriperent legit privilegia ſuo Monaſterio à Remenſibus Epiſcopis data , ſcriptumque reliquit ſanctum Nivardum locellum Berchario dediſſe , *ubi cum Fratribus ſuis ſecundùm Regulam Patrum Benedicti & Columbani vivere deberent.*

tom. 3. ann. ad an. 662. n. 7.

Ibid. n. 5.

Hoc ipſum iiſdemque terminis Flodoardus litteris mandavit , ut ſuprà vidimus. Ipſius autem auctoritas circa hanc qua de agimus quæſtionem quanti ſit facienda videant ; Remenſe namque & Altivillarenſe tabularia vidit , eoque amore eaque veneratione S. Columbanum, & S. Attalum ejus diſcipulum coluit , ut eorum acta à Jona ſoluta oratione compoſita , ſtricta reddiderit , quod tanta fidelitate , ſinceritate tanta perfecit , ut nulla interpolatione immutaverit Jonæ ſententiam. Quî verò fieri poteſt ut vir tantus , qui toties Jonæ opera revolvit ut ea verſibus exararet , in iis numquam viderit , quod primo intuitu deprehendit Annalium auctor ? Quis etiam ſibi perſuadeat tam eruditum vitæ S. Columbani ſcriptorem non ſolùm ignoraſſe , quibus legibus Columbanus ipſiuſque diſcipuli paruerint ; verùm etiam adeo aberraſſe , ut licèt propriis tantummodo vixerint inſtitutis, eos Benedictinæ Regulæ addictos affirmaverit ? quod tam à vero videtur alienum , ut confutatione non indigeat.

CAPUT VI.

IISDEM INSTITVTIS ADDICTVM Monaſterium Corbeïenſe.

CAPUT VI.

LICET ſuperioribus capitulis cùm ex auctore vitæ S. Salabergæ, tum ex ſanctis Deſiderio, Audoëno, Nivardo & Flodoardo cumulatè probaverim, omnia Monaſteria quæ ætate Vvalberti Luxovienſis Abbatis originem habuere, inter Benedictina fuiſſe numeranda, nullaque proinde quæſtio movenda remaneat de Regula quam omnes Monachi ab anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto ad annum ſexcenteſimum octuageſimum ſervavere: attamen ad majorem propugnatæ veritatis elucidationem de Corbeïenſis Monaſterii fundatione iterum agam.

Tertio Annalium tomo ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundum Francorum Annaliſta privilegium Bertefridi Ambianenſis Epiſcopi pro Corbeïenſi Monaſterio datum immiſcuit, quo ſancitur, *ut Corbeïenſes Monachi ſub Regula S. Benedicti vel S. Columbani converſari & vivere debeant.* Sed cùm hac auctoritate omnes ipſius rationes, omnia momenta quibus ſuam ſuſtentat opinionem penitus ruant, tria valida manu tela in illud immiſit atque vibravit, quo facilius illud deleret & penitus exſcinderet. *Tria potiſſimùm tela*, inquit, *vibrari poſſunt* *n. 21. & 22.* *adverſus hoc privilegium.... primò Corbeïenſes Monachi dicuntur vivere ſub Regula S. Benedicti vel S. Columbani, idque caret omni veriſimilitudine; quoniam Teudefridus qui primus Abbas Corbeïenſis extitit, Luxovio ubi ſola S. Columbani Regula ſervabatur, Corbeïam miſſus eſt à Vvalberto ſeu Gualberto tertio Abbate Luxovienſi, ut illorum temporum ſcriptor in vita S. Bathildis teſtatur.*

Primum hocce telum R. P. D. Joannes Mabillon ſecundo Benedictino Sæculo viribus ex Pariſienſi Concilio ſumptis adeo validè in auctorem retorſit, ut nondum ex inflicto vulnere eductum appareat: etſi namque R. Pa- *ad an. 734.*

ter Cointius quarto Annalium tomo Domnum Joannem Mabillon multis impugnaverit, nec unicum quidem verbum protulit, quo ſuam de Corbeïenſi Monaſterio ſententiam firmaret; prudenter procul-dubio, quippe qui ſatius duxit veritatem cognitam ſilere, quàm ipſam ulteriùs oppugnare. Quid enim opponeret Concilii Patribus ex omnibus Galliarum provinciis coactis, qui Benedictinam Regulam ab initio fundati Corbeïenſis Monaſterii in eo receptam dixere. *Sicut comperimus*, inquiunt, *ipſe locus à venerabili Bathilde Regina, Clotario filio ſuo imperante, à ſanctis viris fundatus eſt, & ſacræ Religionis normam, quam primo tempore ſuſcepit, inviolatam deinceps retinuit, in tantum ut eos qui ſe fundaverant, non tantùm æquaverit religione, ſed etiam pæne ſuperaverit.*

Sirmond. t. 3. Conc. Gall.

Ne lectorem novis inductionibus onerem, unicum hic ſubjiciam argumentum. Regula quam ſervabant Monachi Corbeïenſes anno ſalutis octingenteſimo quadrageſimo ſexto, eadem erat quæ initio fundati Monaſterii ipſis fuerat impoſita ex Patribus Concilii, ſecundùm quos *ſacræ Religionis normam quam primo tempore ſuſcepit, inviolatam deinceps retinuit*: atqui Corbeïenſes Monachi Regulam Benedictinam ſervabant anno octingenteſimo quadrageſimo ſexto, ut ex eodem Concilio patet. Ergo ex Patribus Concilii Pariſienſis anno octingenteſimo quadrageſimo ſexto celebrati Corbeïenſes Monachi ab initio fundati ipſorum Monaſterii Benedictinam Regulam ſervavere. Columbani quoque Regulam ad annum octingenteſimum quadrageſimum ſextum in ipſo Corbeïenſi Cœnobio ſeruatam ex Orderico Vitali didicimus, qui lib. 8. Normannorum hiſtoriæ narrat ſanctorum Euſtaſiii, Agili, Faronis, &c. ſequaces ad annum centeſimum ſupra milleſimum eas obſervationes, quas ab iiſdem Columbani diſcipulis acceperant, ſummâ obſervantiâ coluiſſe.

Secundum tertiumque telum ex eo conficiuntur, quòd non omnes qui initio dicti privilegii nominantur, in eodem reperiantur inſcripti; & quòd è contrario aliqui ſubſcripſerint qui initio nominati non fuêre. Sed cùm nihilominus fateatur datum eodem anno privilegium, & aliun-

de vibrata hæc duo tela aſſertionem meam minimè lædant, ab eis rejiciendis ulteriùs abſtineo, alibi fortè de iis acturus. Patietur tamen lector libentiſſimè, ni fallor, ut de ſubſcriptionibus, quibus examinandis multum occupantur auctores, aliquid dicam.

Namque mihi certiſſimum videtur, non omnes qui ſubſcripti reperiuntur diverſis in chartis, ſimul eodemque tempore ſua nomina dediſſe. Cujuſce rei exemplum videre eſt in Corbeïenſi privilegio. Hi enim omnes quorum nomina initio privilegii poſita non fuere, ſubſcripſiſſe videntur poſt editum privilegium, cùm videlicet dedicata fuit Corbeïenſis Eccleſia; quod ex Chronico ejuſdem Monaſterii anno ſexcenteſimo ſexageſimo tertio, poſt datum ſcilicet privilegium de quo agimus, contigit. Immo videtur Bertefridum Epiſcopum aliosque initio nominatos Epiſcopos voluiſſe, ut omnes abſentes Epiſcopi etiam ſucceſſivè, ſi fieri poſſet, datum privilegium ſuis ſubſcriptionibus ſtabilirent atque firmarent: *quam definitionem*, inquiunt, *conſtitutionis noſtræ, ut noſtris & futuris temporibus valitura ſit, manus noſtræ ſubſcriptionibus roboravimus, & Coëpiſcopos Domnos & Fratres noſtros rogamus, ut ipſum in omnibus confirmare debeant.* Hoc ipſum imitati fuere Pariſienſis Concilii Patres, de quibus ſuprà in Corbeïenſium privilegiorum confirmatione. *Obſecramus etiam*, inquiunt, *Fratres & Coëpiſcopos noſtros per adventum Domini noſtri* JESU-CHRISTI, *& noſtræ Congregationis in ipſum; ſed & Religioſos Abbates qui ad hanc ſanctam & beatam Synodum non occurrerunt, in quorum manus hujus privilegii à nobis editi & corroborati paginæ pervenerit, ut ſua auctoritate & ſubſcriptione hoc confirmare non differant.* Maneat ergo ſupplendas quidem ſubſcriptiones, quæ negligentiâ quâdam videntur omiſſæ, ſed nullas omnino abradendas, neque delendas, cùm poſteriorum temporum Epiſcopi & Abbates intemerato privilegio eique confirmato ſubſcribere potuerint, quod pluribus aliis contingere potuit. Hac de cauſa in antiquiſſimis chartarum monumentis (quod etiamnum obſervare poſſumus) inter ſubſcriptiones teſtium chartarum conſe-

ctioni adſtantium & inſcriptionem anni quo data ſunt diplomata, ſpatium aliquod ſcripturâ vacuum de induſtria relictum apparet, in quo videlicet ſubſequentes Epiſcopi nullo falſitatis periculo ſubſignare poſſent, non ut ſuam præſentiam teſtarentur, ſed ut datum confectumque privilegium iterum ſua auctoritate firmarent atque corroborarent; quod ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis ubicumque terrarum variiſque temporibus præſtari poteſt.

REGULAM S. BENEDICTI OB SUI PRÆSTANTIAM Regulæ ſanctæ nomine cenſeri.

CAPUT VII.

EX integro iterum probandum ſuſcipio, Benedictina fuiſſe Monaſterii Corbeïenſis primordia, etiamſi expuncta maneant quæ delenda R. Pater voluit. Abraſum enim aliqua ſui parte privilegium, & ex alia interpolatum, ut videre eſt in Francorum Annalibus, iterum S. Benedictum appellat ac nominat, & Corbeïam à ſui ipſius initio Benedictinam Regulam ſuſcepiſſe notiſſimum facit: in eo namque iterum legitur, Bertefridum ipſum condidiſſe privilegium, *ut quieti ſub Regula ſancta ipſi Monachi vivere debeant.* Quæ verba à nullo deleri poſſe puto, cùm Clotharius Rex in ipſius Monaſterii fundatione Annalibus inſerta Corbeïenſe Monaſterium ædificatum dicat, *ut Monachi ſub ſancta Regula ibidem debeant converſari.* Ea ergo Regula quæ ſancta Regula vocatur, Corbeïenſibus Monachis primitus eſt impoſita, eaque ſub Theodefrido Abbate ſervata. *Monaſterium*, inquit Clotharius Rex, *ubi praeeſt venerabilis vir Theodefridus Abbas, pro æterni numinis intuitu ædificari præcepimus, ut Monachi ſub ſancta Regula ibidem debeant converſari.*

tom. 3. ad ann. 657. n. 13.

Hoc poſito ad plenam veritatis quam aſſero probationem ſufficiet, ſi probavero Columbani Regulam ſanctæ Regulæ nomine apud ſcriptores, qui S. Vvalberti ætate florebant, deſignatam non eſſe, ſolamque Benedictinam

eam denominationem ab auctoribus meruiſſe. Quod probatu non eſt difficile, cùm ſupra oſtenderim ex Audoëno hoc ſolum fuiſſe diſcriminis inter Monaſteria Columbano antiquiora, & ea quæ cùm ab ipſo, tum ab ejus diſcipulis ædificata fuere, quòd hæc *diſtrictionem ſanctæ Regulæ ſolerter tenerent*; cætera verò negligentiùs eam ſervarent.

Sed ut ad hominem loquar, pluribus probat antiquorum Ordinum Conditor novus, Fontanellenſe, & S. Baſoli Cœnobia ſub alia quàm S. Columbani Regula condita fuiſſe. Quæ verò fuerit ea quam S. Vandregiſilus fuit amplexus, Anonymus ipſius vitæ auctor explicat his verbis: *Quærebat locum*, inquit, *ubi ei Dominus demonſtraret, qualiter ſub ſancta Regula degeret vitam.* & Flodoardus in Annalibus Francorum, *immunitatem quoque ipſis Monachis ſub Perrone Abbate* (in Monaſterio S. Baſoli) *ſervientibus inſtituit* Nivardus Remenſis *Epiſcopus, ut nullus eccleſiaſticorum judicum indebitè in aliquo eos inquietare præſumeret, ſed eis quieto ordine ſub ſancta Regula vivere, & Deo ſervire liceret.*

Sæc. 2. Bened. ad ann. 667. n. 13. p. 526.
ad ann. 662. n. 9.

Dicent his omnibus in locis Regulam ſanctam genericè ſumi pro quacumque Regula ab Eccleſia aut tolerata, aut approbata, quæ ſanè ſancta dici potuit. Fateor equidem nullam eſſe Regulam ex his quæ ſummorum Pontificum approbationem quocumque modo meruere, quæ ſancta non poſſit dici aut debeat. Sed locis citatis aliquam ſpecialem ſignificari Regulam nullus negabit. Quis enim Aigradi verba in vita S. Anſberti Annalibus immixta, de alia quam de ſingulari, ſpecifica & propriè dicta Regula interpretari poteſt? *Pervenit Anſbertus ad Fontanellam Cænobium ſitum in territorio Rothomagenſi, ſuper magnum fluvium Sequanæ, ubi Sacerdos Domini magnus Vvandregiſilus Monaſterium conſtruxerat, atque cum magna Monachorum cohorte ſub ſanctæ Regulæ jugo laudabilem ducebat vitam.* Et hæc S. Audoëni in vita S. Eligii: *Tantam ſacræ Regulæ obſervantiam vidi*, &c.

tom. 3. ann. ad ann. 660. n. 16.

Quædam ergo fuit Regula, quæ abſolutè ſancta Regula vulgò dicebatur, quæque differebat à Columbani

Regula, ipſaque ſaltem ſuperior erat atque generalior; nulla verò hoc honoris titulo atque charactere decorari poteſt præter Benedictinam, quæ ſub hac denominatione prodiit in lucem, eam namque S. Benedictus ſanctam nominat. *Qui præpoſitus*, inquit, *ſi repertus fuerit vitioſus aut elatione deceptus ſuperbiæ, aut contemptor ſanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur uſque quater.* Nec immeritò eam ſanctam nuncupat, cùm eam eſſe divinitus dictatam aſſerat Concilium ad Theodonis-villam. *Per loca etiam monaſtica*, inquit, *ejuſdem Ordinis proviſorem neceſſe erit diſponere, cum veſtra auctoritas eos qui vices Chriſti ſecundùm Regulam divinitus dictatam in Monaſteriis agunt, ſtuduerit ordinare.*

Cap.65.Reg. — *ad ann. 844.*

Non ergo mirum videri debet, ſi ipſa etiam Concilia Benedictinam Regulam, abſolutè ſanctam Regulam dixerint & appellaverint. *Decernimus,* inquiunt Patres Conc. Mogunt. *ſicuti ſancta Regula dicit, ut Monaſterium ubi fieri poſſit, per decanos ordinetur, quia illi præpoſiti ſæpe in elationem incidunt:* quæ ultima verba ex mox citato Benedictinæ Regulæ capite fuere deſumpta. Sed ne aliunde explicationes mutuemur, ipſum Concilium iterum audiamus. *Abbates cenſuimus*, inquiunt, *ita pleniter vivere, ſicut palam nobis omnibus promiſerunt, id eſt, ſecundùm doctrinam ſanctæ Regulæ Benedicti.*

anno 813. — *Cap. 11.* — *Cap. 3.*

Eodem ſenſu locuti antea fuerant Patres Concilii Sueſſionenſis anno 744. celebrati, cùm juſſere, *ut Ordo Monachorum vel ancillarum Dei ſecundùm Regulam ſanctam ſtabilis permaneat.* Quid verò intelligendum ſit per Regulam ſanctam, Concilia Liptinenſe & Germanicum explicant, cùm volunt, *ut Monachi & ancillæ Dei Monaſteriales juxta Regulam S. Benedicti Cœnobia vel Xenodochia ſua ordinare, gubernare & vivere ſtudeant.* Quapropter cùm Theodonis-villæ Concilium, Benedictinam, abſolutè Regulam à S. Spiritu dictatam, Moguntiacum verò & Sueſſionenſe, eamdem prætermiſſo Benedicti nomine, nullaque adhibita explicatione, aut limitatione ſanctam Regulam nominent, dicendum eamdem Benedicti Regulam, cùm apud antiquiores auctores, tum apud om-

annis 743. 744.

nes communi, ut aliàs dixi, loquendi conſuetudine ſanctæ Regulæ nomine notam vocatamque fuiſſe, quod nonniſi quotidiano & diuturno loquendi uſu fieri potuit. Propterea nullo erroris periculo Aigradum ſuprà citatum, eodem ſenſu quo Concilia fuiſſe elocutum affirmare poſſumus, tum vel maximè, cùm dixit S. Vandregiſilum cum magna Monachorum cohorte ſub ſanctæ Regulæ jugo vixiſſe.

Eamdem loquendi formulam adhibuit auctor Vitæ S. Richmiri, cùm ſcripſit, eumdem Sanctum *Monachos ſub ſancta Regula* congregaſſe, & ab Epiſcopo petiiſſe *locum, in quo cellulam ſub ſancta Regula ædificare poſſet:* quem etiam invitum Gilbertus Epiſcopus Cænomanenſis præfecit Monaſterio ſancti Albini, *in quo Sanctimoniales ſub Regula pii Patris Benedicti viventes poſuerat.* Eadem eſt ergo & eodem auctore Regula ſancta quæ S. Benedicti Regula. *tom. 4. ann. ad ann. 685. n. 13.*

Eodem quoque ſenſu ſcripſere Flodoardus, Audoënus, Nivardus, ut vidimus ſuprà, & Clotharius Rex cùm alibi, tum in fundatione Monaſterii inſulæ Germanicæ, ubi teſtatur quòd in ea Monachi ſub ſancta Regula vivebant, quibus annumerari poteſt & ipſe Jonas, qui de beato Bertulfo loquens: *Ad venerabilem virum*, inquit, *Euſtaſium perrexit, quò diu ſubjectus ſanctæ Regulæ, religionique, gratus omnibus manſit.* Cùm enim iſti omnes auctores eodem modo de Regula ſancta quo ſuperiores Synodi fuerint locuti, & continuata ſerie Sanctorum Acta poſteris mandaverint, neceſſe eſt ut pariter de eadem S. Benedicti Regula explicentur, & eamdem ſubintellexiſſe cenſeantur. *In ejus Vita Sæc. 2. Bened.*

His auctoribus extranei ſcriptores mihi conjungendi videntur, qui eodem ſenſu quo Galli ſcripſere. Sanctus enim Eleutherius in privilegio dato ſancti Adelmi Monaſterio ad ann. 675. *Prædictorum Abbatum precibus annuens*, inquit, *ipſe locum tam ſibi, quàm ſucceſſoribus ſuis normam ſanctæ Regulæ ſolerti devotione ſequentibus ultro concedo.* At ſanctum Adelmum Benedictinum fuiſſe quis dubitat? *Apud Malmesb. lib. 1. de geſtis Ang. c. 2.*

Lib. 6. hiſt. Longob. cap. 40. Paulus diaconus loquens de ſancto Petronace : *Multorum*, inquit, *ibi* (in Monaſterio Caſſinenſi) *Monachorum nobilium & mediocrium ad ſe concurrentium Pater effectus ſub ſanctæ Regulæ jugo, & beati Benedicti inſtitutione reparatis habitaculis agere cœpit.* B. Abbas Monaſterii apud Fundanam urbem in epiſtola ad Simplicium Caſſinenſem Abbatem, non multo poſt mortem ſancti Benedicti ſcripta : *Quam Regulam*, inquit, *cupientes obſervare inviolabiliter, decrevimus ad ſanctitatem veſtram deſtinare religioſos ex eadem Congregatione viros Hugonem & Paulum Fratres noſtros juxta prædictam ſanctam Regulam & obſervantiam penitus inſtruendos in Caſſinenſi ſancta Congregatione.* *Apud Angelum de Nuce in notis adChron. Caſſ. n. 387.* Ex quibus inferendum relinquo, Benedictinam Regulam à ſua ipſius promulgatione ſanctæ Regulæ denominationem accepiſſe, eamque ad Flodoardi tempora nulli communicatam ſervaſſe. Licèt enim plures Regulæ ſanctæ dici potuerint, & reipſa ſanctæ denominatæ fuerint, nulli tamen id honoris conceſſum eſt unquam, ut abſolutè ſancta Regula denominaretur, ut dictum eſt pluries.

EAMDEM CREBRO ANTIQVITVS SANCTORVM Patrum Regulam vocatam eſſe.

CAPUT VIII.

QUÆ ſuprà diximus non quidem certiora, ſed tamen evidentiora fient ex conſideratione ſequentis formulæ, quæ in Corbeïenſi privilegio continetur. *Vt monachi ibi degentes*, inquit Bertefridus Epiſcopus Ambianenſis, *ſub Regula ſanctorum Patrum quietè converſari poſſint, hoc privilegium plena voluntate unà cum conſenſu Fratrum meorum conceſſiſſe, vel indulſiſſe viſus ſum.* *tom. 3. ad ann. 662. n. 20.* Ex quibus verbis Regulam ſanctorum Patrum Corbeïenſibus Monachis præſcriptam diſcimus. quænam verò ſit, & cui auctori tribuenda SS. Patrum Regula videamus.

Regula S. Benedicti triplici ratione SS. Patrum Regula dici poteſt, primò quia *S. Benedictus Regulam, quæ*

ſpiritualibus

ſpiritualibus hominibus eſſet accommodata, è Sanctorum vitis, Spiritu ſancto docente & oſtendente, condiderat, ut refert ſancta Hildegardis in Vita S. Diſibodi. Hoc ipſum clariùs dixit S. Benedictus Anianæ Abbas. *Cœpi*, inquit, *Sanctorum Vitas Regulaſque legere Patrum, quas dum ſagaci intentione percurrerem, & eadem pene quæ à ſancto Benedicto, prolata ſunt verba in quibuſdam locis; in quibuſdam verò ſenſum cognoſcerem, occurrit animo ea quæ à tepidis, ſegnibuſque Monachis dici aſſolent: Quid cæteræ huic conferunt Regulæ? quid ad me quas non promiſi pertinet legere? Et hæc quidem dicunt ignorantes beatum Benedictum ſuam à cæteris aſſumpſiſſe Regulam, & veluti è manipulis unum ſtrenuè contraxiſſe manipulum.* In Præfat. Concordiæ Reg.

2. Quia Benedictina Regula multum à ſanctis Patribus eſt commendata, & Monachis ad rectè vivendum tradita, *Accipe*, inquit Ordo Romanus. *Regulam à ſanctis Patribus nobis traditam..... accipe monaſticæ converſationis Regulam.* Bibliot. PP. tom. 10.

3. Sanctorum Patrum Regula dicitur ex adjuncta ſibi ſancti Columbani, aut ſancti Cæſarii, aut utriuſque Regula. *Vt Monachi*, inquit Bertefridus, *ibidem degentes ſub Regula SS. Patrum quieti converſari poſſent*; & S. Nivardus, *Dum omnes Epiſcopi Fratres mei..... Monaſteria ſecundùm Regulam ſanctorum Patrum ædificare non ceſſarent.* Sed clariùs id explicat auctor Vitæ S. Præjecti. *Monaſterium*, inquit..... *fabricare adorſus eſt* (S. Geneſius) *ex Regula dumtaxat virorum ſanctorum, id eſt ſancti Benedicti, & S. Cæſarii atque Columbani.* tom. 3. ann. ad ann. 665. n. 7.

Regulam Columbani à Benedictina ſejunctam nunquam SS. Patrum Regulam fuiſſe nominatam contendit Annalium ſcriptor: hinc enim eſt, quòd eamdem Columbani Regulam à S. Vvandregiſilo ſervatam non eſſe dixerit; quia ex Aigrado ſanctus Lambertus *qui regiminis ſuſceperat curam, ad conſueta ſancti Patris Ansberti in tractando grege Domini ſecundùm normam ſanctorum Patrum ſtrenuè cuncta atque irreprehenſibiliter gerebat*; id eſt, quia in Fontanella Cœnobio SS. Patrum Regula ſervabatur, quam à S. Columbani Regula diſtinguendam eſſe conce- tom. 4. ad ann. 734. n. 49.

dit, & pluribus probat. At Benedicti Regula ipſiſſimam eſſe ſanctorum Patrum Regulam quæ ab anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto ſervata fuit, eadem quæ hoc ipſo capite retuli, Sanctorum teſtimonia, Ordiniſque Romani mandata teſtantur; nec ſolùm in Galliis hoc nomine vocabatur, ſed cùm in Italia, tum in Anglia, ut ex Beda in S. Vvilfridi Epitaphio convincimus, fertur enim eumdem Sanctum SS. Patrum Regulam, id eſt, Benedictinam Regulam plurimos docuiſſe.

Beda lib. 5. cap. 20. hist. Anglic.

Inque locis iſtis Monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cavit quæ Regula Patrum
Sedulus inſtituit.

Per SS. Patrum Regulam, hîc Benedictinam intelligi certum eſt ex Guillelmo Malmeſburienſi. S. Vvilfridus, inquit, jam ſenex in publico concilio adverſariis ſuis ingratitudinem exprobrans, tria à ſe peracta exprimit, ſe primum fuiſſe qui verum Paſcha in Northumbria Scotis ejectis docuerit, qui cantus eccleſiaſticos antiphonatim inſtituerit, qui ſanctiſſimi Benedicti Regulam à Monachis obſervari juſſerit. Ea propter quoties Sanctorum Patrum Regulæ mentionem fieri cernimus ex eo tempore quo in Galliis Benedicti Regula recepta fuit, toties dicendum de S. Benedicti regulari inſtituto ſermonem haberi, niſi aliud certò aliunde conſtet: eam enim ita nominari ſolitam ex Sueſſionenſi privilegio iterum diſcimus, in quo expreſſis verbis quænam ſit SS. Patrum Regula notatur & explicatur.

Sancto igitur amore ſuccenſi (Ebroïnus ſcilicet major domus, Leutrudis ejus uxor, & Bovo eorum filius, inquit S. Drauſcio Sueſſionenſis Epiſcopus, *intra Cœnobii ſepta baſilicas conſtruxerunt, ubi puellæ virgines ac Deo ſacratæ Æteria Abbatiſſa relictâ ſæculi pompâ ſub Regula beatiſſimorum Patrum ad Laudes Chriſti diu noctuque canendas.* Ut verò nullam errandi occaſionem præbeat, ſuam de SS. Patrum Regula mentem ſequentibus verbis aperit, *quod nos tractantes . . . benevola deliberatione hoc privilegium in Dei nomine ad prædictum Monaſterium tribuendum indulſimus, quo . . . ut intra Monaſterium virgines*

& caſtæ debeant Deo militare ſecundùm Regulam S. Benedicti . . . & ad modum Luxovienſis Monaſterii quod B. Columbanus tenuit. Neque ibi confugiendum ad ſolitas abraſiones, oculatum enim teſtem viſi privilegii producimus, ſcilicet R. P. Claudium Dormey Canonicum Regularem in Annalibus aliquando citatum, qui illud in ſua Sueſſionenſi hiſtoria ex inſpecta originali charta deſcripſit, omiſſis tantùm quibuſdam verbis, quæ præ vetuſtate legi non potuere : neque fingenda aliqua regularis mutatio apud eaſdem Moniales, quæ ab ipſis baſilicarum initiis privilegium accepere. Fuit enim editum anno quarto Clotarii Regis, ſexto Cal. Jul. quo anno ejuſdem Cœnobii primordia figenda ſunt.

Quibus ita conſtitutis, abraſum Benedicti nomen ubique reſtituendum, & iterum exſcribendum, cùm SS. Patrum Regula, de qua in Privilegiis Altivillarenſi & Corbeïenſi, ſolam ſanctorum Benedicti & Columbani Regulam importare videatur. Nihil etiam ſupereſt difficultatis in aſſerenda deſignandaque Regula, quam in Fontanellenſi Cœnobio S. Vandregiſilus inſtituit : cùm enim una eademque ſit Benedictina, ſancta ſanctorumque Patrum Regula, quiſnam Aigradum vitæ S. Anſberti auctorem de eadem locutum eſſe vocaturus eſt in dubiùm ? cùm dicat quòd *Vandregiſilus Monaſterium conſtruxerat, atque cum magna Monachorum cohorte ſub ſanctæ Regulæ jugo laudabilem ducebat vitam ; cùm iterum* narret, *quòd is ſanctus* ſcilicet Lambertus, *qui regiminis ſuſceperat curam, ad conſulta S. Patris Ansberti in tractando grege Domini normam SS. Patrum ſtrenuè cuncta atque irreprehenſibiliter gerebat ;* & cùm tandem aſſerat S. Anſbertum voluiſſe, *ut ſicuti ſub ejus regimine, ita inantea ipſi & poſteri eorum ſecundùm Regulam S. Patris Benedicti fideliter Chriſto deſervirent.*

Sæc. 2. Bened. in vita S. Ansb. n. 8.

Ib. n. 14.

Ib. n. 27.

His tribus in locis unam eamdemque ſervatam Regulam Aigradus affirmat, quam primo ſub S. Vandregiſilo ſanctam Regulam, ſub ſancto Lamberto normam SS. Patrum, tertio expreſſiùs ſub Anſberto, cujus geſta Aigradus deſcribit, ſancti Benedicti Regulam nominat, diver-

ſimodè locutus non ad Regularum multiplicitatem inducendam, ſed ad variandam orationem: niſi velint S. Anſbertum adeo mutabili variaque ſanctitate præditum fuiſſe, ut primo ſub ſancta Regula in S. Vandregiſili Monaſterio profeſſionem emiſerit, S. Lambertum Vandregiſili ſucceſſorem ad inducendam SS. Patrum Regulam compulerit, ipſe verò relictis prioribus Regulis Benedictinam acceperit, ſanctorumque Vandregiſili & Lamberti diſcipulis ſervandam tradiderit. quod adeo ab ipſa etiam veriſimilitudine abhorret, ut ab hac opinione confutanda prorſus abſtineam. Abſit enim à ſanctiſſimo viro ſanctorumque Magiſtro, ut diverſas ſibi vivendi leges nulla neceſſitate cogente aſſumpſerit, hacque Regularum mutatione ſanctiſſimum Monaſterium, novis ſemper inſtitutis, novaque vivendi ratione immutaverit.

Decreveram hîc alia R. Patris errata in eradendis ſanctorum Vandregiſili, Audomari, Bavonis, Amandi, Remacli; &c. nominibus ex Benedictinorum albo commiſſa notare, ſed ea R. P. Joanni Mabillon, cujus intereſt, examinanda relinquo, præter quàm quòd omnes prorſus his de rebus errores ſola veritatis luce ereptos exiſtimo.

SANCTUM EUSTASIUM PRIMA LUXOVIENSIS Monaſterii Inſtituta numquam immutaſſe, ſed à converſionis initio ad mortem uſque ſub SS. Benedicti & Columbani Regula militaſſe.

CAPUT IX.

SI mihi cum ſolo R. Patre Cointio res eſſet, neque timerem ne tandem ad confictam regularis obſervantiæ mutationem ſub Euſtaſio Abbate factam confugeret, omnem pene controverſiam quæ inter nos verſatur, uno aut altero verbo dirimerem. Cùm enim ex ipſo eamdem Regulam Columbanus ipſiuſque diſcipuli tenuerint, Benedictinamque S. Vandregiſilus Romanique proinde Cœnobii Monachi profeſſi fuerint, neque diverſam ha-

buerint Theodorici, ſanctique Baſoli Aſcetæ, qui S. Regulam ſub Nivardo Remenſium Epiſcopo profitebantur; nonne certò concludemus cùm Luxovienſe, tum Romanum cæteraque ejuſdem inſtituti Cœnobia Benedictinæ Regulæ addicta fuiſſe, eamdemque in Galliis floruiſſe, multo antequam Luxovienſe & Fontanellenſe Aſceteria conderentur? Sed ut aliis faciam ſatis, & omnes effugiorum exitus præcludam, ulteriùs ad veritatem ſtabiliendam progredior.

Vir doctus, cujus nomen reticeo, antiquorum auctorum pondere, rationumque luce, quibus meam ſententiam illuſtro, antea adeo convictus fuit & perſuaſus, ut non modò ultro conceſſerit, ſed probaverit etiam omnia Columbani Monaſteria ſub ipſius diſcipulis Benedictina fuiſſe: ſed cùm aliunde crederet ipſum Columbanum, non aliena, ſed propria vixiſſe Regula, viam quamdam conciliandæ utriuſque opinionis adinvenit. Cùm enim in actis S. Euſtaſii apud Jonam legiſſet, Agreſtium Luxovienſem Monachum ſanctum Euſtaſium vehementiùs inſectatum fuiſſe, & in Columbani Regulam acerbiùs invectum, quoſdam Epiſcopos in ſuam traduxiſſe ſententiam, adeo ut eorum precibus acrique contentione juſſu regio coactum fuerit Matiſconenſe Concilium, ut accuſationis quam factitarat Agreſtius argumenta diligentiùs expenderentur. Cumque nullum videret Concilii Canonem, ſententiam nullam, nullum decretum quo Columbani Regula, aut approbaretur, aut Agreſtii calumnia coërceretur, facilè ſibi perſuaſit vir eruditus, Euſtaſium peracto Concilio, ut ſcandalum de tonſura inuſitata aliiſque accuſationis capitibus pleniſſimè ſopiret atque ſedaret, Benedictinam Regulam cum Columbani inſtitutis quantocius conjunxiſſe. Hincque contigiſſe credidit, ut ſtatim à Concilio per Galliam univerſam Monachorum examina ex Regula SS. Patrum Benedicti & Columbani pullularint, quod præclarum commentum ex prolixiori diſcuſſione paucis confuto.

Tria fuere accuſationis capita, quibus Agreſtius Euſtaſium, & Columbani Regulam invaſit, & oppugnavit.

Primum ex cocleæ crebra crucis ſignatione & multiplici benedictione, tam introeundo, quàm egrediendo petenda, deſumptum fuit, quam accuſationem non ſolum rejecere, ſed & riſere Concilii Patres. *Cumque nihil dignum*, inquit Jonas, *ſynodalibus aſſertionibus objici cernerent, alia, inquiunt, ſi habet opponat.*

Jonas in vita S. Euſtaſii num. 10. Sæc. 2. Bened.

Secundò, Agreſtius prorupit dicens ſe ſcire Columbanum à cæterorum more deſciſcere, & ipſum Miſſarum ſolemnia multiplicatione orationum vel collectarum celebrare, & multa alia ſuperflua. At objectam collectarum multiplicationem virtuti, non crimini dari debere clarè probavit Euſtaſius. *Multiplicationem orationum*, inquit, *in ſacris officiis credo omnibus proficere Eccleſiis; cùm enim plus Dominus quæritur, plus invenitur. . . . nihil enim tam utile tamque ſalubre quàm creatorem multiplicatione precum & aſſiduitate orationum pulſare.* quæ Euſtaſii ſententia ab Eccleſiæ univerſitate quæ multoties collectas multiplicandas decernit, probata fuit atque recepta.

Ib. n. 11.

Tertiò & ultimò, tonſuram inuſitatam Agreſtius objecit. *Addidit*, inquit Jonas, *garrulitatis noxam calumniator, capitis comam aliter tondi, alio charactere exprimi, & ab omnium more deſciſci.* Quam accuſationem non auctoritate, non ratione, ſed miraculo diſſolvit Euſtaſius, diemque Agreſtio dixit intra annum coram omnium judice Deo. *Horum*, inquit, *in præſentia ſacerdotum te ego ejus diſcipulus & ſucceſſor, cujus tu diſciplinam & inſtituta damnas, ad divinum judicium cum eo intra præſentis anni circulum cauſas dicturum invito, ut juſti judicii examine vindictam ſentias, cujus famulum tuis detractionibus maculare procuras.* & inferiùs. *Cumque idem Agreſtius ſæpius ſibi pœnitentiæ locum datum non cognoviſſet, ut Euſtaſii ſententia ad judicium invitantis prævaleret, ante triginta dierum circulum, quàm vertentis anni meta verteretur, à ſervo ſuo quem redemerat, ſecuri percuſſus interiit.*

Ib. n. 12.

n. 16.

Quæ cum ita ſint, nullam mutandæ Regulæ neceſſitatem Euſtaſio impoſitam fuiſſe, nullumque creatum ſcandalum de tonſura video, neque videri poſſe exiſtimo : cùm tonſuram exprobrantem Agreſtium Deus illata

morte coërcuerit, & ejuſdem Agreſtii fautorem Vvarnacharium eâdem pœnâ ſub Concilii initium plexerit. *Vvarnacharius, namque*, inquit Jonas, *ſtatuto die quo adverſus Euſtaſium altercatio oriretur, ipſe morte præventus interiit.* quod Euſtaſii precibus contigiſſe idem Jonas affirmat : *ſed prævaluit*, inquit, *B. Euſtaſii deprecatio, ut qui auctor injuſtæ intentionis, & adſentator fieri vellet, correptus à Domino per eum omnium vires frangeret.* Duplici ergo miraculo firmata Regula mutanda non fuit, aut aliqua ſui parte plectenda, ut ita dicam, ſed potiùs confirmanda & in æternum ſervanda.

2. Si aliquo modo dimidiatâ Scotorum coronâ offenſi aut alienati fuiſſent Concilii Patres, non illico ad abjiciendam Columbani Regulam & ad alteram aſſumendam Euſtaſius ferri debuit ; ſed ut commotos Patrum animos placidiùs ſedaret, ſola ipſi integra corona fuit deferenda, quod nullo Regulæ præjudicio, nulla diminutione, nulla alienæ Regulæ adjunctione poterat exequi : nihil enim de tonſuræ gerendæ modo S. Columbanus, nihil S. Benedictus aliquando ſtatuit aut definivit.

3. Eamdem Regulam, idem animarum regimen, eumdem vivendi modum quem à Columbano Euſtaſius didicerat, ad vitæ finem illibatum ſervavit : juſſerat enim Columbanus, *ut cohortem Fratrum diſciplinæ habenis Euſtaſius erudiret, multorumque collegio Chriſti plebem adunaret, ſuiſque inſtitutis educaret, quod adeo præclare præſtitit, ut nullus ſe beatum Columbanum perdidiſſe gemeret, qui ejus doctrinis imbutus fuiſſet, præſertim cùm cernerent in diſcipulo magiſtri inſtituta manere ; &* ſub vitæ finem viatico ſumpto, inquit Jonas, *animam reddidit & paternum regimen viventibus & religionis exemplum dimiſit.*

Jonas in vita S. Col. n. 61. Sæc. 2. Bened. ad an. 615.

Quapropter aut rejicienda penitus Jonæ auctoritas, aut fatendum, Euſtaſium nullum umquam diverſum vivendi genus ab eo quod à B. Columbano acceperat in Luxovienſe Monaſterium invexiſſe, quippe qui magiſtri inſtituta ad vitæ finem intemerata ſervavit. quique *ſumpto viatico paternum* à Columbano ſibi creditum regimen *viventibus dimiſit.* quale verò fuerit illud ipſum regimen à

Columbano commiſſum Euſtaſio & ab eo dimiſſum viventibus, ex ſupradictis facile eſt dignoſcere: nullo enim modo diverſum eſſe potuit ab eo quod S. Eligius ſuo teſtamento in Solemniacenſe Monaſterium induxit, quodque cætera Monaſteria Vvalberti tempore condita recepere. non enim alio vivendi genere uſus eſt Euſtaſius, alio S. Vvalbertus, à quo Columbani regimen longiùs eſt propagatum; ſed uterque idem omnino inſtitutum eaſdemque vitæ monaſticæ leges tenuit, videlicet Regulam S. Benedicti & Columbani.

MONASTERIA A S. COLVMBANO, ET AB IPSIVS diſcipulis ante annum ſexcenteſimum vigeſimum quintum exædificata, à ſuo ipſorum exordio Benedictinæ Regulæ addicta.

CAPUT X.

ISDEM nihilque immutatis legibus Cœnobia ſua Columbanum, Euſtaſium, Vvalbertumque rexiſſe, eorumdem Monaſteriorum ſcriptæ fundationes evincunt. de quibuſdam quæ ſub Vvalberti regimine contigere ſuperiùs egimus, de aliis verò in hoc capitulo agemus breviter: licèt enim pauca, ut ſuprà vidimus, ante Vvalbertum extiterint Monachorum domicilia, pauciſſima verò ſuperſint diplomata & editi libri quæ eorumdem fundationes ſigillatim exponant, attamen reperiuntur nonnulla, quibus noſtram confirmemus opinionem. Etenim Clotarius Rex in eo diplomate quod in confirmationem prædictorum Beſuenſi Monaſterio ab Amalgario Duce collatorum edidit ex Valdaleni primi Beſuenſium Abbatis narratione primos fontis Beſuæ Monachos ſub Regula S. Benedicti & Columbani adunatos fuiſſe teſtatur. *Venerabilis vir Vvaldalenus Abbas*, inquit, *ad præſentiam noſtram veniens gloriæ regni ſuggeſſit, quòd genitor ſuus Amalgarius & genitrix ſua Aquilina quondam pro Dei amore Monaſterium nuncupatum fontem Beſuam in pago Attoariorum ſuo opere in honore S. Petri & Pauli ædificaſſent,* &

tom. 3. annal. ad ann. 663. n. 1. Spicil. tom. 2.

& Monachos ibidem ſub Regula S. Columbani ſeu beati Benedicti adunaſſent.

Neque mihi metuendum, ne qui Vvalbertum ab Euſtaſio aut Columbano inſtitutis ſejungunt, vitiatam aut adjunctione S. Benedicti nominis interpolatam hujuſcemodi confirmationem opponant, cùm ſimiles formulas admittant in variis Monaſteriorum chartis, ex iiſque ſuam opinionem tueantur, ut Vvalberti Cœnobia Benedictinis adjungant : præterquam quòd integritas & ſinceritas auctoris Beſuenſis Chronici nullatenus patiantur, ut eum aut fuiſſe deceptum, aut poſteros decipere voluiſſe credamus : ſiquidem omnia deſcripta diplomata, in Beſuenſi tabulario vidit. Et ſi Benedicti nomen addidiſſet eo animo ut crederent poſteri, Beſuenſe Cœnobium à primo ſui conditu qui anno ſexcenteſimo contigit, contra rei veritatem Benedictinis legibus addictum fuiſſe, certè non dixiſſet initio Chronici, Amalgarium ſub B. Columbani Regula Monachos adunaſſe, ſed ibidem S. Benedicti nomen cum B. Columbani conjunxiſſet nomine, quò faciliùs ipſius opinio aliorum animos pervaderet. Sed è contrario vir minimè fucatus, ſimpliciter dixit primos Beſuenſes Monachos ſub S. Columbani Regula vixiſſe, eo modo quo Ciſtercienſes ſub S. Bernardi inſtitutis degere dicuntur. Et in deſcribendo diplomate Benedicti nomen non duxit omittendum, ne contra hiſtoriæ leges ageret, quæ fidem deſiderant integram : nullibi tamen ſibi oppoſitus videri debet, quandoquidem Columbani Regula à Benedicti ſejuncta à nullo unquam obſervata fuit.

Neque ab alio quopiam in idem Chronicon Benedicti nomen invectum fuit, cùm illud Lucas Dacherius ex autographo, ut ipſi videtur, in Bibliotheca regia ſervato deſcripſerit, & alius codex quem Francorum Annaliſta præ manibus habuit nihil à regio diverſum contineat, præter terminationem loci ubi data eſt charta.

In regio namque codice habetur actum Nemauſo, in alio verò, actum Nemauſa : quæ diverſitatis nota apertè convincit, ex alio quàm è regio deſcriptum eſſe Anna-

liſtæ codicem, qui cùm in cæteris cum Dacheriano conveniat, dicendum reſtat, hos tres codices cæteroſque omnes Benedicti nomen habuiſſe; niſi probaverint, aut exhibuerint alios qui nomine careant.

Hæc eadem veritas elici poteſt ex iis Regulis quæ in Juſſano Monaſterio viguere; triplicem enim Juſſanis Monialibus Vvalberti tempore impoſitam agnoſcunt, tunc videlicet, cùm Donati Regulam recepere. Neque quæſtionem mihi moveant de nomine Regulæ, quam Donati fuiſſe ultro concedo. Quid enim refert quo nomine vocetur, dummodo inter nos conſtet hujuſcemodi Regulam, ex Regulis SS. Benedicti, Columbani, atque Cæſarii in modum centonis componi, majoremque Benedictini inſtituti partem complecti, quod nullus negabit unquam, cùm ipſa ex aliorum Regulis à S. Donato collecta fuerit, & auctor vitæ S. Præjecti hanc eamdem Regulam virorum ſanctorum Benedicti, Cæſarii & Columbani nominet. *Monaſterium ſanctarum virginum*, in-
tom. 3. annal. ad an. 655. n. 7. quit, *ſuburbano præfatæ civitatis; cui Camelaria nomen inditum eſt, omni niſu atque conamine fabricare adorſus eſt, ex Regula dumtaxat virorum ſanctorum, id eſt, S. Benedicti, S. Cæſarii atque Columbani.*

Utrùm verò triplex illa Regula ab initio Juſſani Monaſterii Monialibus fuerit impoſita, nobis eſt inquirendum, & quantum ad me attinet, hoc exploratum eſſe ex Donati præfatione conjicio. *Sæpius mihi injungitis*, inquit, Juſſanas Moniales alloquens, *ut explorata S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi Regula quæ ſpecialiùs Chriſti virginibus dedicata eſt, unà cum beatiſſimorum Benedicti quoque & Columbani Abbatum, ut puta quibuſdam, ut ita dixerim, collectis in unum floſculis ad inſtar Enchiridii excerpere vobis vel coacervare deberem, & quæ ſpecialiùs fœmineo ſexui cuſtodienda competerent promulgarem, dicentes quòd Regulæ prædictorum Patrum vobis minimè convenirent, cùm eaſdem viris potiùs, & nequaquam fœminis edidiſſent. Et licèt S. Cæſarius propriè Chriſti ut eſtis virginibus Regulam dedicaſſet, vobis tamen ob immutationem loci in nonnullis conditionibus minimè conveniret. Ad hæc ergo*

implenda diu multumque reniſus ſum voluntati veſtræ, non ut pervicaciter durus, ſed mea conſcius impoſſibilitate retentus, dum multorum in hac re minùs poſſibilitatem rei atque opportunitatem loci intelligentium judicium pertimeſco, ne me temere reprehendant, cur de tantorum Patrum inſtitutis audeam quidquam excipere vel mutare . . . Germano tamen affectu . . . quod bonis veſtris deſideriis placuit, cunctoque ſancto veſtro Collegio inter ſepta iſtius Monaſterii adunata ſuggeſtio flagitavit, ea quæ vobis expediunt, & loci opportunitas vel corporis poſſibilitas præſtaret, & à norma recti dogmatis non diſcordant elegi pauca ex plurimis. Quibus verbis conqueruntur Juſſanæ Moniales, quòd ſanctorum Cæſarii, Benedicti & Columbani Regulæ prout erant integræ, cùm pro ratione locorum, tum pro ratione ſexus, pro quo fuerant editæ, ſibi minimè convenirent : quapropter poſtulant à Donato, ut ex tribus illis Regulis quid ipſis conſentaneum, & conveniens eſſet excipiat, & in unum quaſi corpus ad inſtar Enchiridii redigat : de mutanda verò, aut nova aſſumenda Regula ne unum quidem verbum loquuntur. Deterretur equidem S. Pontifex ab injuncto ſibi opere exequendo, non quòd exiſtimet eas à ſuſceptis vitæ monaſticæ inſtitutis aberrare voluiſſe, cùm earum pia hac in re fuiſſe deſideria dicat : ſed quia ſolummodo timuit ne ipſi vitio verteretur, quòd ſanctorum Benedicti, Columbani & Cæſarii Regulas auſus eſſet imminuere, quâcumque causâ id ageret.

Re quidem vera, Regulæ S. Benedicti tanta apud omnes fuit auctoritas, ut licèt quædam in ea reperiantur quæ minùs fœminis conveniant, unus tantùm repertus fuerit S. Donatus, qui eam reſecaret, ſolæque fuerint inventæ Juſſanæ Moniales, quæ id voluerint expetere. Licèt fortè Monialium cæteræ non plura ex prædicta Regula redegerint in praxim, quàm illa quadraginta tria integra Benedictinæ Regulæ capita, quæ à S. Donato excepta fuere ; quæ non ideo dico, ut Juſſanas Moniales, aut S. Donatum temeritatis arguam, cùm parum referat utrum integram, aut truncatam Regulam aliquis legat,

dummodo ea omnia quæ obſervanda promiſit diligentiùs exequatur : ſed ut veram certamque rationem oſtendam, propter quam tamdiu S. Donatus earum deſideriis obſtiterit.

Ut ut ſit, ex verbis ſuprà relatis nullum illaturum arbitror, Biſuntinas Monachas unam aut duas tantùm ab initio converſionis Regulas ſervaſſe : aliàs non video qua ratione S. Donatus earum deſideria pia dixiſſet, ſuamque ad immutanda earum vota dediſſet operam.

Hìc etiam inquiri poſſet, utrum S. Columbanus ſpecialem Monialibus Regulam ſcripſerit : ſed hanc quæſtionem negativè contra opinionem Cointii ſolvi poſſe non dubito, cùm ſuprà viderimus Juſſanas Moniales dixiſſe, *Regulas prædictorum Patrum Benedicti & Columbani eis minimè convenire, cùm eaſdem viris potiùs & nequaquam fœminis edidiſſent.*

Quæ cùm ita ſint, numquam, ut ſpero, dicturus eſt Francorum Annaliſta, S. Columbani, aut S. Cæſarii Moniales à Benedictinis diverſas aliquando fuiſſe, niſi aliunde id certò didicerit, aut probaverit. Neque ſibi ſatis eſſe putabit in poſterum ad denegandam Benedicti Regulam, ſi more ſolito dixerit aliquas ſub S. Columbani, aut Cæſarii legibus militaſſe, cùm certum ſit Juſſanum Monaſterium ſub Regula Columbani conſtructum, ut Jonas graviſſimus auctor innuit, triplicem accepiſſe Regulam, quarum potior & præcipua fuit Benedictina, quæ ad noſtra uſque tempora in omnibus tam Columbani, quàm Cæſarii Monaſteriis ſola, obliteratis cæteris permanet.

Veniamus modò ad objectam tamdiu Columbani Regulam, quam multum à Benedictina RR. Patres Bollandus, Henſchenius, Cointius, aliique diſcrepare putarunt, genuſque vivendi à Benedictino diverſum, novumque Monachorum Ordinem induxiſſe voluerunt.

DE TRIPLICI REGULÆ CONSIDERATIONE ejuſque vocabuli ſignificatione ex S. Benedicti Regula deſumpta.

CAPUT XI.

EX his omnibus qui Columbanum Benedictinum dixere, neminem eſſe exiſtimo qui negaverit unquam ſanctum virum Regulam edidiſſe, ſeu quod in idem recidit, ſtatuta condidiſſe quæ in Benedictina Regula reperiri non poſſunt: at æquè eorum neminem reperiri arbitror qui non dixerit, eadem ipſa ſtatuta eamdemque Columbani Regulam nihil Benedictinæ Regulæ oppoſitum, nihil contrarium prorſus habere, ſed eſſe quaſi appendicem ipſius, & additamentum. quam opinionem pro rei veritate habendam eſſe confido, quod ut exequar.

Suppono ex S. Benedicto triplicem diſtinguendam eſſe Regulam, quarum prima à Doctorum eccleſiaſticorum ſcriptis aut Sanctorum exemplis non diſtinguitur, ſed ex ipſis componitur & conſtat. *Cæterum,* inquit S. Benedictus ultimo Regulæ capite, *ad perfectionem qui tendit, ſunt doctrinæ ſanctorum Patrum, quarum obſervatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis: quæ enim pagina, aut quis ſermo divinæ auctoritatis veteris aut novi Teſtamenti non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? aut quis liber ſanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Creatorem noſtrum; necnon & collationes Patrum, & inſtituta, & vita eorum, ſed & Regula S. Patris noſtri Baſilii, quid aliud ſunt, niſi bene viventium & obedientium Monachorum exempla & inſtrumenta virtutum?*

Scio hìc Regulam normamque vivendi largè ſumi: attamen primus Regularum collector S. Benedictus Anianæ Abbas, Sanctorum ſcripta adeo pro Regulis habuit & habenda putavit, ut ex his tanquam ex veris propriéque dictis Regulis capita quædam ſuæ Regularum concordiæ inſeruerit, videlicet ex Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Auguſtino, Beda, Caſſiodoro, & ex actis

S. Burgundofaræ, quæ in eadem Regularum concordia videre licet.

Regula ſumitur ſecundo modo pro vera vivendi norma viris ſeu virginibus impoſita, ad cujus præſcriptum vitam dirigant, & ad quam ſervandam emiſſo voto ſe ſacramento aſtringant & obligent, qualis eſt Regula S. Benedicti, Baſilii, Franciſci.

Tertio tandem Regula ex conſtitutionibus conſtat, inſtitutis, declarationibus & hujuſcemodi cæteris obſervationibus, quibus elucidatur & determinatur principalis Regula, aut certè nihil continet aliud, quàm ſpecialem cujuſlibet Monaſterii obſervantiam, aut conſuetudinem, quæ à Regula principali, aut ejus auctore non præſcribitur, ſed ab uniuſcujuſque Monaſterii Abbate ſeu Decanis ſtatuitur atque ſancitur, qualis eſt illa Regula à Præpoſitis conſtituta, de qua S. Benedictus cap. 62. Regulæ ſuæ. *Qui Sacerdos*, inquit, *Regulam à Decanis, vel Præpoſitis conſtitutam ſibi ſervandam ſciat, quòd ſi aliter præſumpſerit, non ut Sacerdos, ſed ut rebellis judicetur.* Et cap. 23. *Si quis Frater in aliquo contrarius ſanctæ Regulæ vel præceptis ſeniorum contemptor repertus fuerit,* &c. Iis enim præceptis, inſtitutis, conſuetudinibus, monitis quæ à ſenioribus, Decanis, Præpoſitis & Abbatibus feruntur atque traduntur, quæque in principali Regula præſcripta non fuere, B. Benedictus Regulæ nomen impoſuit.

Idem præſtitit S. Hugo Cluniacenſis Abbas, qui ſpeciales conſuetudines & conſtitutiones Regulas vocavit. *Has profectò*, inquit Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus in vita S. Hugonis, *ſub Regulis hujuſcemodi vivere inſtituit, ut earum nulla vel rei neceſſitate familiaris vel quolibet negotio conſpectibus virorum afferretur*, &c. Duplicem ergo in unoquoque Monaſterio S. Benedictus Regulam agnoſcit, primam à ſeipſo omnibus præfixam, ſecundam à Decanis vel Præpoſitis conſtitutam. Primam cuilibet Novitiorum per ordinem vult eſſe legendam, ut ſciat ad quid ingreditur, cuique dicendum jubet: *Ecce lex ſub qua militare vis, ſi potes obſervare, ingredere; ſi non potes, liber diſcede.* Ad ſummum ne ſingularum partes ſu-

In Bibliot. Clun. col. 420.

ſiùs explicem, prima, præcipua ac principalis Regula ea eſt, quam ſolemni voto ſervandam profitemur. Secunda verò illa omnia complectitur atque definit, quæ à prima Regula indeterminata, Abbatum, Decanorum, vel Præpoſitorum arbitrio relicta fuere. Scit enim, ut opinor, is ipſe cujus opinionem confuto, Regulam S. Benedicti non pro uno tantùm ſpeciali Monaſterio, ſed pro multis editam, imo omnibus omnino per orbem univerſum ad vitam monaſticam inſtituendam ab eodem ſanctiſſimo Patre expoſitam fuiſſe : quamobrem eâ prudentiâ ac diſcretione decreta Regulæ temperavit, qua indifferenter ac promiſcuè à quibuſvis cujuſcumque nationis hominibus in praxim redigi poſſent. unde multa Abbatum voluntati permittenda, & ab ipſis determinanda, ac definienda fuere. Quæ autem & quanta fuerint quæ hoc modo S. Benedictus indeterminata reliquit, longum eſſet recenſere & tædii plenum ; tria tantùm quæ magis ad propoſitum proponam.

Veſtium numerum, colorem, pannique quo veſtes conficiuntur, qualitatem præſcribenda non cenſuit. *Veſtimenta*, inquit, *ſecundùm locorum qualitatem ubi habitant, vel aëris temperiem dentur, quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. De quorum omnium colore, aut groſſitudine non cauſentur Monachi.* Enimverò adeo exactè ac dilucidè officium divinum deſcripſit, ut nihil in tota Regula fuſiùs expoſuerit, nihil magis ſedulo voluerit obſervari : attamen quia diverſæ nationes, diœceſes, Monaſteria diverſa à ſe invicem officia divina legebant, quibus plurimùm erant addicti, nihil abſolutè determinandum, ſed in fine 18. cap. hæc verba ſubjungenda voluit : *Hoc præcipuè commonentes, ut ſi cui fortè hæc diſtributio pſalmorum diſplicuerit, ordinet, ſi meliùs aliter judicaverit, dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada Pſalterium ex integro numero centum quinquaginta pſalmorum pſallatur,* quaſi veritus eſſet vir piiſſimus, ne Abbates, aut Monachi vano ſeu ficto officii mutandi timore à ſuſcipienda Regula abhorrerent.

Cap.55.Reg.

Hac etiam de cauſa, ut arbitror, nihil de Monacho-

rum tonſura ſtatuit, licèt eam deferendam ſupponat; ſciebat enim quanam animi tenacitate quidam Monachi uſurpatum tonſuræ modum, ſeu pro genio gentis, ſeu pro conſuetudine majorum ſervandum curarent, quapropter ſingulari prudentia cavit, ne ſuſcipiendæ Regulæ obicem iis gentibus apponeret.

Multis etiam Regulæ capitibus de pœnis delinquentibus imponendis, ſeu de correptione culparum egit; voluit tamen ipſum culparum modum à ſpeciali cujuſque Monaſterii Abbate definiri. *Secundùm modum culpæ*, inquit, *excommunicationis vel diſciplinæ debet extendi menſura, qui culparum modus in Abbatis pendeat judicio.* Ac ſi diceret Abbatis eſſe culpas qualificare, & modum eis imponere, id eſt ejus judiciò eas leves aut graves, graviores aut graviſſimas habendas eſſe; quinimo licèt levibus æquè ac cæteris erratis certiſſimas pœnas conſtituerit, pœnarum tamen æquè ac culparum modum ut plurimùm Abbatibus determinandum reliquit. Quapropter ſæpiſſime indeterminatè jubet, *ut adhibeatur correptio diſciplinæ regularis*; & ut delinquentes *diſciplinæ regulari ſubjaceant*, ut videre eſt in capitib. 32. 33. 54. 65. & 70. Quænam verò ſit illa diſciplina regularis, id eſt pœna regulariter delinquentibus conſtituta, nullatenus explicat: unde contingit iſtam regularem diſciplinam, ſeu diſciplinæ regularis correctionem variam eſſe, pro ratione nationum, & provinciarum diverſarumque congregationum, ſeu pro voluntate Abbatum, à quorum nutu ex S. Benedicto pendet: idemque dicendum de veſtium colore, numero pſalmorum, deque officio divino dicendo. quę cùm per ſe pateant, probatione non indigent, licèt alicujus Regulæ ſpecialis auctoritate egeant, qua determinentur atque definiantur.

Dixi ſuperiùs Regulam ſecundo modo acceptam eam eſſe ad cujus obſervationem ex voto tenemur, quod non ea mente à me dictum fuit, quaſi voluerim Regulam tertio modo acceptam obligare neminem: ſed quia ad illam primariò, ſecundariò verò & conſequentiâ quâdam ad iſtam obſervandam ſacramento aſtringimur, quam ob

cauſam hujuſcemodi Regulæ tranſgreſſores S. Benedictus ut rebelles judicandos eſſe decernit. Eodem etiam ſacramento multoties ad utramque Regulam tenentur Monachi & Abbates, ut videre eſt in duplici Abbatum Cluniacenſium electione, Maïoli ſcilicet & Odilonis, quarum in prima hæc habentur : *Quapropter ego Haymardus S. Petri Cluniacenſis Abbas indignus, cum omnibus Patribus meis, filiis, & conſervis . . . Maïolum religioſum eligimus & Abbatem eſſe decernimus, ne inſolentiâ noſtræ infirmitatis Ordo detereſcat ; & ſicut Cluniacenſe Monaſterium Domino auctore à Guillelmo fundatum, nomine principis Apoſtolorum ſacratum, privilegiis Romanæ ſedis inſignitum, regalibus præceptis confirmatum, à reverendis quoque Abbatibus domno Bernone & Odone ordinatum conſtat : ita cum omnibus Abbatiis, locis & cellis, ubi ubi eorum vel noſtro tempore acquiſitis, prædicto Fratri ordinandum tradimus, atque tam ad ordinem ſervandum ſecundùm B. Benedictum, & inſtituta Patrum noſtrorum, quàm ad res diſponendas ſub omni integritate, propitia Divinitate, vinculis obedientiæ aſtringimus.* tom. 6. Spicil. p. 420.

In ſecunda verò electione eadem ad verbum habentur, ex qua tamen hæc iterum deſcribere neceſſarium duxi. *Ita Cluniacenſe Monaſterium cum omnibus Abbatiis. . . prædicto Patri . . Odiloni ordinandum tradimus, atque tam ad ordinem ſervandum ſecundùm S. Benedictum, & inſtituta Patrum noſtrorum, quàm ad res diſponendas vinculis obedientiæ adſtringimus.* Ex quibus conſtare certum eſt, Abbates Cluniacenſes cùm ad Regulam B. Benedicti, tum ad inſtituta majorum, Bernonis ſcilicet & Odonis, id eſt ad primariam & ſecundariam ſervandam Regulam obedientiæ vinculis aſtrictos fuiſſe. Ibid. p. 421.

SANCTI COLUMBANI REGULA Benedictinæ ſupplementum.

CAPUT XII.

COLUMBANI Regulam alterius cujuſdam Regulæ appendicem eſſe aſſerendum non dubito, & ex ipſo Columbano probandum aſſumo : duplicis namque Regulæ in Pœnitentiali meminit, nempe ſui ipſius cùm ait:
num. 21. *Si quis contradicit mandatum aut Regulam frangit, duos dies, unum paxematium.* Alterius verò quam principalem nominat his verbis definit : *Qui tranſgreditur Regulam juſſionis vel diſciplinæ generalis, maneat expulſus ſine cibo, & in craſtino recipiatur.* Quænam eſt enim illa Regula juſſionis vel diſciplinæ generalis, præter eam principalem ac primariam Regulam de qua ſecundo loco egimus, quam ab alia diſtinguendam eſſe, cùm ex ipſis terminis, tum ex ipſa inflicta pœna pro utriuſque tranſgreſſione dignoſcitur : aliam ergo habuit Regulam quam obſervaret, præter eam quam ipſe condiderat.

Præterea alia quædam Regula principalis, primaria aut potiùs magiſtra, ut eam vocat S. Benedictus, S. Columbano ad ſui ipſius Monaſterii conſtitutionem & directionem plenè neceſſaria fuit : cùm propria ipſius Regula nihil quod verè propriéque dictam Regulam ſapiat, continere videatur, ſi ea quæ ad divinum officium celebrandum, & ad definiendas pœnitentias pertinent, ab eadem ſecluſeris : ſeu quod in idem recidit, nihil continet quod Regulæ nomen mereatur, & ad Regulam intrinſecè & eſſentialiter conſtituendam ſufficiat, præter Curſum divini officii & pœnitentialem librum, id eſt præter ea quæ S. Benedictus indeterminata & indefinita reliquit.

Nihil enim habet de ſuſcipiendis ad profeſſionem Monachis, nec de votis edendis, quibus monaſtica vita & diſciplina conſtituitur ; nihil de exercitiis Monachorum, quibus monaſtica vita & diſciplina conſtituitur ; nihil de exercitiis Monachorum, quibus omnes Regulæ à ſe in-

vicem differunt; nihil de pueris in Monaſterium admittendis; de Præpoſitis verò, Decanis, Cellerariis, cæteriſque officialibus eligendis ac nominandis ne unum quidem verbum; de labore manuum, de obſervatione ſilentii, de lectione divina, quibuſnam horis, quantoque temporis ſpatio obſervari debeant, nihil omnino; de alimentorum & veſtimentorum ratione, de ſuſceptione hoſpitum, de coquinæ adminiſtratione ferè nihil; de electione Abbatis, deque ipſius Abbatis eligendi dotibus ubique tacet. Uno verbo ſi à Columbani Regula caput ſeptimum de Curſu pſalmorum & Pœnitentialem auferas, nihil prorſus remanebit quod propriam Monachorum Regulam redoleat. Cætera namque Regulæ capita hortatorio modo compoſita ſunt, non decretorio, multóque magis ad primam Regulam ſeu primo modo ſumptam pertinent, quàm ad ſecundam, & tertiam; quod ex conſideratione & inſpectione ſeptimi capitis non modò conjici, ſed & certò ſciri poteſt.

Agitur eo capite de cibo & potu, nullumque extat in tota Columbani Regula quod tantam vim legis habere videatur, ſi prima ipſius capitis verba conſideres; ab his enim incipit: *Cibus ſit vilis ac veſpertinus Monachorum, ſatietatem fugiens aut potus ebrietatem, ut & ſuſtineat, & non noceat, olera, legumina, farina aquis mixta, cum parvo panis paximatio, ne venter oneretur, aut mens ſuffocetur.* Quis hæc legendo non ſibi in mentem reducat Scotos Monachos & Landevenecenſes, *quibus potus conſtabat ex aqua plurima, & aliquibus malorum agreſtium ſuccis, qui nullum uvæ liquorem, nec mellis, nec lactis, nec cervisiæ ſumebant?* Quis etiam non firmiter credat, olera ſolùm & legumina & farinam aquis mixtam, non lacte, utpote prohibito, id eſt inſulſiſſimam pultem in cibum Monachis à S. Columbano fuiſſe conceſſa?

Ex vita S. Vuinvaloei in præf. Sæc. 1. Bened. pag. 33.

At nemo neſcit S. Columbanum ejuſque diſcipulos piſcibus veſci ſolitos, retia ad piſcandum habuiſſe, ut in ipſius Columbani vita n. 18. & 19. Jonas teſtatur. quis eos vinum ſiceramque adhibuiſſe neſcit, ex ipſius vitæ n. 26. & 25. Quapropter Columbanus nec Scotorum tenuiſſe

Regulam, nec ad omnia quæ in propria continebantur Regula ſe obligaſſe dicendus eſt. Etenim Scotica nimis rigida eſt, ut vult auctor vitæ S. Vvinvaloei; Columbani verò Regula pro maxima parte hortatoria eſt & ſuaſoria, non præſcriptiva aut legiſlativa.

Initio finem capitis jungamus, & ex ipſius concluſione aſſertionem noſtram iterum firmemus. *Ergo*, inquit S. Columbanus, *quotidie jejunandum eſt, ſicut quotidie orandum eſt, quotidie eſt laborandum, quotidie eſt legendum.* Ex his inferamus ex Columbani mente & Regulæ præſcripto diebus dominicis & aliis præcipuis Eccleſiæ ſolemnitatibus jejunandum eſſe & laborandum, quod à Columbani mente abhorrere certum videtur. Non ergo his omnibus capitibus Columbanus condit Regulam propriè dictam, ſed ad obedientiam, ſilentium, ſobrietatem, paupertatem, humilitatem & caſtitatem hortatur; nihil de his virtutibus quoad ipſum uſum & exercitium determinatè jubendo aut ſtatuendo: quamobrem in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ſola capita quæ de Curſu pſalmorum & de pœnitentiis agunt, notis illuſtrata videmus.

Eadem principalis aſſertio auctoritate Emmonis Senonenſis Epiſcopi aliorumque probatur & aſſeritur, ex quo perſpicuum fiat & apertum, Benedictinam Regulam nulla cum alia conjunctam, ſed tantummodo modificatam in Luxovienſi Monaſterio obſervatam fuiſſe, & conſequenter Columbani Regulam non eſſe propriè dictam, & principalem Regulam, ſed Benedictinæ additamentum & appendicem. *Sancto igitur amore ſuccenſi*, inquit Emmo, *Monachi ſancti Petri Vivi Senonenſis, ſub Regula ſancti Benedicti & modo Luxovienſis Monaſterii devota mente & integra devotione deſiderant conſiſtere.* Eodem ſenſu loquitur Drauſcio Sueſſionenſis Epiſcopus in privilegio Sueſſionenſibus Monialibus dato, de quo ſuprà. *Hoc privilegium*, inquit, *tribuendum indulſimus, quo . . . ut infra Monaſterium virgines & caſtæ debeant Domino militare ſecundùm Regulam S. Benedicti, & ad modum Luxovienſis Monaſterii, quod beatus Columbanus tenuit,*

tom. 2. Spicil.

Regulam ad perfectionem animarum valeant in omnibus cuſtodire . · . Eadem habet Bladegeſilus Pariſienſis Archidiaconus in fundatione Foſſatenſis Monaſterii. *Quatinus*, inquit, *ipſi ſervi Dei omneſque ſucceſſores eorum, ut prædiximus, ibidem ſub Regula S. Benedicti ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii Domino Chriſto valeant famulari* . · . Eadem etiam mente ſuum taſtamentum S. Eligius ſcripſit ad annum 632. *Ceſſum eſſe volo*, inquit, *ac de meo jure in veſtro dominio transfundo, hoc eſt ſupradictum agrum Solemniacenſe : ea tamen conditione interpoſita, ut vos & ſucceſſores veſtri tramitem religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequamini.*

Hac quadruplici auctoritate, quaſi quadruplici funiculo ligata, &, ut ita dicam, concluſa Annalium auctoris opinione manifeſtum eſt, Benedictinam Regulam à fundato Luxovienſi Monaſterio in eodem obſervatam fuiſſe, neque eodem loco Columbani Regulam apud Luxovienſes Monachos fuiſſe, quo Benedictinam, nec ex æquo utramque eis impoſitam, ſolamque Benedicti Regulam Columbani inſtitutis modificatam, ab iiſdem ad obſervandum aſſumptam ; eamdemque Solemniacenſi, Foſſatenſi, Sueſſionenſi, & Senonenſi Monaſteriis ſimili modo præſcriptam & imperatam. Hoc præ ſe ferunt chartarum, privilegiorum & teſtamentorum formulæ : *Ut vos & ſucceſſores veſtri tramitem religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequamini* . · . *ſub Regula S. Benedicti & in modum Luxovienſis Monaſterii deliberant conſiſtere* . · . *ſub Regula S. Benedicti ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii Domino Chriſto valeant famulari* . · . *ad modum Luxovienſis Monaſterii, quod B. Columbanus tenuit, Regulam ad perfectionem animarum valeant in omnibus cuſtodire* . · . Qui modus is ipſe eſt quem Columbanus invexit, ut ex Sueſſionenſi privilegio patet.

His verò omnibus formulis id unum ſignificatur, Monaſteria, videlicet Solemniacenſe, Foſſatenſe, Senonenſe & Sueſſionenſe, Regulam S. Benedicti ad modum Luxovienſis Monaſterii, ſeu juxta modum eidem à B. Columbano impoſitum, ſervandam ſuſcepiſſe.

SATISFIT DVABVS ADVERSARIORVM objectionibus.

CAPUT XIII.

QUÆRITUR primò cur & quomodo Columbani ſtatuta Regulæ nomen induerint. Reſpondeo primò, ex ipſa B. Benedicti Regula hoc ipſis nomen deberi, ut ſuprà notatum eſt, cùm S. Benedictus Decanorum & Præpoſitorum præceptis Regulæ nomen indiderit, eaque Regulæ appellatione, ut ita dicam, veſtierit. Secundò, minimè mirum videri debet Columbani ſtatuta Regulæ nomine vocata & appellata, cùm diverſitas conſtitutionum, & regularium obſervantiarum, diverſorum Cœnobiorum ſub eadem Regula conſiſtentium, etiam diverſitatem Ordinum induxerit, ut inductione patet; alius eſt enim Cluniacenſis Ordo à Ciſtercienſi, & uterque ab Ordine Tyronenſi aut Majoris Monaſterii differt, non diverſarum Regularum principalium oppoſitione, ſed conſtitutionum & ſtatutorum circa eandem Regulam editorum diverſitate: unde nec etiam mirum videri debet, ſi fortè aliqua Monaſteria ſub Regula Columbani fundata & inſtituta fuere, nulla B. Benedicti mentione facta, (quod utrum contigerit aliquando neſcio) cùm idipſum in his omnibus Ordinibus contigerit. cujus rei unum aut alterum exemplum apponam. *Habuimus*, (inquit Vvillelmus de Varenna in fundatione Prioratus de Leuves in Anglia) *in propoſito & voluntate per conſilium domni Lanfranci Archiepiſcopi, ego & uxor mea, quòd faceremus aliquam domum Religionis; tunc viſum fuit nobis quòd de nullo alio Ordine tam libenter quàm de Cluniaco eam facere vellemus, & ideo miſimus & requiſivimus à domno Hugone*, &c.... Et in fundatione Pullæ Ordinis Tyronenſis apud eumdem Renerium: *Sciant univerſi, quòd ego Adam de Rupe, divina confidens remuneratione, pro ſanctæ Eccleſiæ exaltatione Monaſterium in terra mea de Pulla dedi & conceſſi, & hac præſenti charta*

Apud Renerium in appendice pag. 59.

pag. 206.

confirmavi Deo & S. Mariæ & S. Budoco & Monachis de Ordine Tyronenſi ibidem Deo ſervientibus unam carrucam. quaſi ſupponerent pii illi fundatores diverſos & propriè dictos Ordines fuiſſe in Monaſteriis Cluniacenſi & Tyronenſi, eadem pene quæ ſuperiùs S. Eligius, Drauſcio, Emmo de Luxovienſi Monaſterio dixere. In Andrenſi Chronico de Majori Monaſterio dictum legimus. *Interea Comes* (inquit auctor Chronici) *ſicut jampridem in animo conceperat, cum Ingelranno domino Lelirienſi & quibuſdam Flandriæ proceribus ad S. Iacobum iter arripuit : ad Carroſenſe Cœnobium tunc temporis religioſum, & ad uſus & conſuetudines Majoris Monaſterii reformatum caſu fortuito divertit.* *Spicil tom. 9. pag. 341.*

Scimus omnes, Richardum Virdunenſem Benedictinum Monachum ejuſdemque Ordinis reformatorem fuiſſe : attamen ita de eo Chronici Lobienſis continuator loquitur, ac ſi ipſe novam condidiſſet Regulam : *Tantæ ſiquidem*, inquit, *fuiſſe auctoritatis dignoſcitur, ut totius pene Lotharingiæ Monaſteria ejus inſtituta pro lege ſervaverint, & ſervanda poſteris per ſuccedentia tempora tradiderint.* *Spicil. tom. 6. pag 5,2.*

Quid ergo mirum ſi in chartis quorumdam Monaſteriorum habeatur ea fundata fuiſſe ſub Regula S. Columbani, tacito ſuppreſſoque S. Benedicti nomine, quod, ut dixi, me vidiſſe non memini, cùm videamus certoque ſciamus fundata fuiſſe Monaſteria ſub diverſis variorum Cœnobiorum Ordinibus, innominatâ Benedictinâ Regulâ, licèt eadem Monaſteria ex ejuſdem Regulæ præſcripto regerentur.

Vera tamen ratio, ob quam ſpecialia cujuſlibet Monaſterii inſtituta Regulæ nomine veſtita fuere, ab ipſorum ſtatutorum natura petenda fuit : cùm enim monaſticæ Regulæ officium præſtent, vimque legis habeant ad continendos & dirigendos Monachos, qui non ſolùm ad Regulam principalem, ſed ad ſpecialia ſtatuta ſervanda tenentur, nullus mirari debet, quòd eadem inſtituta Regulæ nomen acceperint, & hactenus ſervent.

Opponunt ſecundò adverſarii, S. Columbanum in Gal-

liam veniſſe antequam Benedictinæ leges Hybernis Monachis eſſent impoſitæ, & conſequenter inferunt eumdem Sanctum Benedictinæ Regulæ non fuiſſe deditum, priuſquam Gallias adiret. Neque conſtare dicunt, an ſancti Benedicti inſtituta poſtea receperit, cùm novam ipſe condiderit Regulam.

Reſpondeo primò, ſatis non eſſe ſi dixerint, aut etiam probaverint doctiſſimi viri, Monachos Hybernos generaliter Benedictinos non fuiſſe, antequam S. Columbanus patriam effugeret, niſi etiam manifeſtum faciant, nullos tunc temporis Hybernos ſub S. Benedicti legibus militaſſe, quod facient numquam.

Reſpondeo ſecundò, idipſum S. Columbanum præſtare potuiſſe quod de ſancto Diſibodo ſancta Hildegardis narrat, qui cùm in Germaniam eodem peregrinandi, & fidei promovendæ ſtudio perveniſſet, Regulam S. Benedicti amplexus, Monaſterium Benedictinis adſcribendum condidit, ut videre eſt apud S. Hildegardem in ejus vita ab eadem S. Hildegarde compoſita.

Reſpondeo tertiò, ſanctum Columbanum aut Benedictinum fuiſſe in Hybernia, aut ſtatim atque in Galliam appulit, Benedictinam Regulam ſervandam accepiſſe: aut enim Scoticâ, aut ſui ipſius, aut ſaltem Benedictinâ Regulâ vixit in Gallia; ex his enim quæ ſuprà fuſiùs diſputavimus, & quæ etiam dicturi ſumus capite ſequenti, ſaltem hoc concedendum exiſtimo, S. Columbanum Benedictinam vivendi formam ſecutum fuiſſe, modò conſtet eum nec Scotica, nec ſui ipſius inſtituta ſervaſſe.

At ex ipſius vita manifeſtum evadit, eum nec Scoticam Regulam habuiſſe, nec Scotorum Monachorum vivendi modum tenuiſſe, cùm Scoti Monachi, quique eos imitabantur, uſum vini, ſiceræ, mellis, & lactis prorſus ignorarent, *& potus eis conſtaret ex aqua plurima, & malorum agreſtium ſuccis*, ut ex Landevenecenſibus, & Fuldenſibus Monachis & S. Bonifacio Germanorum Apoſtolo patet; & ex Columbani Regula, paximatius panis,
Cap. 7. & farina aquis mixta eiſdem præberetur in cibum. At Columbanus ejuſque diſcipuli cùm Hyberni, tum Galli

vinum

vinum ſiceramque in potum, piſces cæteraque id generis in cibum habuere, ut ſuprà diximus : quam ob cauſam dicendum reor, nec Columbanum, nec ejus diſcipulos unquam Scoticè in Galliis vixiſſe, neque ſeptimum Columbani Regulæ caput ſervaſſę.

Præterea neque Columbani Regula eis potuit imponi, cùm ipſemet Columbanus per quadraginta annos, aut ampliùs in Burgundia moratus fuerit, antequam propriam ſcriberet Regulam. Nam primò Anagratenſe Monaſterium condidit, Monachoſque tanto numero collegit, ut Luxovienſe Monaſterium ad eos excipiendos fuerit ædificandum. Quo iterum tanta hominum multitudo ad converſionem confluxit, ut, ſicut Jonas habet, *beatus Columbanus cernens undique ad pœnitentiæ medicamenta plebes concurrere, & unius Cænobii ſepta tantam converſantium cohortem abſque difficultate non tenere, quamvis mente una & corde uno, tamen converſationi tantæ multitudinis incongruum. alium experimento locum quærit, quem aquarum irriguitas adornabat, cui Fontanas locum indidit. His ergo in locis* Anagratenſi, Luxovio, & Fontanenſi, *Monachorum plebibus conſtitutis . . . Regulam quam tenerent Spiritu ſancto repletus condidit.*

Tria ergo maxima Monaſteria Columbanus conſtruxit, & numeroſas Monachorum plebes adunavit, antequam Regulam conderet. Ex quo conjici datur eandem Regulam ſcripſiſſe uno aut altero, aut ſaltem paucis annis, antequam ejiceretur ex Gallia : vix enim intra quadraginta quinque annos tanta Monaſteria ſucceſſivè conſtrui, atque Monachis repleri potuere, cùm per duos ac viginti annos ipſemet Columbanus in colligendis Monachis ad Anagratenſem eremum ſecum inhabitandam laboraverit, ut volunt noviſſimi Francorum Annales. *In priori ſolitudine*, inquiunt, *vixit Columbanus annis duobus ac viginti*, donec anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo Luxovium perrexit. Neque enim fas eſt credere breviori tempore Columbanum, reliqua duo, Luxovienſe ſcilicet & Fontanenſe Monaſteria condidiſſe, eaque Monachis tanto numero expleviſſe, ut laudem perennem ab ipſo inſ-

titutam, ſtrenuè pieque peregerint.

Quamobrem cùm S. Columbanus per illos viginti quinque aut circiter annos Monachis præfuerit, ut nec Scoticâ, nec ſui ipſius Regulâ eos fuerit moderatus, quis dubitet eum ab initio ſibi ſuiſque diſcipulis Benedictinam accepiſſe Regulam, & conſtructis demum Monaſteriis ſpecialia eis inſtituta ſub Regulæ nomine tradidiſſe?

His elucidatis ad enumerationem ſtatutorum quæ Benedictinæ Regulæ Columbanus addidit, veniamus. Ipſa eadem eſſe arbitror quæ citato capite de Curſu pſalmorum & pœnitentiali libro, quem Regulam ſtatutorum vocant, contineri diximus, quæque ad Officium divinum celebrandum, & ad errata punienda ſpectant.

Utrumque probatur primò auctoritate S. Eligii, qui in ſuo teſtamento ſpecialiter jubet, ut divinum Officium modo à Columbano præſcripto obſervetur, atque celebretur. *Obteſtor*, inquit, *ut Regulam ſuprà dictorum Patrum quam in ſæpe memorato Monaſterio Luxovienſi tenent, omni cuſtodia teneatis, & ad placandam iram furoris Domini aſſiduè impendatis:* quæ aduſque tempus Orderici Vitalis in omnibus S. Columbani Monaſteriis obſervata fuere, ut ipſe refert. *Ab ipſo ſiquidem Columbano,* inquit, *& formam orationum pro cunctis ordinibus, qui in Eccleſia Dei ſunt, nigredinem veſtium aliaſque obſervationes ſumpſerunt, quas pro religione & honeſtate ipſius tenuerunt, & ſequaces eorum uſque in hodiernum diem.* Lib. 8. hiſt.

Verum eſt equidem Ordericùm credidiſſe S. Columbanum ſua ſola lege ſuaque Regula, non Benedictina vixiſſe, ejuſque ſolummodo diſcipulos Euſtaſium, Agilum, Faronem, Audomarum & Philibertum *ſancti normam ſuſcepiſſe Benedicti*. Sed cùm hæc ipſius opinio ex errore contigerit, eo quòd, ut ipſe refert, Columbanum ſancti Benedicti æqualem fuiſſe, & S. Maurum Columbano mortuo in Galliam acceſſiſſe crediderit; quis dubitet Ordericum, Columbanum æquè ac cæteros ejus diſcipulos S. Benedicti leges ſuſcepiſſe ultro fuiſſe dicturum, ſi S. Columbanum in Gallias ſub extremis S. Mauri diebus, aut certè poſt ejus obitum adveniſſe noviſſet? qui cùm

S. Benedicti Regulam in Columbani, & ipſius diſcipulorum Monaſteriis obſervatam videret, ſtatim intulit Euſtaſium & alios eandem à S. Mauro Regulam ſuſcepiſſe, hoc ipſum de ſancto Columbano illaturus, ſi hoc ſibi per tempus licuiſſe putaſſet, præſertim cùm eadem omnia quæ ex S. Columbani Regula in obſervationem veniunt, in Columbani Monaſteriis unà cum S. Benedicti Regula ſervata viderit.

Per alias autem obſervationes, Ordericum eas intellexiſſe exiſtimo quæ in Pœnitentiali leguntur, ex quo ferè ſolo ſanctus Donatus tamquam ex propriè dicta Regula duodecim capita ſuæ Regulæ attexuit, iis omnibus quæ in ſuperiori Regula continentur omiſſis, excepto ſecundo capitulo, ex quo quadrageſimum nonum ipſius Donati Regulæ caput confectum eſt, additis quibuſdam ex Pœnitentiali, & ex Regula S. Benedicti verbis, ut vim legis, & veræ Regulæ robur obtineret. Cætera verò omnia tam Columbanus, quàm ipſius diſcipuli ab ipſa S. Benedicti Regula quam profeſſi fuerant, mutuati fuere.

SANCTI BENEDICTI LEGIBVS A S. MAVRO aliiſque promulgatis, pleraque alia Galliæ Monaſteria auſcultaſſe, antequam Columbanus Anagratenſem eremum incoleret.

CAPUT XIV.

OMNIBUS Columbani Monaſteriis ab anno quingenteſimo ſexageſimo octavo, quo Anagratenſis Monaſterii initia ſecundo Annalium tomo locata fuere, Benedictinorum Ordini aſſertis atque vendicatis, nulla, ut ſpero, per eadem tempora ab eodem Ordine Monaſteria ſejungent adverſarii noſtri, cùm iiſdem ut plurimum argumentis omnia quæ tunc extabant Monaſteria ejuſdem Ordinis fuiſſe, & eamdem ſanctam ſanctorumque Patrum Regulam coluiſſe cumulatè probaverim, quod probationis genus ad anteriora tempora extendi debet. Non enim ſanctorum Patrum Regulam, aut Regulam

ſanctam Columbanus in Cœnobia Gallica primus invexit, ſed eamdem jam à multo tempore inductam reperit, ut ſuprà notavimus ex Audoëno, qui omnes Monachos Columbano anteriores eidem Regulæ deditos ſcribit. Quamobrem cum S. Odilone nobis interim dicendum, & generaliter aſſerendum, quòd *poſt tranſitum piiſſimi Patris Benedicti, per B. Maurum omnis pene Gallia ejus inſtitutionis & Religionis ſuſcepit exordium.* Nullos enim ab eo tempore Monachos novimus, qui Benedictinâ doctrinâ non fuerint inſtituti ; nec alios fuiſſe concedemus, niſi certis argumentis nobis alios fuiſſe manifeſtum fecerint, aliaſque Regulas fuiſſe probaverint, quæ à Gallis Monachis fuerint obſervatæ.

In vita S. Maïoli in Biblioth. Cluniac. c. 281.

Cur verò omnem pene Galliam, non omnem prorſus Galliam S. Benedicti inſtitutionis exordia ſuſcepiſſe dixerit, nemini mirum videri debet ; hac enim exceptione ac limitatione pauca quædam Monaſteria Gallica quæ intra limites provinciarum Ariana hæreſi infectarum extabant, aut certis quibuſdam ritibus ab Eccleſia Romana diſſidebant, à Benedictinæ Regulæ prompta ſuſceptione excluſa voluit, ut optimè notat Menardus noſter.

In Martyrologium Bened. pag. 933.

Cùm verò cætera Cœnobia, tum quę à ſancti Mauri in Gallias adventu erecta fuere ; tum etiam quæ ab antiquis temporibus fuerant ędificata, Benedictina videamus : quis priora ſemper Benedictina ; poſteriora verò ab eodem ſancti Mauri in Franciam acceſſu Benedictinis inſtitutis addicta negare poteſt ? cùm id doceat ſancti Odonis auctoritas, id contigiſſe ſupponat Audoënus, & omnia quæ ad celerem cujuſcumque Regulæ ſuſceptionem conducere poſſunt, Benedictinæ Regulæ conveniant ? Videlicet ejuſdem Regulæ excellentia & neceſſitas ; auctoris ipſius Regulę ſanctitas, miracula, celebre nomen, diſcipulorum eximiæ virtutes, Principum favor, eorumque in eandem Regulam, & ejus alumnos ſingulare ſtudium, de quibus ſi ſingillatim loqui neceſſe eſſet, quis dicendi finis ? Quapropter in his probandis nullatenus immorabor ; ſancti enim Benedicti ſanctique Mauri, ipſius diſcipuli merita nemini ignota videntur, Regulæ

verò excellentiam iis laudibus efferunt Concilia, ſummi Pontifices, Reges, atque Doctores, quibus nulla hactenus decorata fuit. Cujus ſpeciale æternumque præconium commendatioque ejuſdem Regulæ verſioni Gallicæ præfixa videri poteſt.

Sciunt etiam qui vitam S. Mauri per Fauſtum compoſitam legêre, quanto ſtudio quantàque benevolentiâ S. Maurum ſanctique Benedicti Regulam Theodebertus & Clotarius Galliarum Reges complexi fuerint. *Deprecare illos*, S. Maurum & ſocios ejus, inquit Theodebertus Rex Florum alloquens, *ut pro nobis ac liberis noſtris populoque totius regni à Deo nobis collati, ipſius aſſiduè implorare dignentur miſericordiam : paratiſſimos enim nos atque promptiſſimos in omni ſuo invenient obſequio, ſi formam hujus religionis ita ab eis obſervari compererimus, ſicut jam fama vulgante ab eorum Magiſtro arduè ſatis eam traditam audivimus, nec noſtra juxta voluntatem, & conſilium tuum regia loco illi deerit largitas.* Et inferiùs : *Tunc B. Maurum petiit, ut Fratres eum in ſuam recipere dignarentur ſocietatem, & nomen ejus inter ſua ſcribere nomina, & filium Theodebaldum ſancto viro, ac Fratribus commendabat attentiùs, præcipiens ipſi, ut ſemper devotus erga locum illum eſſet, ac in omnibus ſanctæ illi congregationi adjutor ac defenſor exiſteret.*

Fauſtus in actis ſancti Mauri n. 4. Sæc. 1. Bened.

num. 51.

Clotarius verò *auditâ famâ beati Mauri, frequenter eum ad ſe evocans, ejus ſapientiſſimis utebatur conſiliis.* Quæ cùm ita ſe habeant, non modò mirum non erit ſi dixerimus, ſub illis Principibus mirè propagatam Benedictinam Regulam, ſed mirum valde id aliquos tantopere denegare. Quis enim non ſibi facilè perſuadeat, S. Maurum Regum familiaritate, amicitia & veneratione, qua eum proſequebantur, feliciter uſum, in Ordinem propagandum totum incubuiſſe ; neque Theodebertum, neque Clotarium qui inter ejus alumnos numerari volebant, ejuſque conſilia ſæpius exquirebant & ſequebantur, omiſsâ primariâ Eccleſiæ Romanæ Monachorum Regulâ, ipſoque S. Mauro relicto, alios Monachos aliaſque Græcas aut Syriacas Regulas ad informanda nova Monaſteria,

num. 60.

cùm à ſe, tum ab aliis ædificata, exquirendas voluiſſe? quis enim hæc capiat? Præterea quos progreſſus non fecere minoribus auxiliis Ordines quidam poſteriores, cùm antiquiores, tum recentiores? quorum exempla recenſebit aliquando R. P. le Cointe in Annalium poſterioribus tomis, à quibus enumerandis abſtineo, ne odioſa comparatione gloriam ipſis debitam auferre videar.

Vita S. Iun. num. 10. Sæculo primo Bened.

Sanctus Junianus primus inter eos numeratur, qui uno aut altero anno à S. Mauri in Gallias adventu Benedictina mandata exequuti fuere. Clotario namque reſpondit, (ut refert Vulfinus Boëtius Epiſcopus Pictavienſis, qui acta S. Juniani Ludovici Pii temporibus deſcripſit) *ſe ſub monaſtico Ordine vitam degere, & Monachis prælatum, & beatiſſimi Benedicti inſtituta ſervare, regularem ejus vitam in omnibus obſervare.* Quem adeo imitati fuere qui poſtea Monaſteria condiderunt, aut antea condita rexerunt, ut ad annum quingenteſimum ſexcenteſimum octavum, ſeu ſub adventum S. Columbani pauca illa Monaſteria, quæ in Galliis erant, eamdem Regulam profiterentur, ut ex Audoëno jam multoties ſuprà notavimus.

Annalium auctor quò faciliùs ullam Benedictinorum propagationem ante annum ſexcenteſimum quartum contigiſſe deneget, Vulfinum Boëtium ultro laceſſit, & probro, ut ita dicam, inſimulat, quòd Junianum inter B. Benedicti diſcipulos memoraverit. *Boëtius Vulfinus*, inquit, *B. Iunianum, cujus vitam ſcribebat, facilè finxit Monachum Benedictinum, qui opus ſuum Godoleno tranſmiſſurus erat Abbati Monaſterii Novaliacenſis, in quo S. Benedicti Regula tunc vigebat.* Cùm primò hujus opinionis commentum in Annalibus adverti, diutius attonitus hæſi, miratus quî fieri potuerit, ut vir eruditus & pius tam levibus argumentis, nullo auctore, antiquum auctorem epiſcopali dignitate fulgentem, gratuiti mendacii auſus fuerit arguere. *Facilè finxit*, inquit, *Monachum Benedictinum*, id eſt, nimia facilitate mentitus, Junianum Monachum Benedictinum exhibuit. Sed quæ ad ſuam opinionem probandam excogitavit argumenta videamus.

Primo Annal. tom. ad ann. 559. num. 12.

Tunc, inquit, *& Radegundis erexit Monaſterium puellarum, in quo Regulam ſancti Cæſarii voluit obſervari, nulla S. Benedicti mentione facta; quam ſanè non omiſiſſet, ſi Iunianus, qui ſpiritualis ejus Pater agnoſcitur; familiæ Benedictinæ ſe addixiſſet.* Quantos, ut ad hominem loquar, videmus Monialium directores Patreſque ſpirituales, qui eas ad alienæ, & ab ea quam profitentur diverſæ Regulæ praxim adigunt? Quis, exempli causâ, Patrum Oratorii, aut Societatis Jesu Moniales unquam adduxit, ut eorumdem Patrum Regulas aſſumerent eaſque ſervarent? Eminentiſſimus Cardinalis Berullus Carmelitanas Moniales in Gallias evocavit, fovit, totâque vitâ continuò rexit: R.[r] Pater Joſeph Pariſinus, Capucinus, Calvariam benedictinarum Congregationem erexit, legibus munivit atque direxit, & ut à Francorum Annaliſta aliquid deſumam, S. Donatus Biſuntinus Epiſcopus, qui ſolam (ex eodem R. Patre) Columbani Regulam obſervandam voverat, aliam Regulam Monialibus condidit, in quâ vix aliquod Columbani Regulæ veſtigium apparet. Quæ dicta volo, ut manifeſtum evadat, Benedictinos in ſuo Martyrologio Junianum ponere, & retinere potuiſſe, licèt Radegundem jiſdem tabulis non inſcriberent, nullaque neceſſitate eam inter Benedictinas numeraſſe. Meminerit etiam S. Cæſarii Regulam à Juſſano Monaſterio Benedictinam nullatenus excluſiſſe, nec excludendam pariter ab Aſceterio Pictavienſi, niſi ipſe id contigiſſe novis firmiſque rationibus probaverit. Ibid.

Aliud inane quod jecit fundamentum opinionis ſuæ his verbis idem auctor poſuit: *Anachoreſim profitebatur, cùm Radegundis Pictavium pervenit, & ab illis tunc conſulebatur qui Monaſticen ediſcere cupiebant. Egreſſus eſt è cellula ut conſtrueret Cœnobium, ac multis præeſſet diſcipulis; non autem ut proficiſceretur Glannafolium, unde normam Benedictinam in agrum Pictavienſem afferret.* Fateor me nihil hîc habere quòd reſpondeam: nam ſi hujuſcemodi aſſertionibus mendaces aſſeruntur Epiſcopi, & adulatores probantur, nullus impoſterum auctor quantumlibet clarus adulationis mendaciique vitio non laborabit: utrumque Ibid.

enim in quemlibet auctorem impingere erit facillimum, quod ipſemet Annalium auctor ſuo ipſius experimento mox deprehendet.

Qua namque ratione conqueri poterit, ſi dixero eum ut Criticis quibuſdam placeret, quibus ut plurimùm ſcribit, S. Leobardum S. Columbani diſcipulum finxiſſe, & ex Benedictinorum albo eraſiſſe, cùm aliquid commercii, aut familiaritatis inter Leobardum & Columbanum, aut ipſius diſcipulos interceſſiſſe probare non poſſit. *Sanè Leobardus*, inquit, *ut hæc temporum ratio docet, in monaſticis diſciplinis uſus eſt Magiſtro, non quidem S. Benedicto, qui pridem in Italia deceſſerat, ſed Columbano, qui cum ſociis in loco cui nomen Anagrates, in Voſago monte à multis annis degebat, & Cellam circa hunc annum quingenteſimum octuageſimum ſextum condidit.* Probet ergo Leobardum in S. Columbani familiaritatem veniſſe, aut ſaltem eum inviſiſſe, antequam concludat eum fuiſſe Columbani diſcipulum. Quod difficillimè aut nullo modo exequetur, ſi vera ſit R. Patris D. Joannis Mabillon opinio, qua S. Columbanum anno tantùm quingenteſimo nonageſimo in Gallias adveniſſe tenet, multiſque probat: hoc enim poſito non ſolùm S. Leobardus S. Columbanum non adiit ut Monaſticem ediſceret, ſed nec adire potuit, cùm anno quingenteſimo octuageſimo ſexto nondum Columbanus Anagratenſem eremum incoleret, ſed in Monaſterio Benchor ſub obedientiæ jugo vitam ageret monaſticam, Leobardus verò Cellam eodem anno ædificaret. Eodem modo eodemque jure affirmare poſſum Annaliſtam iterum finxiſſe S. Rodingum in Bellilocenſe, ſanctumque Vvandelinum in Theologienſe Monaſterium Agaunenſium invexiſſe Regulam. Cùm enim nullo modo probet ſanctum Vvandelinum Theologienſem, & Rodingum Bellilocenſem Abbates, Agaunenſes Monachos adiiſſe, ut Agaunenſium normam in Theologienſem, aut Bellilocenſem agrum afferrent, gratis eoſdem SS. Patres Vvandelinum, & Rodingum Agaunenſium Regulam ſervaſſe finxit, quod ex ejus principiis clarè, ut mihi videtur, deduco.

tom. 2. ann. ad ann. 586. n. 42.

Videamus

Videamus tamen quibus rationibus ſuam opinionem de Sanctis Vvandelino & Rodingo fulciat. Retulerat Menardus noſter ex antiquo vitæ S. Rodingi codice, eum in Bellilocenſi Monaſterio Regulam S. Benedicti, quam in Cœnobio Theologienſi didicerat, ſervari voluiſſe, quam aſſertionem ſeu potiùs relationem ſic refutat: *At cùm Regula*, inquit, *quam Rodingus in Cœnobio Bellilocenſi cuſtodiendam præcepit, nec alia cenſenda ſit ab ea, quam priùs in Monaſterio Theologienſi didicerat; ut Monachis Theologienſibus, ſic & Bellilocenſibus normam Agaunenſium præſcriptam exiſtimamus. Huic opinioni non parum favet primarium Templum, ut apud Agaunum, ſic etiam apud Tabuleium, & apud Bellum-locum Deo in honorem S. Mauritii ſociorumque Martyrum dedicatum.* Et alibi: *Nullum in antiquis hiſtoriis occurrit argumentum, quo nixus Ordini Benedictino Abbates Tabuleïenſes adſcribas; immò cùm B. Vandelinus Tabuleïenſe Monaſterium in honorem Sancti Mauritii conſtruxerit, Agaunenſium Monachorum normam ſecutus videtur.*

3. Annaliū tom. ad ann. 642. n. 45.

tom. 2. ann. ad ann. 651. n. 13.

Quàm varia, quàm nova ratiocinandi, refellendi & ſtatuendi genera novus Annalium conditor invenit, ut novas quas etiam adinvenit opiniones poſteritati conſignet! Antiqui auctores, graves, ætate, antiquitate & dignitate reverendi; veteres etiam, annoſi & antiquiſſimis characteribus notati codices, nihil omnino Benedictinis Monachis proſunt ad firmandam à Patribus ſuis acceptam traditionem de Regula in unoquoque Monaſterio ab initio ſervata; & ſatis erit adverſario noſtro ad contrariam inducendam opinionem, ſi à ſimili templorum denominatione, quaſi demonſtratione quadam, diverſorum Monaſteriorum Monachos ejuſdem Inſtituti fuiſſe probaverit. *Cùm B. Vandelinus Tabuleïenſe Monaſterium in honorem S. Mauritii conſtruxerit, Agaunenſium Monachorum normam ſecutus videtur.* Quâ viâ ſi ulteriùs proceſſerit, nihil ipſi erit probatu difficile: nullius enim veritatis fundamentum non prorſus evellet, ſi præconceptis opinionibus obeſſe videatur. Sed fortè plus ipſi, quàm putat, ejus ratiocinandi methodus oberit.

Eadem facilitate, iiſdem argumentis quibus ſuprà R. Patrem uſum vidimus, omnia Monaſteria quæ ab anno quingenteſimo quinquageſimo ſunt ædificata, quorum primaria templa S. Petro dicata fuere, Benedictinis annumeranda probabo, cùm Glannafolienſis Cœnobii primarium templum S. Petri nomen referat. *Major Eccleſia*, inquit Fauſtus in vita S. Mauri, *in quam Fratres tam ad diurnum, quàm ad nocturnum conveniebant Officium, conſecrata eſt in honorem S. Petri Apoſtolorum principis.* Qua ratione Monaſteria Luxovienſe, Cabilonenſe, Corbeïenſe, Gemmeticenſe, pleraque alia Benedictinis annumerabuntur. Sed in his argumentandis næniis diutius immorari non licet.

Sæc. 1. Bened. vita num. 42.

Quærerem tamen, undenam conjiciat S. Junianum Glannafolium nunquam adiiſſe? niſi ex eo quòd Vulfinus Boëtius, qui ſolus Juniani acta poſteritati mandavit, de hac profectione non eſt loquutus. Quaſi verò ſingulas Juniani actiones Boëtius ſcripſerit. Eadem ratione concludere poteſt, nullam Regulam profeſſum eſſe Junianum, nullumque Monaſticem docuiſſe, cùm nullum locum adiiſſe referatur, unde qualemcumque Regulam in agrum Pictavienſem inferret.

Cæterùm, ut dixi, Vulfinus Boëtius non ſingulas Juniani actiones, ſed acta tantummodò miraculoſa deſcribenda ſuſcepit, ut videre eſt in ipſius vitæ prologo. *Quia*, inquit, *tua me ſanctitas, Abba Godolene, cogit ut tibi inſignia miraculorum geſta tanti viri quapoſſim oratione ſcriptitando explicem.* Quod & aliis ſcriptoribus contigit, qui maximam partem eorum quæ Sancti fecêre ſilentio prætermittunt, ut miracula narrent. Quod plerique illius ætatis auctores imitati fuere, ex quorum ſilentio nulla proinde veritas erui poteſt; multoque minùs ex eodem ſilentio in iis quæ conceptis verbis referunt, falſitatis poſſunt argui. Secundò, reſponderi poteſt, Benedicti Regulam Junianum didiciſſe eo ipſo tempore, quo Monaſticem fuit profeſſus, tunc videlicet cùm ex eodem auctore primò adolevit. *Cùm ex pueritia in adoleſcentiam tranſiiſſet*, inquit, *comam ex cultu Religionis depoſuit.* Si ergo quæratur ubi Benedictinam Regulam didicit, reſ-

1. Sæcul. Benedict. p. 307.

pondendum eodem loci id contigiſſe, ubi ipſam Junianus comam capitis depoſuiſſe refertur.

Neque ſibi quiſquam jure perſuadere poteſt, omnes omnino Monachos Gallos à ſolo Mauro Regulam ſumpſiſſe, licèt eoſdem ut plurimùm ſanctus ille Benedicti diſcipulus docuerit. Reperiuntur namque alii qui eamdem Regulam ex Italia in Gallias detulerunt; quos inter numeratur S. Martinus Vertavenſis Abbas, qui, ut vult ipſius vitæ auctor, *Monaſterium inſtituit quod Vertavum dicitur, in quo turmam Chriſti militantium aggregans, ipſe quoque cum eis regulari lineæ morum ſe ſubdidit; quam Regulam priorum Patrum decretis inſtitutam à Tranſalpinis ferunt regionibus ab ipſo delatam.* Regula namque quæ priorum Patrum decretis fuit inſtituta, ipſiſſima eſt S. Benedicti Regula, cùm alter Benedictus dicat, *S. Benedictum ſuam à cæteris ſumpſiſſe Regulam, & veluti manipulis, unum ſtrenuè contraxiſſe manipulum; quamque*, ut ſancta Hildegardis refert, *idem Monachorum inſtitutor è Sanctorum vitis Spiritu ſancto docente & oſtendente condidit.* Nec aliquid obeſt ſi dixerint, aut objecerint eruditiſſimi viri, tunc in Italia plures fuiſſe Regulas, niſi & hoc ipſum veritate niti docuerint, & inſuper oſtenderint aliam à Benedictina Regula diſtinctam viguiſſe, quæ priorum Patrum decretis fuerit inſtituta.

Sæc primo Bened. p. 373. & 374.

tom. 2 ann. ad ann. 565. n. 12. & 13.

In præfat. concord. Regul.

SANCTI BENEDICTI REGULA GALLIS Monachis nota, antequam S. Maurus ad eos accederet.

CAPUT XV.

ETIAMSI docti reperiantur auctores, qui quoſdam Sanctos, qui in Galliis paulò ante, aut circa Sancti Mauri adventum obiere, in Benedictinorum numerum adſcribant, quique proinde exiſtimaſſe videntur, Gallorum aliquos Benedictina inſtituta ſervaſſe antequam Glannafolium conderetur, aut ſanctus Maurus Benidictinam Regulam in Galliam afferret: attamen, ne jam à pluribus

præconceptæ opinioni, quâ contrarium opinantur, adverſari, aut aliquid quod non ſit manifeſtè compertum proferre videar; in eam ſententiam ibo, quæ & veritatem demonſtret, & à nulla earum opinionum multùm recedat. Etenim certum habeo repertos Abbates, qui ante annum ſexcenteſimum quadrageſimum tertium quædam Benedictinæ Regulæ capita, cùm primùm innotuit, deſumpſerunt; alios verò plura, tum deinceps maximam Regulæ partem à pluribus aſſumptam.

Non enim mihi etiam ipſi hactenus perſuaſi, priuſquam S. Maurus Regulam propagaturus accederet, aut etiam ſtatim atque Glannafolium inhabitavit, totas ad unguem, aut integrè à Monachis Gallis Benedicti leges ſervatas eſſe. Hoc enim pedetentim contigiſſe puto. Nam ſi à Benedicto Indenſi aliqua Regulæ præcepta immutata fuere, plura à Clemente quinto ſummo Pontifice in quorumdam Monachorum gratiam modificata, quædam etiam à piiſſimis & ſanctiſſimis Congregationibus omiſſa, aut parumper inflexa; minimè mirum videri debet, ſi Monachorum aliqui, etiam poſt S. Mauri in Gallias adventum, quædam anteriorum Patrum præcepta ſervaverint: neque enim, exempli causâ, totam jejuniorum ſeriem à S. Benedicto præſcriptam & imperatam ſingula Monaſteria mox ſuſcepere, ſed antiquam tenuere jejuniorum conſuetudinem ad annum uſque quingenteſimum ſexageſimum ſeptimum. Quod approbare videntur Concilii Turonici Patres, cùm ſtatuunt, *ut de jejuniis antiqua à Monachis inſtituta ſerventur*: quæ procul dubio à multis retineri videbant; ab aliis verò ob introductam Benedicti Regulam immutari. Quænam enim neceſſitas jubendi & ſtatuendi ut ſerventur inſtituta Majorum, ſi nulla immutatione prætermiſſa fuiſſent?

Per Concilium ergo licuit jejuniorum priſtinum morem iterum ſequi; jure tamen communi, quo ad meliora progredi fuit ſemper licitum, præcepta à B. Benedicto jejunia quælibet Monaſteria nullo Concilii contemptu aut offenſione obſervare potuerunt; cùm id egerint Patres, ut liceret inſtituta à prioribus Monachis jeju-

nia ſervare : nullus enim dixerit eos adſtringere voluiſſe Glannafolienſes, aut alios ejuſdem inſtituti Monachos, ut omiſsâ S. Benedicti Regulâ alienis præceptis inhærerent, quod à ratione fuiſſet alienum. Antequam tamen hujuſcemodi inſtituti ſuſceptionem exhibeam, explicandum mihi videtur, qua ratione Galli cæterique per Europam Monachi tam faciles ad eam recipiendam fuere.

Quamobrem ſummopere eſt obſervandum, nunquam opportuniori tempore Benedictinam Regulam ad ſui diffuſionem condi vel promulgari potuiſſe. Cùm enim eam S. Benedictus edidit, nulla dabatur Latina Regula quæ obſervari poſſet, & Græcæ ſeu Orientales quæcumque circumferebantur Regulæ, adeo erant alienæ ab Occidentalium populorum inſtitutis, ut nullibi earum jugum diu ferri potuerit. Quam ob cauſam S. Eugendum ſuis diſcipulis Orientalium Patrum Regulas nullatenus impoſuiſſe ipſius vitæ anonymus ſcriptor aſſerit. *Quia ſermo attulit*, inquit, *ut de inſtitutione Patrum per mutationem B. Eugendi aliqua tangeremus juxta promiſſum . . . abrenuntiantium exordia primitus intimamus. Sic namque quòd non illa omnino quæ quondam ſanctus ac præcipuus Baſilius Cappadociæ urbis Antiſtes, vel ea quæ ſanctorum Lirinenſium Patres, ſanctus quoque Pachemius Syrorum priſcus Abbas, ſive illa quæ recentior venerabilis edidit Caſſianus, faſtidioſa præſumptione calcemus : ſed ea quotidie lectitantes, iſta pro qualitate loci & inſtantia laboris invicta, potiùs quàm Orientalium perficere affectamus, quia procul dubio efficacius hæc, faciliuſque natura vel infirmitas exequitur Gallicana.* *Seculo primo Bened. p. 575. & 576.*

Non ergo Orientalium Regulæ, ſed S. Eugendi exempla ipſius diſcipulis pro legibus erant. Qua in re imitati ſunt Majoris Monaſterii Monachos, qui, ut ait Severus Sulpitius, *ad exemplar B. Martini inſtituebantur*, nulla lege ſcripta viventes. *Lib. de vita B. Martini.*

Hinc apparet quàm doctè quamque ſapienter Carolus Magnus legem tulerit, ut inquireretur, *quâ Regulâ vixiſſent Monachi in Gallia, priuſquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuiſſet :* nulla enim tunc temporis dabatur, aut admittebatur Regula, qua omnia, aut ſaltem Mo- *Breve cap.*

naſteriorum Galliæ pars aliqua teneretur. Cumque nihil reſponſi circa hanc quam propoſuerat quæſtionem Carolus acceperit, inde colligi poteſt neminem demonſtrare potuiſſe, ullam Regulam antequam Benedictina Gallis innoteſceret, in aliqua Galliarum parte, Monachis communiter præſcriptam fuiſſe; licèt fortè ſingulare aliquod Monaſterium, quale Reomaenſe, dari potuerit, quod aliquam ex Orientalibus Regulam pluribus aliis inſtitutis adjunctam, aut ex toto, aut ex parte ſervaverit aliquando.

Hæc omnia confirmari poſſunt ex Caſſiano, à quo diſcimus ſingula quæque Monaſteria propriis vixiſſe legibus. *Tot*, inquit, *propemodum typos ac Regulas vidimus uſurpatas, quot etiam Monaſteria Cellaſque conſpeximus.* Nam unumquodque, ut dixi, ſpecialibus inſtitutis pro voluntate renunciantium, aut imperantium mutandis, aut abrogandis regebatur. Hac enim in re Caſſianus Ægyptios à cæterarum gentium Monachis ſecrevit, quòd eorum inſtituta immobilia ſemper & eodem modo ſervanda manerent, aliorum verò pro libitu variarentur ac mutarentur. *Itaque*, inquit, *per univerſam Ægyptum, & Thebaidem, ubi Monaſteria non pro uniuſcujuſque renunciantis inſtituuntur arbitrio, ſed per ſucceſſiones & traditiones Majorum uſque in hodiernum diem vel permanent, vel manſura fundantur .·.·. ideoque diverſitates typorum ac Regularum per cæteras provincias cernimus uſurpatas, quòd plerumque Seniorum inſtitutionis expertes*, &c.

Lib. 2. Inſtitut. cap. 2.

In Europa ergo mutato, aut decedente uniuſcujuſque Monaſterii Patre aut Abbate Regula plerumque immutabatur, adeo ut incertæ neque eodem modo ſemper manſuræ imperarentur vivendi leges, quæ facillimè pro imperantium nutu immutari poterant. *Experientiâ compertum eſt*, inquit B. Fundanenſis Abbas in Epiſtola ad Simplicianum Abbatem S. Benedicti ſucceſſorem, *multorum rectorum mores varias vivendi normas in Monaſteriis peperiſſe.* Hinc, ut opinor, contigit ut ſtatim atque S. Benedicti vivendi norma innotuit, certatim Italiæ, tum cæterarum gentium Monachi eidem ſervandæ ſe dederint,

Apud Angel. de Nuce in Chron. Caſſinenſe.

quo citiùs à crebris illis noxiiſque mutationibus ſe liberarent, ut ipſemet Fundanenſis Abbas obſervat eodem loci. *Hinc factum eſt*, inquit, *ut eam omnia Monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ & aliarum provinciarum Italiæ, certam & rectam Regulam vivendi, quam ſanctiſſimus & Deo acceptus Benedictus Magiſter tuus inſtituit, ſervare decreverunt.* Quo nihil clarius ad propoſitum afferri poteſt. *Ibid.*

Libentiſſimè tamen concedam, multa ex Orientalium Patrum Regulis excerpta cùm privatim, tùm communiter à Gallis Monachis uſurpata fuiſſe; & ex iis prodiiſſe cellularum diſtinctionem & ab invicem ſeparationem. Quem uſum ab Ægyptiis Monachis noſtrates mutuati fuere, ut S. Eucherius ad S. Hilarium ſcribit. *Hæc nunc* (Lirinenſis inſula) *habet*, inquit, *ſanctos ſenes illos, qui diviſis Cellulis Ægyptios Patres Galliis noſtris intulerunt.* Et hoc erat alterum Monaſteriorum incommodum, cùm Anachoreſis ſit obſervatu difficillima, & pauciſſimi ad eam colendam idonei reperiantur. Quapropter ut utraque vivendi difficultate ſuos diſcipulos S. Eugendus levaret, primus omnium, ut quidem mihi videtur, mox ut S. Benedicti Regula prodiit in lucem, ex eadem multa deſumpſit, quæ diſcipulis ſervanda traderet. *Tract. de laude eremi ſeu de fuga ſæculi.*

Iſte namque, inquit Scriptor Anonymus in ejus vita, *refutato Archimandritarum more, utiliùs omnes univit in medium: deſtructis namque manſionum ædiculis, uno cunctos ſicut Xenodochio quieſcere fecit, ut quos causâ unitæ refectionis claudebat ædicula, diſcretiſque lectulis una ambiret & manſio, cui lumen diei ſicut in oratório indeficiens noctibus præbebatur.* Quæ regularis vitæque communis ſpecialis ratio à S. Benedicto præſcripta fuit, cùm ante ipſum non eſſet in uſu, nec ab aliquo Monachorum Legiſlatore conſtituta. *Singuli*, inquit S. Benedictus, *per ſingulos lectos dormiant, lectiſternia pro modo converſationis ſecundùm diſpoſitionem Abbatis ſui ſinguli accipiant: ſi poteſt fieri omnes in uno loco dormiant: ſin autem multitudo non ſinit, deni aut viceni cum Senioribus ſuis, qui ſuper eos ſolliciti ſint, pauſent. Candela jugiter in eadem Cella ardeat uſq; mane.* *Vita S. Eugendi n. 21. Sæc. 1. Ben. p. 573.* *Cap. 22. Reg.*

Alios fuiſſe Monachorum Rectores, qui ex Benedictina Regula plura ad obſervandum deſumpſerint, ex ipſius vitæ Auctore colligere poſſumus. Sanctum enim Eugendum laudat, quòd menſa Monachorum contentus, victum ſibi extra Refectorium commune offerri noluerit, licet aliter ſe gererent cæteri Monachorum Præpoſiti. *Iſte*, inquit, *Abbas ſanctus menſulam ſuam, ut quoſdam facere nuper audivi, nec victum unquam exceptavit à Fratribus.* Quæ de ſola menſa in eodem refectorio à cæteris ſeparata intelligi non poſſunt, ſed de propria Abbatum vivendi ratione per ſolam Benedictinam Regulam in Cap.56.Reg. uſum inducta. *Menſa Abbatis*, inquit S. Benedictus, *cum* Cap. 53. *hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper.* Et alibi : *Coquina Abbatis & hoſpitum per ſe ſit, ut incertis horis ſupervenientes hoſpites, qui numquam deſunt Monaſterio, non inquietent Fratres.* Ex quo conficitur, multos Abbates ad exemplum B. Benedicti victum à Fratribus exceptaſſe.

Procedente verò tempore Monaſterium Romanum, ſeu S. Eugendi adeo Benedictinis legibus addictum, adeoque iis ſervandis deditum fuit, ut S. Vvandregiſilus illud præ cæteris Galliarum Columbanique Monaſteriis elegerit, ubi Monaſticem addiſceret, ad quod peragendum ex obſervato Benedictinæ Regulæ capite de hoſpitibus Sæc. 2. Ben. p. 529. n. 10. ſuſcipiendis fuit impulſus. *Cùm autem pergeret* (S. Vvandregiſilus) inquit ipſius vitæ auctor, *per Monaſterium quod eſt conſtructum ultra Iurenſes partes, cognomento Romanum, petiit ibidem hoſpitium. Qui ipſe Abbas eum cum ſumma diligentia recepit. Vbi cùm juxta moris conſuetudinem* (ex Regula namque Benedictina hoſpitum pedes tam Abbas quàm cuncta Congregatio lavare debet) *mandatum Domini adimplentes ad lavandum pedes veniſſent; cognovit ipſe Sanctus quòd ibi erat illa via arcta, quam ille per deſiderium Chriſti volebat ſectari.*

Sancto Eugendo per ætatem licuit S. Benedicti Regulam legere & obſervare ; quartus namque poſt S. Romanum Condateſcenſe Monaſterium rexit. Hujuſce Monaſterii primus Abbas fuit S. Romanus, ſecundus S. Lupicinus, tertius benedictus ille deceſſor, Nemauſus nomine

mine, *quo ad Chriſtum migrato volens nolenſque S. Eugendus adminiſtrationem ſubterfugere non potuit ſubarratam:* anno ſcilicet quingenteſimo ſeptimo, quo prædeceſſor ejus diem clauſit extremum. *In vita S. Eugendi Sæc. 1. Ben. p. 572. n 10.*

Quantum autem temporis præfuerit, facilè dignoſcere poſſumus. Nam ſeptennis S. Romano fuit oblatus, tunc videlicet cùm tam ipſe Romanus quàm Lupicinus ejus frater exceſſiſſent è vita; dicuntur namque prædicti Sancti ſanctum Eugendum in viſu è paterna domo ad monaſticam vitam amplectendam evocaſſe. *In viſione,* inquit vitæ ipſius auctor, *puer ſanctus à duobus Religioſis,* ſanctis ſcilicet Romano & Lupicino, *extra domus paternæ veſtibulum ſiſtitur. Excuſſus à ſomno ac viſionis terrore perculſus rem geſtam illico refert Patri; confeſtim namque Presbyter ſanctus, cui potiſſimùm proles dicari deberet, agnovit. Mox igitur eum litterarum inſtruit elementis, & anni exacto circulo, tamquam Samuel quondam, non in typico excubaturus templo, ſed ipſe potiùs Chriſti efficiendus templum, S. Romano oblatus eſt Patri, in quo verè ita beatorum Abbatum, qui eum in ſpiritu de incolatu terreſtri eduxerant, gratiarum gemina confluxit ubertas.* *Ibid. p. 571. nn. 3. & 4.*

At S. Lupicinus circa annum quadringenteſimum octuageſimum objiſſe dicitur, quapropter circa eadem tempora S. Eugendus ortum habuiſſe, & conſequenter ad annum quadrageſimum ſupra quingenteſimum perveniſſe, & triginta tribus annis præfuiſſe dicendus erit, cùm ſexagenario major animam exhalaverit, ut habetur ibidem numero 25.

Sancti Eugendi diſcipulorumque ejus agendi rationem quâ primò quædam S. Benedicti inſtituta anterioribus adjunxere, tum multò plura, deinde omnia aliis omnibus omiſſis ſuſcepere ſervanda, quamplures imitati fuere: quod tanto faciliùs fuerunt executi, quanto frequentiùs diverſorum Patrum ſpecialia inſtituta ad ſuorum Monachorum directionem gubernationemque vnà ſimul ſervare ſolebant: quem agendi vivendique morem adeo te-

nuerunt, ut eo ipſo tempore quo Benedictinæ leges per S. Maurum Gallis innotuere, quidam reperti fuerint Abbates, qui ex omnibus Regulis ſtatuta ad ſui ſuorumque
Cap. 29. inſtitutionem deſumerent, quod in S. Aredio Gregorius Turonenſis contigiſſe refert. *Cœnobium fundavit*, inquit, *in quo non modo Caſſiani, verumetiam Baſilii & reliquorum Abbatum qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur Regulæ*, à quibus Benedictina ſejungi non debet, cùm S. Benedictus ab iis Abbatibus qui monaſterialem vitam inſtituerunt, ſeparari non poſſit. Hinc etiam procliviores fuere quidam alii ad Cæſarii Columbanique Regulas, cum Benedictina jungendas, ut dictum eſt ſuprà; ſed tandem, ut ſuperiùs etiam notavi, in his omnibus Monaſteriis, cæteris abrogatis Regulis, ſolum S. Benedicti inſtitutum ad noſtram ætatem permanſit.

NVLLVM MONACHORVM ORDINEM A Benedictino diverſum ad Ludovici pii tempora in Galliis viguiſſe, generali concluſione probatur.

CAPUT XVI. ET ULTIMUM.

HAC tota diſſertatione probaſſe mihi videor, antiqua illa quæ ſuperſunt Monaſteria, quæque aut ante S. Benedicti ætatem, aut ſaltem poſt S. Mauri in Gallias acceſſum conſtructa fuere, à prima ſui inſtitutione Benedicti legibus addicta, aut ſaltem ab incertis dubiiſque vivendi inſtitutis ad certam fixamque acceſſiſſe Benedicti Regulam, qua vitam monaſticam à prioribus Patribus inſtitutam mirabiliter temperarent. Sed hoc ipſum iterum generali quodam & univerſali, duplicique, ut ita dicam, argumento iterum confirmare venit in mentem, quorum primum à proprio Monachorum ingenio, ſpecialique eorum propenſione ad retinendam ſervandamque eamdem Regulam quam profeſſi fuere deſumitur. Secundum verò ab auctorum ſilentio, qui eadem Monaſteria ab anno quingenteſimo quadrageſimo quinto ædificata, ab una

ſpeciali Regula ad Benedictinam tranſiſſe numquam ſcripſere, nullibique meminere. De cæteris verò quæ jam antea vigebant, S. Odonis & Audoëni ſufficiet auctoritas, quoad aliquis contrarium probaverit.

Specialiùs tamen Annaliſtæ opinionem impugnabo, qua Macarii, Baſilii, Columbanique Regulas in pluribus Galliarum Monaſteriis uſu fuiſſe receptas, eaſque tres Monachorum Ordines à Benedictino diſtinctos, & ſeparatos conſtituiſſe, ſibi probaſſe videtur. Etenim licèt varietas inſtitutionum, quibus ſucceſſivè pro nutu ſuperiorum Aſcetæ quilibet alligabantur, vagoque vitæ generi tenebantur addicti; tum etiam Anachoreſis difficultas incertum, ſuſpenſum & ſolitudinis pertæſum eorum animum ad novam certamque profitendam Regulam ultro compulerint, ut probatum fuit ſuperiùs: fixo tamen eorum animo, certæque Regulæ mancipato, nulli ſuperfuit in poſterum mutationi locus, apud eos præſertim qui earumdem Regularum præceptis à converſionis initio imbuti fuere, qui nullo modo ab earum jugo patiuntur avelli, licèt fortè earumdem Regularum præcepta ſæpius quàm par eſſet tranſgrediantur. Quæ cùm vera ſint regulariter loquendo de quocumque ſingulari Monacho, quanto magis de certi cujuſdam Ordinis Monachis omnibus?

Suppreſſos quoſdam Ordines ex hiſtoricis didicimus, noſtriſque diebus nova extinctorum aliorum exempla vidimus, ſed ab hominum memoria ad hunc uſque diem dictum non fuit aliquem fuiſſe repertum Ordinem, cujus Monachi, Religioſi, Aſcetæ, Clerici, abjecta priori Regula, ſeu poſthabitis priſtinis conſtitutionibus, novæ Regulæ, noviſque ſtatutis uno conſenſu, nemine reclamante, nulla intentata lite, nullo excitato tumultu, nullis ſcriptis in publicum datis, quibus aut præſentes aut futuri de illata vi penitus inſtruerentur, nomina dederint; neque ſolùm id non eveniſſe dico, ſed ulteriùs idipſum moraliter loquendo impoſſibile factu exiſtimo. *Cùm videamus* exemplis, ut ait Baronius, *quoſvis etiam diſciplinæ regularis ſolertiſſimos Monachos ſui ipſorum inſtitutoris te-*

nacisſimos eſſe, ut pro ea conſervanda parati ſint vitam quoque profundere. Si verò memoriæ, quanto magis Regulæ, cui ſe ſacramento addixêre, longè tenaciores futuri ſunt?

Idipſum manifeſtius fiet earum mutationum exemplis, quæ diverſis temporibus in diverſis Monaſteriis contigere. Caroli Magni ætate Monachi S. Dionyſii cucullam exuere, ut Canonicorum habitum vivendique morem ſequerentur, idipſum præſtitere S. Martini Turonenſis Monachi. Sed numquid omnes? nullo modo. Eorum enim quampluri-mi ſui propoſiti Regulæque Benedictinæ tenaciſſimi ab aliis ſe ſegregavere, quò faciliùs illibatum Monachorum propoſitum ſervarent, à qua ſeparatione Cormeriacenſe Monaſterium, ut quidam volunt, originem duxit. Tanta verò animi contentione totque precibus Sandionyſiani apud Abbatem, Epiſcopos, & Imperatorem egerunt, ut coacta Synodo eorumdem ſodales ad priſtinum Regulæ modum revocati fuerint, ut dictum eſt ſuprà.

Legere eſt in vita S. Odonis, quanta egerint Floriacen-ſes Monachi, ne Cluniacenſium alioqui Benedictinorum inſtitutis imbuerentur & inſtruerentur. *Miſerunt ei quædam præcepta regalia*, inquit Joannes Odonis diſcipulus ejuſque actorum ſcriptor, *in quibus continebatur, ut nulli ex alia congregatione ullo unquam tempore liceret ejuſdem loci prioratum ſubire. At illi cùm viderent nullam ſuam prævalere induſtriam, vertebant ſe ad alia argumenta, modò Regem vocabant, modò occidere eum minabantur, hoc enim fiebat per triduum. ad poſtremum Pater noſter, cunctis ignorantibus nobis, aſcendit aſellum, & cœpit ire concitè ad prædictum Monaſterium: Epiſcopi verò & qui cum ipſis erant Comites ſimul cum ſuis currebant poſt eum clamantes: Quò is, Pater, an fortaſſis mortem quæris? Anne vides quia parati ſunt te interficere? quâ videlicet horâ ad eos acceſſeris, morte morieris.*

Nec ſoli negligentes remiſſique Monachi, ſed etiam ſanctiſſimi viri Cluniacenſium progreſſibus obſtitere. S. enim Bernardus Tyronenſis Abbas ſe S. Cypriani Abbatiâ maluit abdicare, quàm eam Cluniacenſium legibus

obnoxiam reddere. *Monachi Cluniacenſes*, inquit Gaufridus Groſſus in ejus vita, *S. Cypriani Eccleſiam ſuæ ditioni debere eſſe ſubditam aſſerentes, Dominum Papam paſchalem, Romanum tunc temporis apicem gubernantem adjerunt, & ut Bernardo, niſi ſe & Eccleſiam ſuis ſubjiceret legibus, officium Abbatis interdiceret compulerunt: quam interdictionem ſub disjunctione poſitam Bernardus audiens, unum membrum diſtinctionis, id eſt officium honoremque Abbatis ſatis libenter excepit, alterum autem excipere noluit.*

At ſi tantis conatibus non quidem à novis Regulis aſſumendis, ſed ab aliorum Ordinum intra Benedictinum Ordinem Monachis in ſuperiores agnoſcendis, non modò diſſoluti, tum etiam ſanctiſſimi Abbates deterriti fuere: quàm audaciter, quàm viriliter, imò quanto ſui periculo non obſtitiſſent, ſi ad accipiendam novam aliquam Regulam eos quiſpiam compellere voluiſſet & adigere? Si verò de toto Ordine immutando alienæque Regulæ ſubjiciendo quæſtio fiat, quis non videat tantos tumultus excitandos, vimque tantam ad eos comprimendos adhibendam fore, ut nonniſi plurimorum ſcandalo, damno, pernicie, perpetuæque ſalutis periculo hujuſcemodi mutatio fieri poſſit? Quamobrem licèt ſummi Pontifices, ſummique Principes ingenti cura ad ſupprimendos quoſdam Ordines incubuerint aliàs, idque tandem perfecerint: nulli tamen, quod ſciam, aliquem Ordinem in alium immutare tentaverunt, etſi aliquando pro ſumma qua valent auctoritate quædam deſerta Monaſteria, aut per diſſolutos Monachos habitata, aliis Ordinibus addixerint, aut etiam ſæcularibus Canonicis ultro tradiderint, ut videre eſt in Annalibus variorum Ordinum: attamen, ut dixi, nullus unquam, quod legerim totum aliquem Ordinem in alium immutare, aut ad aliam aſſumendam Regulam compellere in animum induxit.

Quæ cùm ita ſint, & nihil referant doctiſſimi viri, quo Gallicana Monaſteria ab anno quingenteſimo quadrageſimo ad noſtram ætatem, abjectis ſanctorum Patrum Baſilii, Macarii & Columbani Regulis, ad Bene-

dictinum Ordinem confugiſſe probent, dicendum fidenter exiſtimo nullam iſtorum Patrum Regulam à Benedicti Regula ſejunctam in Gallicanis Monaſteriis uſu communi receptam fuiſſe. Quapropter non quærant à nobis, quo tempore S. Columbani Monachi à Benedictinis diverſi, aut S. Baſilii, aut aliorum Patrum diſcipuli Benedictina inſtituta fuerint amplexi; ultro enim fatemur nullum deſignari poſſe, ex eoque conjicimus nullos in Galliis fuiſſe ſanctorum Baſilii, Pachomii, aut Columbani Ordines. Viguit equidem S. Columbani Regula, ſed cùm eſſet tantùm S Benedicti decretorum appendix, paulatim ſenſimque in deſuetudinem abiit, eodem modo quo S. Ricardi decreta, & Cluniacenſes, Tyronenſes, Majoriſque Monaſterii conſuetudines uſurpari, obſervarique deſiere. Quî namque fieri poteſt, ut celebres Religioſorum Ordines, quorum ſinguli plura poſſidebant Monaſteria, ſi Francorum Annaliſtæ credere fas eſt, ita ſubitò & derepente adeo ſecretè adeoque procul ab omnium oculis in Benedictino Ordine quaſi in immenſo profundoque mari ſubmerſi ſepultique fuerint, ut nullibi ipſorum interitûs memoria reperiri potuerit.

Quo tandem miraculo effici potuit, ut ſingulorum Monaſteriorum varios caſus ad eorum uſque principia annotare poſſimus, & ex hiſtoriis variiſque diplomatibus colligere quid in unoquoque Monaſterio contigerit: & de illa ſingulari & prodigioſa mutatione, nihil ab hiſtoricis; nihil etiam incerti ex chartis aliiſque relationibus cernere poſſimus. Scimus pleraque Monaſteria cùm temporum, tum bellorum injuriâ ſolo adæquata fuiſſe, ſcimus etiam eorum quamplurima hactenus deſtructa manere, alia de novo variis temporibus iterum ædificata, ex aliis ejectos Monachos perpetuoque excluſos in alia iterum evocatos fuiſſe; Laïcos, Clericos, & Commendatarios Abbates, Advocatos, Principes, Reges eorum bona pluries occupaſſe, aliiſque tenenda dediſſe novimus. Uno verbo, nihil ferè quod ſit alicujus momenti, aut quod notam mereatur, ad noſtra tempora iiſdem accidit quod

nos prætereat, præter illam Regularum in iiſdem Monaſteriis ſucceſſionem, cujus nemo meminit, nec meminiſſe potuit. Quis enim eorum quæ non fuere recordetur, aut memoriam revocet?

Dicamus ergo fidenterque dicamus, nullum S. Baſilii, nullum Macarii, nullumque Columbani Ordinem à Benedictino diverſum in Galliis extitiſſe, idque aſſeramus cùm ſuperioribus rationibus adducti, tum auctoritate Caſſiani, qui ſuo tempore *tot typos, totque Regulas uſurpatas vidit, quot Monaſteria cellaſque conſpexit.* Fundenſis etiam Abbatis, *qui ſexto ſæculo multorum mores vivendi varias normas in Monaſteriis peperiſſe* ſcripſit. Hincque factum eſſe dixit, *ut omnia Monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ & aliarum Italiæ provinciarum, certam & rectam Regulam vivendi, quam ſanctiſſimus & Deo acceptus Benedictus inſtituerat, ſervare decernerent.* Ad quam opinionem firmandam etiam valet Caroli Magni, & eorum qui ipſi erant à conſiliis auctoritas, qui nullam noverunt Regulam quam ſervaſſent Monachi Galli, antequam S. Benedicti Regulam accepiſſent, quique in dubium vocabant, utrum aliqui Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam S. Benedicti obſervant. Hi enim omnes una voce unoque conſenſu dicere videntur, nullam pluribus Monaſteriis communem fuiſſe Regulam, nullumque S. Baſilii, aut S. Macarii Ordinem in iiſdem floruiſſe, antequam S. Benedictus Regulam ederet, eamque traderet obſervandam. Aliàs non tot Regulas, quot Monaſteria vidiſſet Caſſianus, nec Rectorum mores varias vivendi normas in Cœnobiis peperiſſe dixiſſet Fundenſis Abbas. Nec Carolus Magnus inquirendum juſſiſſet, quâ Regulâ vixiſſent Monachi, priuſquam Benedictina tradita fuiſſet, ſi certum tunc temporis, aut à ſcriptoribus traditum, Baſilii, Pachomii, Columbanique Regulas pluribus Monachorum Ordinibus originem dediſſe.

Maneat ergo unicam S. Benedicti Regulam ad Ludovici Pii tempora communiter & generaliter Galliarum Monaſteriis impoſitam, ſanctumque Eugendum alioſque

Monachorum Abbates , antequam S. Maurus in Gallias veniret , eam ex parte ſaltem accepiſſe , eandemque præcipuum S. Benedicti diſcipulum ſuis exemplis docuiſſe , cæteriſque communicaſſe , longè lateque dilataſſe , ejuſque propagines S. Columbanum longiùs protuliſſe ; & conſequenter maneat offuſas Ordini Benedictino per doctiſſimum virum tenebras , cùm antiquitatis , tum rationis clarioribus radiis diſcuſſas , reſolutas fugataſque fuiſſe.

FINIS.

ADDENDA

Ad Librum de Ordinis S. Benedicti Gallicana Propagatione.

Ad pag. 34. cap. 6. n. 3. in fine.

HOc ipſum etiam patet ex S. Philiberto S. Agili diſcipulo ejuſdem apud Reſbacenſes Succeſſore, & Fundatore Gemeticenſis Monaſterii, qui in varia Galliarum Monaſteria conſuetudines Luxovienſes induxit: hic nullatenùs cellulas ſeparatas, ſed ampliſſimum dormitorium ædificavit. *Duplex*, inquit ipſius vitæ ſcriptor, *vergens ad Austrum ducentorum nonaginta pedum longitudine, quinquaginta in latitudinem eminet domus quieſcendi obtentu ſingula per lecta, lux radiat per feneſtras vitrum penetrans, lychnus fovet aſpectus legentis.* *Vita S. Philib. n. 6. ſæc. 2. Bened.*

Ad pag. 35. cap. 6. n. 24. poſt hæc verba diei crepuſculo matutinas laudes ceciniſſe.

Id quoque præſtitêre SS. Euſtaſius & Agilus in Monaſterio Luxovienſi, ut colligimus ex vitâ S. Agili ab Anonymo ipſi æquali compoſitâ ſecundùm Annalium conditorem. *Aurorâ verò diei incipiente*, inquit, *finitis ex more matutinis laudibus, venerabilis Agilus hanc mentis præcordiis fudit orationem.* Rem ita refert Anonymus, cùm Sanctus Agilus æger decumberet, eum S. Euſtaſius his verbis fuit adhortatus. *Frater amabilis Agile, quem a puero nobilium parentum tuorum amore, & pii Patris Columbani rogatu educavi piè, enutrivi caſtè, docui modeſtè; nunc verò moneo, abjectis curis ærumnoſæ vitæ, ſoli Deo cui inhæres totam ſpem committas..... Nec dubitas credo, quòd ille te ab hac ægritudine potens eſt liberare. Aurorâ verò diei incipiente, finitis ex more matutinis laudibus, venerabilis* *Sæc. 2. Bened. p. 320. n. 13.*

Agilus hanc mentis præcordiis fudit orationem. Quæ conſuetudo matutinas laudes aurorâ incipiente cantandi Benedictinorum mos erat, nam juxta S. Benedicti Regulam, &c.

Ad caput 7. n. 26. de voto ſtabilitatis. pag. 56.

Hæſtenus agnoſcit ſanctum Benedictum omnium Legiſlatorum primum Monachos voto ſtabilitatis ligaſſe: *Quoniam*, inquit, *primus omnium, quod ſciam, vovendæ ſtabilitatis meminit, ex illius verbis & praxi eam conabor explicare.* Et paulò poſt. *Conſtat namque Legiſlatoris noſtri temporibus, ipſiuſque ævo Monachos, ſi ampliùs in Monaſterio permanere nollent, etiam poſt profeſſionem ad aliud ſe conferre Cœnobium, idque impunè, ita ut à ſuperioribus non inquirerentur, aut ut nunc fit, carceribus includerentur.* Quæ pluribus ibidem ab Hæſteno probantur.

Lib. 4. tract. 6. diſq. 3.

Ex ſimili poſitione S. Hildegardis obſervat, ante S. Benedicti tempora Monaſticam vitam errantem & vagam quodam modo fuiſſe, & ſolo ſtabilitatis voto quo Patriarcha noſter Monachos adſtrinxit, ſtabilem effectam. *Ante tempora S. Benedicti*, inquit, *nullâ certâ Regulâ Monachi confirmati, diversâ incertitudine & inſtabilitate hàc & illac vagabantur, certo magiſterio & certâ locatione carentes: quapropter ipſe vitia inſtabilitatis morum deſcribens, ut vita illorum à fidelibus Monachis evitetur monet.* Nam reverà illa ab antiquis conceſſa, aut non ablata licentia, libertaſque vivendi, quâ ſingulis Monachis à promiſsâ Regulâ & ab obedientiâ Abbatibus debitâ licebat recedere, adeò pernitioſa viſa eſt S. Hildegardi, ut eos ſine certâ Regulâ vixiſſe dixerit, quia nullam abſolutè promiſſam habebant, cùm ab earum ſingulis recedendi liberam facultatem haberent.

At ex oppoſito, Benedictini Monachi ſoli fideles appellati fuerunt, quia promiſſæ ſemel Benedictinæ Regulæ perpetuò adhærere tenentur: hæc verò conſuetudo adeò deinceps invaluit, ut novi legiſlatores qui in Europâ floruerunt, eodem aut ſimili ſtabilitatis vinculo Monachos aut Religioſos ad profeſſionem admittendos alligari vo-

luerint. Quo fit ut modò Religioſi penè omnes cum Benedictinis in ſtabilitate vovendâ conveniant.

Ad pag. 152. ad num. 15. capitis 14.

Philippus Labbe Societatis JESU Preſbyter, tom. 6. Concil. fundationem & immunitatem Monaſterii Corbeïenſis per Clotharium II. Privilegium libertatis eidem Monaſterio conceſſum per Bertefridum Epiſcopum Ambianenſem, & Theodorici præceptum, quo ipſe Rex confirmat electionem Eremberti Abbatis Corbeïenſis exſcribit, & eadem Privilegia confert cum Marculfi formulis, eademque collatione hæc omnia diplomata ab eiſdem auctoribus data fuiſſe arbitrari videtur, dignaque quæ inter Conciliorum acta à Sirmondo repoſita, iterùm in omnium Conciliorum collectione ſcribantur. Cùm verò his tribus præceptis Benedictina Regula Regulæ ſanctæ denominatione deſignetur, Philippus Labbe noſtram Regulæ ſanctæ denominationem approbaſſe cenſetur.

Hæc loquendi conſuetudo quâ ſæculo ſexto ſeptimoque Regulæ ſanctæ nomine ſola Benedictina veniebat in mentem, confirmari poteſt per chartam quâ ſanctus Audomarus Morinorum Epiſcopus anno Chriſti 661. Sithivenſe Monaſterium ab Ordinariorum juriſdictione liberavit; nam id privilegium ſe dediſſe fatetur, *Vt quieti ſub Regulâ ſanctâ ipſi Monachi vivere debeant ad ipſum Monaſterium deſervientes.* Quæ verba à privilegio Corbeïenſi deſumpta, eodemque ſenſu ponderanda videntur, quo eadem Bertefridus Ambianenſis Antiſtes ſcribenda voluit. His adde, quòd ſanctus Bertinus primus Sithivenſis Abbas, ſanctique Euſtaſii diſcipulus, eodem tempore quo ſanctus Audomarus laudatum privilegium ſcribebat, in eodem Monaſterio Benedictinam docebat & obſervabat Regulam. Legimus enim, quòd ſanctum Vvinocum & ſocios ejus *memoratus vir Bertinus ſub normâ pii Patris Benedicti edocuit ferre jugum Chriſti; & ut Monaſticis deſervirent ſanctionibus, & verbis inſtituit, & actibus* Eadem habet idem, aut alius quiſpiam qui acta S. Bertini exaravit. *Turbam ſibi à Domino creditam*, in- *Vita S. Vinoci Sæc. 3. Benedict. parte 1.*

quit, *ſub diſtricto ſacræ Regulæ jugo mente ſollicitâ pervigil cuſtodiebat.* Nihil enim ſignificat apud eos Auctores *jugum ſacræ Regulæ*, quàm Benedictinæ Regulæ jugum. Quapropter affirmare poſſumus ipſum etiam S. Audomarum, & ejus & ſancti Bertini communem Magiſtrum S. Euſtaſium eodem jugo oneratos fuiſſe. Nam Anonymus in vitâ ſancti Audomari narrat, quòd *Sanctus Euſtaſius cernens in B. Audomari vultu & verbis gratiam cognoſcens eſſe Divinam, ſalubre dedit conſilium, ut ſub Regulari diſciplinâ ſecum in Dei perſeveraret ſervitio. Igitur Divino ardens amore, ſpiritualis Patris ſequens conſilium, ſub ſacræ Regulæ jugum mente devotâ ſe ſubjecerint.* Ex quibus non modò conjicere, ſed affirmare poſſumus, unius ejuſdemque inſtituti fuiſſe hos omnes ſanctos, Magiſtrum & diſcipulos, & unum idemque jugum ſacræ Benedictinæ Regulæ duxiſſe.

Ad caput 17. n. 9. pag. 186.

Carolus Magnus Canones omnes Conciliorum quæ ſub Pipino Rege celebrata fuêre, & ejuſdem Pipini Capitularia, lege novâ firmavit. *Capitula verò*, inquit, *quæ bonæ memoriæ Genitor noſter Pipinus Rex in ſuis placitis conſtituit & in Synodis, conſervari volumus,* Vult ergò Maximus Imperator, ut Benedictina Regula quæ in prædictis Conciliis mandata & recitata fuit, ubique Galliarum ſervetur; neque iterùm nobis opponant Adverſarii noſtri, alias fuiſſe Regulas à Benedictinâ diſtinctas, quæ apud Gallos & Germanos erant in uſu; nullas enim fuiſſe cenſet idem ipſe Carolus Magnus, qui non ſolùm non dari Monachos alienis Regulis deditos opinatur, verùm etiam dubitat utrùm aliquos præter Benedictinos dari ſit poſſibile, aut ſaltem utrùm id licitum videri poſſit, ut aliàs dixi, & iterùm dicturus ſum. Immò, quod omnia opinionis contrariæ fundamenta penitùs evertit, Carolus Magnus vetat ne ulli Monachi ab antiquis Regulis aliàs promiſſis unquàm recedant. Quamobrem ſi plures Regulæ à Monachis admiſſæ fuiſſent, nullo modo per Carolum Magnum ad Benedictinam accedere licitum fuiſſet;

juſſit enim, ut Cointius refert ex Sigonio ad annum 781. *Vt Archiepiſcopi & Epiſcopi ea jura haberent quæ legibus ſancta eſſent, Monaſteria eâ diſciplinâ tenerentur quâ à Patribus fuiſſent obſtricta.* Et in Capitulari, an. 789. vult *ut Clerici & Monachi in ſuo propoſito & voto quod Deo promiſerunt permaneant.* Et capite 3. Capitularis anni 802. *Placuit*, inquit, *ut unuſquiſque ex perſonâ propriâ ſe in ſancto Dei ſervitio ſecundùm Dei præcepta, & ſecundùm ſponſionem ſuam conſervari faciat.* Quapropter, inquam, ſi aliquæ Regulæ præter Benedictinam communi aut ſpeciali uſu receptæ fuiſſent, nulli Monacho licitum fuiſſet iiſdem temporibus ad Benedictinam Regulam accedere, cùm tot præceptis & prohibitionibus ligata & undique ſepta, nullum alterius inſtituti Monachum admittere potuiſſet: at cùm Capitularia & Concilia ſub Pipino & Carolo Magno coacta, unam tantùm loquantur Benedictinam Regulam, ad eamdem ſolam Monachos hortentur, & eamdem etiam ſolam imperent: Dicendum ex eiſdem Regibus & Conciliis eamdem ſolam ab Aſcetis omnibus fuiſſe promiſſam, & aliam quamcumque prohibitam; ſeu, ut ad Caroli mentem totus accedam, eâ tempeſtate de admittendis aut rejiciendis Regulis apud Gallos Monachos nulla fuit excitata quæſtio, cùm Benedictina ſola apud omnes vigeret, nec ulli licitum videretur ex Carolo Magno ſæpè laudato, ut quamlibet aliam pro libito ſumeret: ſed novam legem interpoſuit Imperator, ne Monachi ab antiquâ inſtitutione deſciſcerent, & priori propoſito dimiſſo, novo & à Monachis alieno ſervirent: tunc enim apud Monachos eo loco res erant, ut licita putarent quæ nefanda pluribus videbantur. Legimus enim in indice Epiſtolarum Adriani Papæ tom. 6. Conciliorum, quòd *in partibus Italiæ, Tuſciæque .... Monachi veſtem Monaſticam contra ſanctos canones relinquerent, & matrimonia contraherent veſtibus ſæcularibus induti.* Eâque de causâ rogat Adrianus, ut *iſta Carolus emendet.*

In Galliis verò eò venerat Monachorum quorumdam diſſolutio, ut integra Monaſteria neglecta, & penitùs oblitâ Regulâ Benedictinâ ſæculariter viverent, quam

effrænatam converſandi licentiam neque Carolus Magnus, neque Ludovicus Pius cohibere potuerunt: adeò ut concedenda fuerint quædam Monaſteria ubi Monachis canonicè contra canones vivere liceret, reditibus ad eorum ſuſtentationem conceſſis. Id aſſerit Ardo Monachus in vitâ ſancti Benedicti Anianenſis Abbatis. *His verò Monaſteriis*, inquit, *quæ ſub Canonicâ relicta ſunt poteſtate, conſtituit eis Ludovicus Pius ſegregatim unde vivere regulariter poſſent; cætera verò Abbati conceſſit:* Alia verò Monaſteria quæ ad diſciplinam Regularem ſervandam adduci poterant, Ludovicus Imperator S. Benedicto Indenſi reformanda commiſit. *Erant quædam Monaſteria*, inquit idem Auctor, *inſtituta Canonica ſervantes, Regulæ autem præcepta ignorantes ..... ſicque factum eſt providente Deo, ut omnia penè Monaſteria in Aquitaniâ ſita Regularem ſuſceperint formam.* Iis ergò temporibus diſſoluta Monaſteria in duas diviſa claſſes, pars eorum una ab Ordine Regulari ſeparata ſæcularibus Canonicis adhæſit, altera verò correcta, & à S. Benedicto Indenſi emendata ad exercitationem Regularem ſecundùm Benedictinam Regulam rediiſſe ſcribitur.

Moniales verò Monachos imitatæ, ſimili ſorte diviſæ in duas partes ſeparatæ fuerunt, & earum optima pars vota ſemel promiſſa in æternum ſervanda ſancivit: altera verò in Canonicas mutata, & votorum oblita ad ſæculum peritura rediit; incertum tamen utrùm ex ſolâ earum corruptâ voluntate id contigerit, an ex Principis conniventiâ, ne dicam licentiâ accidiſſe videatur. Hanc dubitandi rationem anni 813. Concilium Moguntinum præbet his verbis *Abbatiſſas cum ſanctimonialibus omninò rectè & juſtè vivere cenſemus; quæ verò profeſſionem ſanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem canonicè vivant, pleniter & ſub diligenti curâ cuſtodiam habeant.* Quibus verbis permiſſum apparet, ut Moniales Benedictinam profeſſæ Regulam ab eadem poſſint recedere. Sed re diligentiùs conſideratâ, Concilium nunquam hujuſcemodi licentiam dediſſe multis rationibus certum habetur. Quamobrem dicendum arbitror his temporibus Sancti-

moniales duplicis generis in Monaſteriis habitaſſe, quarum aliæ Benedictinam Regulam voto promiſerant, aliæ verò nullis editis votis eiſdem Monaſteriis affixæ vivebant, perindè quaſi Benedictinæ vellent haberi, & inter Benedictinas numerari. Quæ tandem revelatâ fronte Regulam negaverunt, & Canonicarum more converſari voluerunt ad inſtar earum quæ noſtris temporibus Romarici montis Monaſterium inhabitant, quarum Abbatiſſa ſola Benedictina vota promittere cogitur, cæteræ verò Benedictinis proventibus contentæ, nullâ promiſsâ aut ſervatâ Regulâ ſæculariter & ſplendidè vivunt, donec primâ datâ occaſione ſeſe in matrimonium collocent, quarum exemplum ſolis mulieribus hactenùs conceſſum virorum nemo licitum ſibi putavit, licet aliqui reperti fuerint qui eodem ſæculo à votis liberi Monaſteria fuerint ingreſſi, & ad modum Canonicorum ibidem permanſerint, ut obſervare licet libro 5. Capitularium, ubi jubetur ut *ſciat Epiſcopus per ſingula Monaſteria quantos quiſque Abbas Canonicos in ſuo Monaſterio habeat, & hoc omninò ambo provideant ut ſi Monachi fieri voluerint regulariter vivant, ſin autem canonicè vivant omnino.* Niſi enim hæc Monaſteria Benedictinis addicta fuiſſent, Clericos qui ibidem morabantur nunquam Principes ad Monaſticam vitam accipiedam adhortati fuiſſent. Nec eſt quòd hujuſcemodi Monachorum & Clericorum in iiſdem Monaſteriis conjunctionem mireris, cum noſtrâ tempeſtate id etiam factum, idque fieri quotidie miremur. Viri namque clariſſimi, & in maximis dignitatibus conſtituti extingui Monachos patiuntur, quorum loco Clericos pretio conductos inſtituunt, quâ de re tacere convenit, ne non ſolùm inutiliter ſed etiam ad invidiam loquamur.

Cap. 144.

Ut ut ſit de his omnibus, certum tamen manere puto ex canone Concilii Moguntini, Moniales omnes votis obſtrictas inter Benedictinas numeratas fuiſſe; ſi namque aliquæ alterius fuiſſent inſtituti, nullatenùs Concilii Patres iis omiſſis de ſolis Benedictinis egiſſent, neque ſola Benedictina mandata per Monachos & Moniales adimplenda juſſiſſent ne Caroli Magni leges irrumperentur,

quibus toties mandaverat, *ut omnes omninò ſecundùm Dei præceptum juſtâ viverent ratione....* a *Et unus quiſque in ſuo propoſito vel profeſſione unanimiter.... pleniter obſervaſſent.* b. *Vt unuſquiſque ex perſonâ propriâ ſe in ſancto Dei ſervitio ſecundùm Dei præceptum, & ſecundùm ſponſionem ſuam pleniter conſervare ſtudeat.* c. *Providendum eſt unicuique Epiſcopo qualiter Canonici vivere debeant, nec non & Monachi, ut ſecundùm Ordinem Canonicum vel Regularem vivere ſtudeant, ut ait Apoſtolus, unuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat.* d. *Vt Clerici & Monachi in ſuo propoſito & voto quod Deo promiſerunt permaneant.* Et tandem, ut *Archiepiſcopi & Epiſcopi jura haberent quæ legibus ſancta eſſent, Monaſteria eâ diſciplinâ tenerentur quâ à Patribus fuiſſent obſtricta.* His verò poſitis capitularibus & Epiſcoporum mandatis, non video quâ ratione affirmari poſſit, Pipinum, Carolum Magnum, & Ludovicum Pium alienos Monachos ad Benedictinas leges adducere voluiſſe, ſoliuſque Benedictinæ Regulæ meminiſſe ſi tot alias noviſſent, cùm ex oppoſito voluerint, ut *Monaſteria eâ diſciplinâ tenerentur quâ à Patribus fuiſſent obſtricta*, & ſeveriſſimè, neque ſemel, ſed ſæpiùs inhibuerint ne quiſquam à promiſsâ voto Regulâ recederet.

Cap. Capitularis 812. 16. cap. 3.

Concilium Areiat. 3. anni 813.

In Capitul. anni 789.

Apud Cointium ad an. 781.

Ad cap. 16. poſt n. 16. p. 173.

Inter numeratos Auctores qui ſanctum Columbanum Benedictinis adſcribi voluêre, jure merito recenſeri debet piiſſima ſimul & doctiſſima Virgo Jacoba de Blemur, Monaſterii ſanctiſſimæ Trinitatis Cadomenſis alumna, quæ in ſingulos dies duobus aut pluribus ſanctorum Benedictinorum vitis Gallicè, purè & eleganter compoſitis refertos libros compoſuit. Sic ergò loquitur ad vitam S. Bertini 5. die Septembris. *Ce Saint après avoir loué la devotion de ſaint Vinot & de ſes Compagnons, leur enſeigna à porter le joug ſuave de* Jesus-Christ *ſous la Regle du pieux Pere S. Benoiſt, & ayant connû quelle étoit l'ardeur de leur foy, il leur permit de vivre ſolitaires dans des cellules ſeparées.* Quibus ex Auctore vitæ S. Vinnoci laudatis his verbis concludit

cludit. *Voila les paroles de cet Autheur, qui répondent en paſſant à ceux qui croyent que la Regle de S. Colomban eſt differente de celle de S. Benoiſt : car puiſque S. Bertin avoit pris l'habit à Luxeüil, & qu'il apprenoit à ſes Diſciples les maximes de nôtre ſaint Patriarche, il eſt tres-certain que ces deux Regles ne ſont pas diſtinctes, & que celle de ſaint Colomban n'eſt qu'une explication de celle de ſaint Benoiſt.* Et ad diem 13. ejuſdem menſis in vitâ ſancti Amati. *Ce fut luy auſſi qui prit la conduite du Monaſtere des Religieuſes fondé par S. Romaric ſous la Regle de nôtre ſaint Patriarche : ce que je remarque en paſſant, pour répondre à ceux qui font diſtinction de la Regle de ſaint Benoiſt & de ſaint Colomban, puis qu'en ce ſujet elles ſont citées indifferemment, & que le privilege expedié en faveur des Religieuſes fait mention expreſſe de noſtre ſainte Regle, quoy que le Fondateur & le Directeur fuſſent tous deux Moynes de Luxeüil dont ſaint Colomban avoit été Abbé ; il y a un grand nombre d'exemples de cette nature.* Scio inter Auctores nobis oppoſitos, plures eſſe qui ſe fortè iſtâ piâ Religioſâ Virgine doctiores putent ; ſed pauci ſunt qui plurium Sanctorum Benedictinorum vitas legerunt, ut ex eorum lectione ſpiritum Benedictinum poſſint haurire, & ex eorum actis eorum inſtitutum dignoſcere.

Ad caput 19. n. 13. p. 209.

S. Hildegardis hæc verba Vindocinenſis Abbatis ſcriptis conſona ab ipſo Deo ſe accepiſſe narravit. *Ipſe Benedictus eſt quaſi alter Moſes in lapideo foramine jacens, & corpus ſuum in multâ aſperitate ob amorem vitæ crucians & conſtringens ; quemadmodum etiam primus Moſes in lapideis tabulis ex præcepto meo aſperam & duram legem ſcribens Iudæis dedit, ſed ut filius meus eamdem legem per dulcedinem Evangelii perforavit : Sic etiam Benedictus famulus meus, propoſitum hujus Ordinis, quod ante ipſum diverſiſſima converſatio fuit per dulcedinem inſpirationis Spiritus ſancti, diſcretam & planam viam fecit, ac per hoc plurimam cohortem ſuæ Religionis collegit, ut etiam filius meus per ſuavitatem odoris ſui populum ſibi coadunavit.* *Lib. 2. viſion.*

Ad caput primum pag. 6. n. 8. & ad cap. 10. in ſine ex Reinerio lib. de Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia.

Summa enim veneratio quam D. Gregorius erga inclitum hunc Ordinem demonſtravit, inde videtur clarè ortum habuiſſe, quòd ille eumdem Ordinem profeſſus fuerit; ideò primus Pontificum eumdem approbavit; ideò creditur ad eumdem reduxiſſe cæteras Monachorum Congregationes quæ in Italiâ euſque fuerant ſine Rectoribus aut regimine, & in eumdem finem Concilium illud Romanum in favorem Monachorum nigrorum, quod omnes norunt, congregavit. Gregorius Lopez Juris utriuſque Doctor, Regis Hiſpaniarum Philippi III. Conſiliarius, & Judex Palatinus, apud Reinerium p. 200.

Quoniam hac noſtrâ ætate exorta eſt controverſia de Monachatu ſancti Gregorii Magni, Auguſtini Cantuarienſis, ſociorumque ejus, quos Gregorius in Angliam de ſuo Monaſterio prædicandi Evangelii causâ deſtinaſſe legitur: quibuſdam ipſos Ordini Benedictino addicentibus; quibuſdam verò id acriter pernegantibus, & ipſos Ordini ſancti Equitii, ſive alicui alii adſcribentibus; nos qui multùm temporis in rebus vetuſtis, tum civilibus tum ſacris, atque iis imprimis quæ ad Britanniam noſtram potiſſimùm ſpectant, impendimus, rogati ut teſtimonium perhiberemus veritati, cùm neutrius partis præjudiciis ſimus obnoxii, dicimus & affirmamus nos, duo ſolùm Monachorum genera in primis Saxonicæ apud Majores noſtros Eccleſiæ temporibus: unum eorum qui Ægyptienſium mores ſequuti in hac Inſulâ florebant ante adventum Auguſtini, alterum eorum qui Benedictini Auguſtino itineris erant comites. Hanc traditionem à Patribus ad filios derivatam eſſe teſtamur; atque ita derivatam, ut non levibus innitatur fabulis aut ambitioſis partium conjecturis, quin eam ipſam vetuſta ſignatæ fidei exhibent apud nos monumenta; ab Auguſtino inſuper ad Henricum VIII. perpetuò in hac Inſulâ viguit Benedictina inſtitutio, nec Auguſtino recentiorem ejus eſſe originem, originiſve recentioris veſtigium ullibi comperimus. Tantùm abeſt Equitianum aliquem in hac Inſulâ fuiſſe Ordinem, ut

nulla omninò ejuſmodi neque Ordinis neque nominis mentio in vetuſtis quibus verſamur Tabulariis habeatur. Sanè aliorum ferè omnium Ordinum in hac Inſulâ origines obſervavimus, uti uniuſcujuſque etiam minimi ingreſſum ſuo anno conſignatum habeamus, totius Benedictini Ordinis originem ante Auguſtini ſæculum non invenimus, ipſius ſæculo floruiſſe apertè reperimus: unde exploratiſſimum nobis eſſe profitemur, non alterius Ordinis fuiſſe ipſum ſocioſque ejus quàm Benedictini; qui ideò procul dubio tam altas radices in Angliâ egerit, quoniam primi illi Monachi à Gregorio in Inſulam deſtinati Regulæ Benedictinæ Profeſſores extiterunt. Sic ſignatum Robertus Cotton, Joannes Seldenus, Henricus Spelman, Gulielmus Camdemus: Apud Reinerium p. 202.

Hìc præter ordinem hos recentiores auctores recenſendos, & ex Reinerio iterùm exſcribendos volui. Primùm Lopez Hiſpanum & ſæcularem hominem, qui perſpecto S. Gregorii grato in S. Benedictum & in ejus Ordinem animo, quodam quaſi naturali ſenſu eumdem Benedictinum fuiſſe indicavit, & Concilium Romanum in ejuſdem Ordinis gratiam coactum, & omnibus notum admiſit. Alios verò licet heterodoxos, quia tamen numerantur ab omnibus inter graviſſimos Anglicanos Scriptores, qui tabularia quamplurima pervolutarunt, ideò laudo, quia eorum teſtimonium utpote cùm fide tum moribus à nobis multùm diſſidentium, graviſſimum puto, & ſolius agnitæ veritatis intuitu nobis conceſſum exiſtimo. Ex eo verò plures aſſertionum noſtrarum poſitiones corroborari cenſeo: ſi namque nulla alterius Inſtituti a Benedictino diſtincti memoria apud Anglos habeatur, & perpetuâ traditione actiſque plurimis, cùm editis tum ſola manu exaratis, eadem Regula à receptâ apud Anglos Religione Chriſtianâ perpetuò viguiſſe probetur; quis (quæſo) his omnibus deſtitutus, antiquam Anglorum in mentibus noſtris inſitam opinionem evellere, & novam recentiorum Auctorum adinventionem de novo tentabit inſerere? Dicamus ergò cum Scriptoribus à me laudatis, & cum Mabillonio diſſertatione de

ſancti Gregorii Monachatu, ipſum ſummum Pontificem Gregorium Benedictinâ inſtitutione formatum, ſuos diſcipulos eamdem docuiſſe, & S. Auguſtinum non ſolùm Anglos ad Catholicam fidem adduxiſſe, ſed & futuros Monachos Benedictinis diſciplinis imbuiſſe.

Analector. tom. 1.

Ex hac veritate naſcitur alia, ſcilicet eodem tempore Benedictinam Regulam longè latéque per Gallias diffuſam fuiſſe & Anglos Monachos & Moniales ad eas acceſſiſſe, ut quibus per ſanctum Auguſtinum initiati fuerant inſtitutis, pleniùs informarentur. Id accipimus à Bedâ lib. 3. hiſtoriæ Anglorum cap. 8. *Earcombertus, qui primus Regum Anglorum in toto Regno ſuo idola relinqui ac deſtrui... principali auctoritate præcepit; cujus filia Eartongatha, ut condigna parentis ſoboles, magnarum fuit Virgo virtutum, indeſinenter, ſemper ſerviens Deo in Monaſterio quod in regione Francorum conſtructum eſt ab Abbatiſſâ nobiliſſimâ vocabulo* FARA anno ſalutis 614. *in loco qui dicitur Brige: Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum Monaſteriis conſtructis, multi de Britanniâ Monaſticæ converſationis gratiâ Francorum vel Galliarum Monaſteria adire ſolebant, & filias ſuas eiſdem erudiendas ac ſponſo cæleſti copulandas mittebant, maximè in Brige & in Cale & in Andilegum Monaſterio; inter quas erat Sedredo filia uxoris Annæ Regis Orientalium Anglorum... & filia naturalis ejuſdem Regis Edelburg; utraque cùm eſſet peregrina, præ merito virtutum ejuſdem Monaſterii Brigenſis eſt Abbatiſſa conſtituta.* Eodem quoque miſſæ videntur duæ ſorores Edelmundi Regis Auſtralium Anglorum, *quæ* (ut habetur in vitâ ſancti Botulfi) *adhuc tenellulæ miſſæ fuerant ultra mare, ad diſcendam in Monaſteriali gymnaſio diſciplinam Cæleſtis ſophiæ.*

Vita S. Botulfi ſæc. 3. Benedict. part. 1.

Eadem quæ ex Bedâ modò laudavi, ſcripta quoque fuêre in actis S. Botulfi ab Auctore ſuppari. *Antequam in Britannia*, inquit, *Chriſtiana Religio dilataretur, ſoboles ſuas quique nobiles in Gallias* mittebant, *ut ibi pleniùs addiſcerent, & ſanctæ fidei gloriam, & ſanctæ converſationis in Apoſtolicis inſtitutionibus diſciplinam.* Hos inter qui his fidei Chriſtianæ primordiis apud Anglos diſciplinam Monaſticam à Gallis accepit in iiſdem actis S. Botulfus nu-

Ibid.

ſmeratur, qui apud S. Faram aut in Joſtrenſi Cœnobio, ut Domnus Mabillonius opinatur, habitum Monaſticum induit. Sed ut appareat utrobique, in Galliis ubi Angli Monaſticè converſabantur, & in Angliâ unde veniebant in Gallias, idem omninò inſtitutum viguiſſe; notandum eſt ex eâdem vitâ eundem Sanctum, Monaſterium in Angliâ iiſdem legibus Gallicanis inſtituiſſe. Hoc ipſum dicere licet de ſanctâ Hildâ, quæ apud Calam per annum morata, *à ſancto Aidano Epiſcopo in patriam revocata* multis ſucceſſivè Monaſteriis præfuit, ut apud Bedam legitur. Hoc ipſum commune Gallis & Anglis inſtitutum Anglos docuerunt, & latè propagarunt Calenſis Cœnobii ſub ſancta Bertilâ Monachi qui in Angliam ad ædificanda Monaſteria à Regibus Anglis vocati fuerunt: rem ita refert anonymus actorum ſanctæ Bertilæ Scriptor ipſi æqualis. *Sanctæ Bertilæ*, inquit, *converſatio ſobria & benigniſſima advocavit plurimas fidelium animas fœminarum immò & virorum; nec ſolummodò ex vicinâ Provinciâ, ſed etiam ex tranſmarinis partibus, ſanctæ hujus fœminæ felici famâ percurrente, ad eam, relictis parentibus & patriâ, cum ſummo amoris deſiderio. Plurimi viri ac fœminæ feſtinabant..... tantumque fructum per eam Dominus contraxit ad ſalutem animarum, ut etiam ex tranſmarinis partibus Saxoniæ Reges illi fideles ab eâ promiſſa poſtularent, ut illis de ſuis diſcipulis ad eruditionem vel ſanctam inſtructionem quam audierant, in eâ eſſe mirabilem dirigeret, ſeu etiam qui virorum & Sanctimonialium Cœnobia in illâ Regione conſtruerent; quam Religioſam petitionem pro ſalute animarum non denegavit, ſed cum conſilio ſeniorum exhortantibus Fratribus, grato animo cum magnâ diligentiâ & patrocinio Sanctorum, ſeu & voluminibus multis librorum electas perſonas ac devotiſſimos homines illuc direxit.* Quæ cùm ita ſint, & exploratiſſimum ſit, teſtimonio Roberti Cotton, Joannis Seldeni, Henrici Spelman, Guillielmi Camdeni, ſolam ſancti Benedicti Regulam unà cum fide ab Auguſtino receptam; nemo jure poteſt inficiari, eamdem Regulam à Gallis Monachis ante eadem tempora receptam fuiſſe, & hanc ab Anglis in Gal-

Lib. 3. c. 23.

Vita S. Bertilæ ſæc. 3. Bened. part. 1. pag. 25. nn. 5. & 6.

S. Columbani Inſtitutum ſub S. Benedicti Regulâ viget in Angliâ.

liis & in Britanniis pariter obſervatam, quod teſtatum etiam manet ex actis S. Botulfi ſæpè laudatis: de eo enim ſcribitur, quòd Monaſterium extruxit *ad inſtar Monaſteriorum ubi converſatus fuerat in partibus Galliæ*, id eſt, ad inſtar Monaſterii Jotrenſis, aut ſanctæ Faræ ubi Monaſticè converſatus fuerat; & ne alienum à Benedictino in vicem ejus Inſtitutum nobis ſubſtituant, idem Auctor ſuam mentem apertis verbis aperuit. *Præcepta ſalutis*, inquit, *ſecundùm B. Patris Benedicti documentum diſcipulos edocuit:* perindè quaſi diceret S. Botulfum Monaſterium apud Anglos ſub Regulâ S. Benedicti inſtituiſſe, ad inſtar eorum in quibus converſatus fuerat in Galliâ, quæ eamdem Benedictinam Regulam pariter obſervabant, nec enim credere fas eſt, hos Monachos & Moniales qui ad extruenda Cœnobia in Angliam aut mittebantur, aut ſuâ ſponte prodibant, alienum ab eo quod ſequebantur Inſtitutum propagaſſe. Certum quoque videtur, Monachos & Moniales qui ex Angliâ in Galliam Monaſticæ profeſſionis addiſcendæ gratiâ tranſibant, utrobique eamdem converſationem habuiſſe, quam ſcilicet B. Auguſtinus ex S. Gregorio didicerat, quamque Monachis Anglis unà cum fide tradiderat: nam alienum à ratione videtur, ut amantiſſimi S. Auguſtini diſcipuli, quos idem Apoſtolus ſemper parturiebat, donec formaretur Chriſtus in illis, ab ejus moribus, converſatione, inſtitutis ſponte diſceſſerint, & in alienas terras migraverint, ut novâ Regulâ noviſque legibus converſarentur.

Ib. n. 9.

His ita poſitis, traditione, auctoritate, argumentis & rationibus docemur, Monaſteria à primis ſancti Columbani diſcipulis erecta ex Benedictinæ Regulæ præſcripto vixiſſe. Id patet ex S. Botulfo, qui ab Eboriacenſi aut Jotrenſi Monaſteriis Regulam S. Benedicti in Angliâ dilatandam accepit: Id docent pariter Virgines illæ quæ ſecundùm Bedam ex Angliâ in Gallias migrarunt, ut à ſanctâ Burgundoforâ vitam Monaſticam diſcerent, quas inter extiterunt Sedrido & Edelburga, quæ ſanctæ Burgundoforæ diſcipulæ; eidem quoque una poſt aliam in ejuſdem Monaſterii adminiſtratione ſucceſſit, ut dictum

ſuprà ex Bedæ verbis, quo prævalido & quaſi palmari argumento docemur S. Columbani Inſtitutum à primis initiis Benedictinâ Regulâ conſtaſſe, nullibi enim hoc ipſum inſtitutum vivendi magis acceptum atque ſervatum quàm apud Evoriacas, ſecundùm Jonam, à quo ſancta Burgundofora nullis ſuaſionibus abduci potuit, ut legimus in vitâ S. Euſtaſii à Jonâ compoſitâ. Sub hoc ergò Inſtituto vixêre Sadredo & Edelburga., hoc ipſum ad poſteros eædem tranſmiſere, quod etiam S. Botulfus in Angliam detulit, cùm *Monaſterium extruxit ad inſtar Monaſteriorum ubi converſatus fuerat in partibus Galliæ, & præcepta ſalutis ſecundùm B. Patris Benedicti documentum diſcipulos docuit.* Accedit eòdem quòd nullum ex Anglicanis, tam virorum quàm Sanctimonialium Cœnobiis quæ ſub ſanctâ Burgundoforâ, ſancta Hildâ, S. Botulfo, ſanctâque Bertilâ ad inſtar Monaſteriorum ſanctæ Faræ, Jotrenſis & Calenſis fuerunt ædificata, & eorumdem ritus ſuſcepiſſe probantur; nullum inquam eorum diverſum à S. Benedicti vivendi genus accepiſſe dicatur, nulluſque ex Anglicanis Auctoribus laudetur, qui ſancti Columbani aut ipſius Regulæ ab Anglis acceptæ meminerit; licet Beda & alii quidam ejuſdem aut ſuperioris ætatis dixerint ex Monaſteriis Calenſi, Jotrenſi & ſanctæ Faræ plura prodiiſſe Monachorum aut Monialium examina. Ex quâ poſitione hæc iterùm firmatur opinio, quâ ſcripſi S. Columbani Regulam nunquam primariæ loco poſitam, ſed ſemper per modum ſecundariæ Benedictinæ fuiſſe conjunctam, & tanquam illius appendicem & additamentum conſideratam. Nam ſi in ſanctæ Faræ Monaſterio ad an. 614. constructo, & in aliis quæ ſub ſancti Columbani Regulâ poſita Jonas aſſeveravit, nulla principalis Regula & S. Columbani Regulæ ſuperior principatum habuiſſet; S. Columbani nomen ab omnibus Auctoribus qui eorumdem Monaſteriorum propagines notavêre, omiſſum non eſſet; maximè cùm Auctores modò laudati teſtentur quòd *ab Auguſtino* Anglorum Apoſtolo, *ad Henricum VIII. perpetuò in hâc Inſulâ viguerit Benedictina inſtitutio, nec Auguſtino recentiorem ejus eſſe originem, originiſve recentioris veſtigium*

ullibi comperiiſſe ..... aliorum verò Ordinum in hac Inſulâ origines obſervaviſſe, uti uniuſcujuſque etiam minimi ingreſſum ſuo anno conſignatum habeamus, totius Benedictini Ordinis originem ante Auguſtini ſæculum non inveniamus. Quâ obſervatione nullum in Angliâ ſancti Columbani Monaſticum Ordinem agnitum eſſe, nullumque floruiſſe, aut ſui memoriam reliquiſſe colligimus; licet plura data ſint Monaſteria, quæ ad inſtar Cœnobiorum quæ apud Gallos peculiares S. Columbani conſuetudines in S. Benedicti Regulam obſervandas habebant; immò in totâ Anglorum hiſtoriâ nullum Monaſterium S. Columbani Inſtitutum accepiſſe dicitur, & nullum eidem aut primis ejus diſcipulis adſcribitur. Quæ non ideò dico ut eoſdem ritus in Gallicanis Monaſteriis ſervatos in Angliam delatos eſſe denegem; ſed ut eoſdem ad inſtar peculiarium rituum aut conſuetudinum in Benedictinam Regulam ſuſceptos affirmem: quæ nec Ordinem, nec Regulæ Ordinis conſuetudinem immutant. Quæ cùm ita ſint, & Anglicana Monaſteria ſub ſanctâ Burgundoforâ, ſub ſancto Botulfo, ſub ſanctâ Hildâ, & ſub ſanctâ Bertila, ad inſtar Gallicanorum ortum habuiſſe videamus; quis cum tantillâ veriſimilitudine hos Gallicanos Conventus Benedictinis Inſtitutis addicendos negabit, & S. Columbani ritus à Benedictinâ Regulâ in eiſdem Aſceteriis ſeparandos cenſebit?

INDEX.

A

Abbas Fundenſis. pag. 112.
De ordinando Abbate. 42. 43. &c. 289.
Abraſiones nullæ fingendæ. 95. &c. 261. &c.
Acta publica apud Auctores majorem ſibi fidem conciliant, quàm hiſtoricæ quæcumque narrationes. 81.
S. Ada. 107.
S. Adelphius. 46. 47.
Adrevaldus. 9.
Aigradus. 102.
S. Amatus. 96. 97. &c.
Anaſtaſius Bibliothecarius. 15.
Annus apud Benedictinos numeratur à morte S. Mauri. 12.
Anonymus vitæ S. Germani ſcriptor Monaſteria ætate ſancti Vualberti multiplicata memorat. 90. 91.
Alter Anonymus in vitâ ſanctæ Salabergæ eam multiplicationem factam aſſerit ſub Regulâ S. Benedicti & S. Columbani. 89. 90. &c. Quanti habẽda ejus auctoritas. 83.
S. Anſbertus. 102.
Anſelmus Havokbegenſis. 117.
S. Antonius. 115.
Argumentum ab interpolatione petitum convictorum hominum vox ultima. 75.
Argrimus Epiſcopus Lingonẽſis. 226
Arnaldus Magalonenſis Epiſcopus. 225.
Arnulphus Magnus Flandriæ Comes. 171.
S. Attala. 43.
S. Audoënus. 20. 51. 93. 94. 105. 150. &c 258. Quanta ſub eo Monaſteria in Epiſcopatu Rotomagenſi. 105.
S. Auguſtinus. 74.

B

Babolenus Abbas Foſſatenſis. 67.
Baronius. 6. 15. 224.
S. Baſilius. 117.
S. Benedictus Anianæ Abbas. 102. 136. 145. 233. Regulam S. Benedicti commendat. 204. 215. &c.
S. Benedictus Caſſinenſis, Ordo ejus propagatur. 1. 4. &c. uſq; ad p. 11. Stabilitatis voto diſcipulos ſuos adſtrinxit. 132. Suis ſolis legibus vixit. 115. Ejus diſcipuli nunquam oſtiatim mendicavere. 130. Omnium Ordinum officia præſtitêre. 121. &c. Ejus nomen eradi non debet, quando cum ſancti Columbani nomine ſcriptum conjungitur. 76. Nomen S. Benedicti in omnibus chartis quæ agunt de fundatione Monaſteriorum ſancti Columbani aut ejus diſcipulorum conjunctum habetur cum S Columbani nomine. 82. 83. Omnes Benedictini ad eaſdẽ Regulæ conſuetudines per Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio reducuntur. 196.
Beda. 332.
Bernardus Tironenſis. 317
S. Bertila. 334. 335.
S. Bertinus. 323.
Bertoëndus Epiſcopus Catalaunen-

ſis. 223.
S. Bertulfus. 43.
Bledegeſilus fundator Foſſatenſis. 67. 68.
Bollandus & Henſchenius. 233. 236.
Bonifacius Papa III. 15.
Bonifacius Papa IV. 5. 15. 114.
S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinenſis. 145. 181. 248.
S. Botulfus. 332. 334. 335.
Bruno Epiſcopus Lingonenſis. 227.

C

CAniſius. 14.
Canonici Regulares in Ordine S. Benedicti. 128.
Capitula Aquiſgranenſia Caſſinenſes tanquam quaſdã Ordinis conſuetudines admiſerunt. 193. 197.
Capitularia Aquiſgranenſia à Caſſinenſibus ſervata. 193. 197. Ad Augiam directa. 199. Sangallenſia. 200. Anni ſeptingentſimi octuageſimi noni. ibid.
Carlomannus præf. VII. VIII. Item 180. Caroli Magni ſententia de propagatione Regulæ S. Benedicti. 10. 11. 178. 179. &c. 243. 244. 245. 339. Solam Regulam S. Benedicti commendat, & eam ſolam ſervatam ſupponit. 324. 325.
Carolus Dufreſne de Regulâ ſanctâ, & de Regulâ SS. Patrum. 173.
Caſſinenſes Monachi nullam unquam Regulam à Benedictinâ diſtinctam ſervarunt. 112. Concilii Aquiſgranenſis Canones receperunt. 147.
Caſtrenſis inſcriptio. 9. 10.
De Cellerario Monaſterii. 47.
Cellularum diviſio à S. Columbano inducta prohibetur. 33.
Charta Charitatis. 196.
De ſubſcriptionibus Chartarum & diplomatum. 220. &c. 267. 268.
Chronicon Moiſſiacenſe. 187.
Clerici quidam Regulares Monachi. 123. 124.
Clotharius III. Rex. 165.
Cointius hoſtilem in Benedictinos animum manifeſtat. 2. 3. 229. 230. 231. Abradit nomen S. Benedicti quoties cum nomine S. Columbani conjunctum reperit. 74. Id agit ad inſtar convictorum hominum. 75. Ea nomina ab invicem non ſunt ſeparanda. 75. 76. Summã ſibi ſumit auctoritatem in approbandis & improbandis Auctoribus. 74. 76. 77. 78. 156. 157. &c. Ejus opinio de quatuor Ordinibus quos floruiſſe dicit octavo ſæculo, refertur & rejicitur. 141. &c. Malè explicat Concilia Germanicum, Liptinenſe & Sueſſionenſe. 180. &c. Item acta ſanctæ Salabergæ ab Anonymo conſcripta de conjunctione Regulæ S. Benedicti cum Regulâ S. Columbani. 90. Ejus quoque opinio de morte S. Mauri rejicitur. 12. &c. Nullibi ſolvit argumentum à Caroli Magni ſententiâ deductum, quo generaliter Benedictina Regula ſervata probatur ab acceſſu S. Mauri in Gallias, Præf. pag. iv. Item 180. Ejus rationes à proximitate locorum petitæ premuntur. 159. Quæ ad limitandum Benedictinum Ordinem afferuntur, ipſæ quoque rejiciuntur. 156. 302. &c. 306.
Color niger Benedictinorum proprius color. 63.
S. Columbanus Benedictinæ Regulæ propagator. 19. Ejuſdem Regula diſcutitur toto Capite V. 21. &c. Ejuſdem præfatio refertur. 24. Ea-

dem S. Columbani Regula Benedictinæ additamentum & modus. 24. 25. 42. 67. &c. 72. 82. 83. 292. 293. Argumenta in oppoſitum allata explicantur. 32. 33. &c. Ex S. Columbani & Diſcipulorum actis utrique Benedictini probantur toto capite ſeptimo. 39. &c. Omnia diſciplinæ Regularis capita ex Benedictinâ Regulâ deſumpſit. ibid. Nec ullâ Scoticâ, nec ſuâ ipſius Regulâ vixit. 40. 41. 291. Ejus Diſcipuli ſecundùm Regulam S. Benedicti Officium Divinum peragunt. 195. 196. 321. S. Benedicti nomen cum S. Columbani nomine præ ſe ferunt quamplurimæ Monaſteriorum fundationes. 75. &c. Anonymus vitæ ſanctæ Salabergæ ſcriptor eam conjunctionem per Gallias omnes vulgatam fuiſſe teſtatur. 89. Ejuſdem auctoritas commendatur. 83. Inſtitutum S. Columbani ſub utrâque Regulâ floruiſſe ex Concilio Matiſconenſi probatur. 87. 88. Hoc perpetuò ſervarunt Luxovienſes & S. Euſtaſius. 70. & 86. & eorum Diſcipuli. 29. 30. Enumerantur qui S. Columbanum Benedictinum dixerunt. 162. & 165. Ut S. Columbanus Benedictinus probetur, non eſt neceſſe ut omnes Hyberni Monachi Benedictini fuiſſe dicantur. 296. In Galliis Scotorum Regulas non ſequebatur. 58. Concilium in eundem coactum de Paſchate & tonſurâ. 59. 60. &c. Benedictinus probatur ex Monaſteriorum fundationibus toto capite octavo. 65. &c. Omnia Monaſteria à S. Columbano aut ipſius Diſcipulis ædificata Benedictina. 280. &c. S. Columbani Diſcipuli & in Galliâ & in Angliâ Inſtitutum S. Benedicti ſequuntur. 332. 334. 335. Dormitoria omnibus communia inhabitant. 321.

Concilium Aquiſgranenſe anni octingenteſimi decimi ſeptimi cum Conciliis Moguntinis annis octingenteſimo decimo tertio & octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo celebratis ad invicem conferuntur. 190. 191. Aquiſgranenſe nullam Regulam abrogat, nullamque imperat, ſed Benedictinam ubique receptam ſupponit. 192. &c. 200. Caſſinenſes ejuſdē Concilii Canones ſervant per modum conſuetudinum in Regulam S. Benedicti. 197. Concilium Auguſtodunenſe. 248. 249. Cabilonenſe. 223. 240. Carthaginenſe. 224. Concilia Germanicum, Liptinenſe & Sueſſionenſe explicantur de Benedictinâ Regulâ. 180. 181. 182. &c. præf. vii. viij. Concilium Matiſconenſe. 70. 71. 72. 87. 88. 277. 278. Moguntinum 239. Pariſienſe 166. 221. Pontigonenſe. 223. Remenſe. 240. Romanum ſub S. Gregorio coactum. 4. 6. 330. Sueſſionenſe. 168. Toletanum ſecundū. 223. 243. Turonicum primum. 222. Venetenſe. 33. 34. Vernenſe, & Conventus Synodalis anni ſeptingenteſimi laudant Benedictinam Regulam, eâ innominatâ. 186.

Conſuetudines variæ in Benedictinam Regulam. 29. 286. 287.

Cuculla veſtis Benedictinorum peculiaris. 62.

D

DAgamus Epiſcopus. 59.

S. Deicolus. 43.

S. Deſiderius Epiſcopus Caturcenſis. 153. 154.
S Diſibodus. 296.
S. Donatus. 55. 56. 57. 58. 281. 283.
S. Drauſcio Epiſcopus Sueſſionenſis. 106.

E

S. ELigius. 20. 71. 163. 168. 170. 256.
Sanctus Enmo Epiſcopus Senonenſis. 69. Præf p. v.
S. Euſtaſius ab initio ſuæ converſationis ad finem Benedictinus. 70. 86. Toto capite nono Diſſertationis. 276.
Euticius Conſuetudinum Cluniacenſium Auctor. 198.

F

FAuſtinus. 11.
Fauſtus. 9. 13. 15. 18. 44.
Flemingus. 21.
Formulæ Marculfi. 45.
Frodoardus. 170. 164.
Fundanus Abbas. 4.

G

GAufridus Vindocinenſis. 109.
Gerbertus vocatus Silveſter II. Papa. 172.
Quid per utramque Germaniam & Gallias omnes intelligatur. 3. 4.
Gregorius Lopez. 330.
Gregorius Magnus. 4. 5. 6. 35. 110. 112. 113.
Gregorius XIII. 1.
Gregorius Turonenſis. 17. 119. 148.

H

de HEbdomadariis coquinæ. 52.
Helminus Epiſcopus Æduenſis. 228.
S. Hildegardis. 322. 329.
De Hoſpitibus ſuſcipiendis ex Regulâ S. Benedicti. 46.
S. Hugo Abbas Cluniacenſis. 286.
Hugo Epiſcopus. 227.

I.

JAcoba de Blemur Monialis Cadomenſis S. Columbanum Benedictinum affirmat. 328. 329.
Jejunia Monachis imperata à Concilio Aquiſgranenſi eadem ſunt quæ à S. Columbano ſervabantur. 33. Argumentum ab interpolatione petitum quid valeat. 75.
Jonæ Bobienſis auctoritas expenditur toto capite nono. 75. &c. Item 254. 258. 259. Ejus ſilentium premendum. 99. 157. 165. 173. 174. Per alios Auctores explicatur 84. 88. 89. 165. Ejus auctoritas chartarum auctoritati poſtponenda. 100. Immeritò multos vituperat aut commendat. 77. 78. Conſultò multa omittit. 77. 80. 81. Excuſatur. 78. 79. 82. Auctores actorum SS. Amati & Romarici ipſi opponuntur. 97. 98. 99. Auctor vitæ ſanctæ Salabergæ ipſum explicat. 84. 95. 97. Item Frodoardus. 170.
Jonas Fontanellenſis. 102.
Iſahac Lingonenſis Epiſcopus. 226.

K

KAlendaria Benedictinorum referuntur, quæ feſtum S Columbani inter Sanctos numerant, & oſtendunt Benedictinum. 175. 176.

L

LAmbertus Epiſcopus. 227.
Landeveneccenſes Monachi. 188.

189. 237.
Legiſlatores qui fuerunt ante S. Benedictum ſuis ſolis legibus vixêre. 115.
Leo Oſtienſis. 15.
S. Leobardus. 7.
S. Leodegarius Benedictinus Benedictinam ſolam Regulam obſervandam commendat. 249.
De lotione pedum. 52.
Ludovicus Imperator ſolam Benedictinam obſervandam præcipit Regulam toto capite decimo octavo. 190. &c. 232. 233. Monachos in Monaſterio S. Dionyſii reſtituit. 250.
Ludovicus Thomaſſin. Ejus opinio de obſervatione omnium Regularum à ſingulis Monachis, & de unitate omnium Regularum à ſingulis Monachis, & de unitate omnium Ordinum diſcutitur. 109. 110. toto capite duodecimo.

M

S. Martinus Vertavenſis. 8. 307.
Martyrologium Romanum 1. 2.
S. Maurus Regulam S. Benedicti Gallos Monachos docuit. 8. 9. 10. 11. 300. &c. Obiit anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo. 12. 13. In propagandâ Regulâ S. Benedicti omnia facilia & expedita fuêre. 301. Cointii opinio de ætate S. Mauri rejicitur. 11. &c.
Menardus. 209.
S. Mellitus Epiſcopus. 115.
Moliſmenſes Monachi. 29.
Monachi omnibus Regulis non tenentur. 110. Benedictina ſolos Benedictinos adſtringit. 111.
Monaſterium Altivvillarenſe. 103. 104. 260. &c. S. Aniani. 164. S. Auguſtini Cantuarienſis. 115. Bariſiacenſe. 163. S. Bertini. 52. Beſuenſe. 66. 72. 162. 28. Cadurcenſe. 153. 154. Calenſe. 333. Cameliarenſe. 172. Corbeïenſe. 163. 165. &c. 260. &c. 265. &c. 321. 152. Dervenſe. 164. S. Dyoniſii. 241. S. Ebrulfi. 158. S. Faræ. 332. Fontanellenſe. 68. 101. 103. 269. Fontanenſe 51. 297. Foſſatenſe. 68. 163. Fuldenſe. 145. Gemeticenſe 141. 144. 149. 150. 15 . Glannafolienſe. 67. 156. Gorzienſe. 45. Grandivallenſe. 91. 92. Habedenſe. 95. 96. Juſſanum. 182. Landevenecenſe. 50. 188. S. Leobardi. 7. 157. Lindisfarnenſe. 50. Lucuſianum. 5. 113. Luxovienſe. 67. 72. S. Martini Turonenſis. 241. S. Petri Vivi Senonenſe. 69. 163. Rotomagenſe. 150. Solemniacenſe. 51. 71. 163. 168. 170. 260. Sueſſionenſe. 106. 164. Vallis Galileæ. 164. Vertavenſe. 158. Viriziacenſe. 157. Gallicana Monaſteria ab adventu S. Mauri ad tempora Caroli Magni Benedictina. 178. 179. Quæ item ædificata fuerunt ſæculis ſeptimo & octavo ab enumeratione Benedictinâ probantur. 147. 148. Item quæ ſub Regulâ SS. Patrum iiſdem ſæculis floruêre. 103. 105. 114. Item quæ ſub Regulâ ſanctâ. 151. 152. 268. 328. Item Monaſteria à S. Columbano & ab ejus Diſcipulis ædificata, capitibus octavo, decimo, undecimo, & capite decimo Diſſertationis. 28. Monaſteria quædam Monachi ſimul & Canonici inhabitant. 327. Fœminarum quique Moniales ſimul & Canonicas frequentant ibidem.

N

S. NIvardus. Omnia Monaſteria ejus tempore ædificata ex Regulâ ſanctorum Patrum, vel ex Regulâ ſanctâ Benedictina fuêre. 103. 104. 105. 257.

Nobilium filii quomodo in Monaſteriis recipiendi. 53.

O

S. ODilo. 9. 11.

S Odo Abbas Cluniacenſis. 316.

Odo Abbas Glannafolienſis. 16.

Officium divinum dicendum mandatur, ut in Regulâ S. Benedicti præſcribitur. 195.

De Opere manuum quotidiano. 50.

Oratores multa tacent in gratiam eorum quos laudandos ſuſcipiunt. 79. 80.

Ordericus Vitalis. 29. 63. 64. 84. 246. 298.

Ordines Monaſtici ab invicem diſtincti ante tempora S. Benedicti. 115, &c. Id probatur ex Caſſiano & S. Thoma. 122. 123. Eadem diſtinctio poſt S. Benedicti tempora duravit. 118. Unicus Ordo omnium Monachorum impoſſibilis. 119. In quo conveniant & in quo differant Ordines Monaſtici. 122. Specialis Ordo Monachorum qui Clerici vocantur 123. 124. Ordo S. Benedicti ab aliis omnibus differt. 124. 125. 133. Omnium aliorum differentias continet. 125. 126. 127. &c. Longè latéque dilatatur ante tempora Zachariæ Papæ. 134. Ut ab aliis diſtinctus Ordo vocatur, à viris ſanctiſſimis & doctiſſimis. 135. A formulis Baluſianis. 136. Monachorum & Clericorum Ordines multos ſub ſe inferiores Ordines continent 137. 138. 139. Tres tantùm Ordines, ſcilicet Clericorum, Monachorum & Laïcorum, quo ſenſu. 137. &c. Nullus S. Baſilii aut S. Macarii Ordo floruit in Galliâ ſæculis ſeptimo & octavo. 154. 155. Unicus Monachorum Ordo in Galliâ, ſcilicet Benedictinus iiſdem ſæculis 193. Item 315.

Oſvvaldus Rex. 50.

P

S. PAchomius. 116. Monachos ſuos promoveri. 114. Prohibuit ne alienis legibus viverent. 116. neque cum alienis Monachis loquerentur. ibid.

Paſcha diverſis diebus in uno eodemque anno, in eodem Epiſcopatu celebratur ſæculo ſexto. 16. 17.

Paſchaſius Radbertus tenet S Columbanum Benedictinum, 165. 168

Patricius Flemingus. 22. 40. 60. 70. 171.

Paulus Diaconus. 14.

Petrus venerabilis. 28. 29.

S. Philibertus. 141. 149. 150. 151. 321. Benedictinus probatur. 149. 150. Textus vitæ ejus à Cointio malè explicatus exponitur. 141. 144. 147. Varios Benedictinæ Regulæ ſervandæ modos exquiſivit & invenit. 144. Idem præſtitêre ſanctus Sturmio Fuldenſis & S. Benedictus Indenſis. 145. & omnes Benedictinam ubique receptam invenêre. 146. S. Philibertus captivis liberandis inſudat. 129.

Philippus Labbe. 313.

De menſurâ Potûs. 48.

Præfationes multæ ab Amanuenſibus omiſſæ. 35. Præfatio Regulæ Cœnobialis ſancti Columbani. 24. 35. &c. 42.

S. Præjectus. 152.

Privilegium nullum ulli Ordini generaliter datum ad creandos Abbates ſæculis ſeptimo & octavo. 45. Id ex Regulâ habent Benedictini, qui tamen Privilegia expetiêre, & quare. 44. 45. Privilegium Luxovienſe. 44.

De diſciplinâ ſuſcipiendorum Fratrum ad Profeſſionem. 55. Profeſſionem Monaſticam modo Benedictino fecêre ſanctus Columbanus, ejus diſcipuli, & S. Donatus. 55. 56.

R

de Regulæ triplici diviſione, præfat. iv. v. Item 281. 285. &c. Recuperare Regulam quid ſignificet. 185. Regula S. Benedicti Monachorum Regula vocatur. 5. diſcretione præcipua. 6. Regula ſancta Præf. p.iii. 95. 151. 152. 153. 268. 323. Regula ſanctorum Patrum. 101. 102. &c. 106. 272. 273. In immenſum propaganda prædicitur. 8. 9. &c. Ad ſui propagationem non requirit aliarum Regularum unionem. 109. Omnium perfectiſſima, à pag. 101. ad pag. 220. Sola ſervata octavo ſæculo. 178. Toto capite decimo ſeptimo. 234. Qualia initia habuerit in Galliâ. 308. Qualis Monachorum ſtatus in Galliâ ante receptam S. Benedicti Regulam. 310. Eam commendavit Synodus Vernenſis. 186. Conventus Synodalis anni ſeptingenteſimi ſeptuageſimi noni, & alia plura Concilia. 180. &c. 184. 191. 192. Et ſpecialiter Concilia Germanicum, Liptinenſe & Sueſſionenſe. 8. 18. Benedictina Regula non patitur Benedictinum alienis Regulis addici. 112. 13. Separatim ſervata. 124. Quâ ratione dicitur initium converſationis. 209. Eo perfectiùs vivunt Benedictini, quo Regulæ ſolius obſervantiores. 217. Reſtituitur Monaſterio S. Dionyſii. 242. Benedictinus Ordo generaliter floruit in Galliâ à ſæculo ſexto ad duodecimum. 315. 319. Regula S. Columbani duplex; Hortatoria prima, Cœnobialis altera. 22. Cœnobialis Regula propriè dicta dici poteſt, non quidem primaria & principalis, ſed ſecundaria & Benedictinæ appendix. Præfat. p. v. vj. 24. &c. 27. 287. 290. Diverſimodè ſcripta. 37. &c. toto capite duodecimo Diſſertationis. Se habet per modum conſuetudinum ſpecialium in Regulam Benedictinam. 27. 28. Aliis in Benedictinam conſuetudinibus opponitur. 28. Non ſufficit ſe ſola ad Monaſticum Inſtituendum, ſed Benedictinam in eamdem rem S. Columbanus aſſumpſit. 37. &c. Nunquam ſanctorum Patrum Regula dicitur. 104. Conjuncta cum S. Benedicti Regulâ hoc nomen aſſumit. 101. 102. &c. 106. Cum Benedictinâ conjungitur. 55. 56. Ab eâ nuquam ſeparanda. 261. Per modum ſecundariæ Regulæ eidem unitur. Præfat. p. v. vj. 67. 68. 99. 104. 107. Statuta in Regulam cōpoſita nomen Regulæ induunt. 294. Regula S. Valberti, S. Columbani & S. Benedicti eadem.

89. 90. Regula S. Donati. 55. 56. Ex Benedictinâ præcipuè deſumpta eſt. 57. 282. 283. Quâ ratione dicitur Sancta. 152. 153. Regula à Decanis coſtituta. 286. Regulæ SS. Baſilii, Macarii & Benedicti nunquam per complexum unitæ. 148. 149. Multi Auctores Sanctos commendant, innominatâ Regulâ ſub quâ iidem Sancti vixerunt. 80.
S. Richardus Virdunenſis Abbas. 295
S. Rigobertus. 225.
Robertus de Monte. 29.
S. Romaricus Regulam S. Benedicti & S. Columbani ſervavit. 95. 96. 97. &c. 259. Auctor actorum vitæ S. Romarici & S. Amati opponuntur Jonæ loquenti & tacenti. 98. 99.
S, Romualdus. 216.

S

SAbinianus Papa. 15.
Acta ſanctæ Salabergæ Cointius malè interpretatur. 90. 91. 253.
Silentium Auctorum nullam fidem apud Auctores meretur. 81. 100.
Stabilitatis votum præcipitur à ſancto Benedicto, & à S. Columbano & ab ejus Diſcipulis obſervatur. 56. 57. 131. 132.
Stabilitatis votum primus omnium S. Benedictus imperavit. 322.
Stengelius Abbas S. Columbanum manuſcriptorum lectione perſuaſus Benedictinum cenſet & multos in ſuam opinionem adducit. 25.

T

de TOnſurâ quare S. Benedictus nihil præſcribit. 287. 288.

V.

de VEſtimentis & calceamentis Fratrum 62.
ſub S. Vvalberto Abbate Luxovienſi ſanctorum Benedicti & Columbani Regula viget. 70. 89. Monaſteria à S. Columbano inchoata perficit, & Monachis replet. 88. 89.
Vvalterius Æduenſis Epiſcopus. 227.
Vvandregeſilus Regulam ſanctorum Patrum tenuit. 102. 150.
S. Vulfrannus. 102.

AUTISSIODORI,
Typis FRANCISCI GARNIER Typographi Regis, nec non Illuſtriſſimi aç Reverendiſſimi Epiſcopi Autiſſiodorenſis. 1683.

R. Tab. V. n. 27.